









GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOLVMEN PRIMVM.

LIPSIAE, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM.
1827.

PRAEFATIO.

Quum saepe rogatus essem, ut in unum corpus collecta ederem, quae vel separatim per Academicae vitae opportunitates, vel inserta aliorum libris minora scripta emisissem, tandem obsequendum duxi, quamquam me aliis ea re facilius, quam mihi satis facturum intelligerem. Nam etsi sunt in illis scriptis non pauca, quae etiam nunc probo, tamen alia esse video, quae, si hodie scriberem, vel pleniora essem vel emendatiora daturus. Sed tamen interpolare illa non licebat, ne, si qui cognoscere vellent, quae a nonnullis doctornm inde essent commemorata, non illa, sed alia invenirent. Itaque satius visum est nihil mutare, sed hic illic aliquam brevem adnotationem adiicere. Omisi autem Observationes criticas in locos quosdam Aeschyli et Euripidis, et dissertationem de usu antistrophicorum in Graecorum tragoediis, atque adnotationes criticas ad Pindarum, editioni


Heynianae insertas. Nam de illis Aeschyli locis accuratius agetur in editione Aeschyli: quae autem de antistrophicis disputaveram, rectius explicata sunt in Elementis docrinae metricae: Pindarica vero illa, quae iam nunc multo poteram auctiora edere, alio tempore, si illuc redire licuerit, etiam magis expolire in animo est. Dissertationum Academicarum perorationes plerasque resecui, una tantum alterave ut exemplo usitati moris servata. Quumque ordinem fere tenerem eum, quo editi sunt isti libelli, visum est singulis voluminibus etiam orationes et carmina, si quae eo tempore scripta essent, adiicere. Cuius consilii suasorem habui Böttigerum, virum elegantissimi iudicii. Indices adieci cuique volumini rerum potissimarum, scriptorumque, de quibus esset disputatum. A typographo pauca tantum, nisi fallor, peccata sunt, ut p. 61. ubi *μέλη* pro *μάλη* legendum, et p. 107. ubi in priore Aeschyli loco delenda est interpunctio post *ὠμόφρων*, in altero autem minor ponenda post *γένει*.

INDEX OPVSCVLORVM.

GODOFREDI HERMANNI

O P U S C U L A

VOL. I.



I.

DE
FVNDAMENTO IVRIS PVNIENDI
DISSERTATIO.

Quaerenti num ius puniendi inter ea, quae natura hominibus dedit, iura referendum sit, ante omnia opus est eo, ut non modo, quid omnino poena sit, sciat, sed etiam, ut qualis ea sit poena, cuius exigendae ius quoddam reperiatur, bene perspectum habeat. Nam si quae sunt poenae, quas persolvi aequitas quidem et honestas flagitent, iustitia autem prohibeat, eas patet ab hac disputatione, in qua de iis tantum poenis, quae iure quodam nitantur, disserendum est, plane segregandas esse. In quo inprimis errasse videtur Hugo Grotius, et qui eum sequuti sunt, poenam in malo passionis, quod ob malum actionis infligatur, ponentes. Quae definitio quamquam, quid omnino poena sit, licet paullo obscurius, at vere tamen declarat, eo naturam poenae censeri indicans, quod rerum, quae ad vitae iucunditatem pertinent, aliqua imminutio actiones rationis legibus contrarias, tamquam obligatio malefacto contracta, consequatur: parum tamen idonea est, ubi, num iure punire quemquam liceat, disceptamus. Nam malae actiones, quas Grotius nominat, non solum perfectis officiis violandis committuntur, sed etiam imperfectis, quorum nullus est usus, ubi de iure quaeritur. Solis enim officiis perfectis, quibus violandis aliorum libertas laedatur, iura respondent, quorum conservandorum caussa, ne illa officia negli-

gantur, postulare licet: imperfectorum autem officiorum intermissione quum neminis iura laedantur, non potest illa a quoquam prohiberi. Nam ad ea tantum vel prohibenda, vel exigenda ab aliis ius nostrum pertinet, quibus vel faciendis vel omittendis iniuria nobis fieret. Quodsi quaedam sunt officia, e quorum violatione alii ius quoddam nanciscantur poenae ab eo, qui ista officia violavit, sumendae: ea non possunt imperfecta officia esse, quia, quum horum neglectu nihil cuiusquam iuribus detrahatur, manere illa iura finibus, quibus antea continebantur, inclusa necesse est: quae si non eo usque pertinebant, ut mala cuiquam infligere liceret, non potest intelligi, quare ob imperfectorum officiorum laesionem magis, quam ob aliam rem, nullo officio prohibitam, eo porrigantur. Aliter se res habet in perfectis officiis. His enim violandis alterius iura laeduntur, quem ex hac ipsa re ius nancisci oportet ad ea omnia facienda, quibus illa, quae laesa fuerant, iura tueatur. Quo iure an poenae comprehendantur, necne, id vero recte quaeri potest, quoniam, ut punire nequeat, at quaedam tamen iura is consequitur, qui laesus est. Quamobrem qui de naturali quodam iure puniendi disserunt, eos poenam non in illo malo, quod quis cuiuslibet officii violatione meritus sit, sed in eo, quod ob iura aliorum laesa infligatur, ponere oportet. Quod si fecisset Grotius et qui hunc sunt sequuti, non possent reprehendi, quod latiorem, quam eorum consilium ferebat, poenae significationem usurpassent. Itaque nos, quoniam, si aliquod ab ipsa natura inter homines constitutum est ius puniendi, id non nisi perfectorum officiorum laesione niti potest, poenae vocabulo hoc malum intelligimus, quo quis propterea afficiendus sit, quia aliorum iura violaverit, i. e. sua officia perfecta neglexerit.

Igitur si naturali iure permissum putamus, eum punire, a quo laesus fueris, necesse est, ut ipsa laesio caussam contineat, quare laedenti malum afferatur. Licitum est autem eum, qui iura nostra laesit, non modo poenae nomine, sed etiam ex aliis caussis malo afficere. Quamobrem cavere oportet, ne id mali, quo ad poenam utimur, cum eo confundamus, cuius infligendi aliae caussae sunt. Ac conces-

sum laeso est, detracto iure puniendi, dupliciter malum creare ei, qui fecit iniuriam, tum vi, qua tueri iura sua potest, tum damni reparatione, quam ei licet exigere. Vtrumque hoc, quidquid sic mali laedens patitur, a poena longissime distat. Primum enim, quod in vi, qua se laesus defendit, positum est malum, id non propterea additur laedenti, quod is dolere debeat, sed ut malo cogatur iniuriam reparare; ob eamque rem tantummodo pro adiumento est, quo ad ius suum vindicandum laesus utatur. Qui si laedentem aliter, quam bonorum quorumdam ademptione ad satisfactionem posset perpellere: non esset necessarium, ut mala in eum ingereret. Deinde in reparatione damni quod mali inest, ne hoc quidem tamquam malum, quod iniuriam sequi debeat, patitur is, qui aliquem laesit, sed, quia rependere, quantum laeso nocitum fuerat, debet, si id non nisi cum damno suo facere potest, sufferre malum necesse habet. Verum quo malo ad puniendum utimur, id quum laedenti propterea, quod eum dolore affligi oporteat, imponatur, per se cum iniuria debet coniunctum esse, neque alia re, quae iniuriam sequatur, contineri.

Quae poenarum ab iis malis differentia, quae tum iusta vi sustinenda, tum satisfaciendo accipiuntur, multo clarius cernitur in iis, quae ex hoc discrimine sequi necesse est. Primum enim ea mala, quibus iniuriam repellimus, non nisi tum iniungere laedenti licet, quum coactu opus est. Etenim si volens ab iniuria abstineat, aut perpetratam reparet, non modo inutile fuerit, vim suscipere, sed etiam iniustum, quia nulla vis iusta est, nisi quae iuris tuendi caussa adhibetur. Illud malum autem, quod reparanda iniuria laedens patitur, ne quaeri quidem potest, quando inferre ei liceat, propterea quod illud in eo continetur, quod quin fieri debeat, dubitari non possit. Igitur tantummodo, quando vere inferatur, quaerendum est. Atque hoc tum fit, quum laesus non potest in iura sua restitui, nisi cum damno laedentis. Qui si id, unde laeso satisfacit, non numerat inter bona sua, nihil compensanda iniuria contrahet incommodi. Poenae vero cuius irrogandae opportunitas non pendeat e casu aliquo fortuitoque eventu, semper locum esse necessa-

rium est. Puniendi caussa enim ut alicui malum detur, nihil est aliud opus, quam ut admiserit iniuriam. Deinde quum vi defendit iura sua laesus, non plus mali, quam ad avertendam iniuriam opus est, facere laedenti potest, quia, quod ultra fieret, iusta caussa destitueretur. Quum autem satisfactio, quae laeso ab laedente praestanda est, malum continet, hic quoque, pariter ut antea, non potest quaeri, quantum oporteat hoc mali esse, sed quantum vere sit. Tantum erit autem, quantum e vitae suae iucunditatibus laedens dissolvenda iniuria amittit: qui tantum abest, hac re ut semper damnum faciat: etiam interdum videtur aliquid lucrari. At vero poenae si quis modus est, is, quoniam ad poenam nihil, nisi ut facta sit iniuria, requiritur, ex nulla alia re, quam ex malefacti natura erit aestimandus. Denique quum alia sit mali admovendi caussa, si illud ad cogendum adhibeatur; alia, si in satisfactione insit; alia, si puniendi gratia irrogetur: necesse est, ut altera mali illatio alteram non excludat, idemque homo, quem vis laesi et reparatio iniuriae afflixerint, poena insuper castigari possit.

Iam posteaquam de notione poenae expositum est, ad id accedere convenit, quod perquirere hac disputatione instituimus. Est autem haec nobis ad persovendum proposita quaestio, utrum inter illa iura, quae natura dedit laeso, puniendi ius numerandum sit, an illud, nisi ab aliis traditum atque concessum, nemo habeat: quae disputatio ut recte atque ordine tractetur, ab eo res omnis repetenda est, in quo fons et origo est omnis iuris. Ac dedit hominibus hanc legem ratio, quippe se ipsam dissolvere nequiens, ut, quidquid agant, ipsam sive in se ipsis sive in aliis sanctam inviolatamque habeant. Inde nascitur hoc erga alios officium, ne quis eorum liberam voluntatem, quatenus illa quidem rationi consentanea est, laedat atque offendat. Eoque officio servando omne ius continetur. Haec enim videlicet iure fieri dicuntur, quae prohiberi ab aliis non possunt, eaque sunt illa ipsa, quae salva rationis dignitate fiunt. Itaque quum malum dare, si per se spectetur, iniustum sit, necesse est, si illud puniendi gratia licitum esse arbitramur, ut iniuria, quam quis perpetraverit, aliquam caussam contineat,

quare poena perpetienda nihil eius natura, ut ratione utentis, laedatur. Quae res ita se habeat, necne, id considerandis iuribus, quae laesus ex iniuria accipit, intelligetur. Ac quum in eo consistat omnis iniuria, quod is, qui eam facit, alterius voluntati, quae quidem iusta sit, vim afferat: inde consequi necesse est, primum, ut is, qui patitur iniuriam, in voluntate sua iure permanere possit; dein, ut laedens, quaecumque iniuste contra superiorem suscipiat, eorum ratione naturae suae dignitatem abdicasse sit censendus. Hinc, quid iuris habeat laesus, apertum est. Nam quum omne hominis ius in hoc solo positum sit, ut libertas, quatenus rationis legibus adstricta est, salva atque incolumis servetur: non potest latius patere ius laesi, quam ad tuendum iustae libertatis usum opus est. Itaque facere ei omnia licet, quibus laedentem ab iniuria abstinere cogat. Hoc autem coercendo tantum abest, ut rationis sanctitatem imminuat, eam ut potius conservet. Etenim eatenus tantum vetitum est aliorum libertatem impedire, quatenus illa fines ab ratione praescriptos non egreditur. Nam si, quatenus cum rationis praeceptis consentit, posset turbari, ipsa ratio ut secum dissentiret necesse esset: at ubi quis ea cum contemptu rationis male abutitur, ibi profecto si reprimitur, nihil rationali naturae accedit detrimenti. Licet igitur laeso, quod ad laesionem avertendam attinet, ita cum laedente agere, ac si is nulla haberet iura, planeque ex numero ratione utentium esset exemptus. Id autem vocatur ius cogendi. Cogere enim nihil est aliud, quam libertatis suae facultatem, quatenus illa rationi non repugnat, contra vim aliorum defendere tutamque praestare. Quod quum duplici ratione effici queat: dum fit iniuria, se defendendo; ubi facta est, eam persequendo, donec in integrum libertas restituta sit: contineri ius cogendi duabus partibus clarum est, iure propulsandae iniuriae, et iure exigendae satisfactionis. Itaque omnia laeso facere licet, quibus vel praesentem iniuriam a se prohibeat, vel facta ut dissolvatur pervincat. Quae quum impetrare non potest, nisi adhibendis malis, necesse est, ut eatenus malum inferre laedenti possit, quatenus eo ad cogendum utatur. Hoc enim faciens rationalem naturam lae-

dentis non violat, quippe libertatem eius non ultra, quam ea rationi repugnat, coercens. Haec igitur, quam explicavimus, unica ratio est, qua malum iure alicui inferri possit. Nam quum omne ius hominis in iis faciendis consistat, quibus dignitas humanae naturae nihil imminuatur: non potest quidquam iuris adversum alios cogitari, nisi quod ad ea, quae illi iniuste faciant, prohibenda spectet. Quod quum, quantum quantum sit, iure cogendi comprehendatur, patet, quidquid mali non cogendi necessitate laedenti detur, quandoquidem per se malum cuiquam facere vetitum est, iniuria infligi. Quamobrem quum poenae, ut supra demonstratum est, ab eo malo, quo ad officium laedens cogitur, plane diversae sint, necesse est, ut laesus puniendi ius, nisi quod pactis constitutum sit, a natura certe nullum habeat. Quidquid enim mali laedens pateretur praeter illud, quo ab iniuria facienda eum arceret laesus, eo non iniusta, sed iusta eius libertas impediretur.

Hanc iuris naturalis in poenis prohibendis severitatem ne is quidem effugeret, qui satisfactionis petendae iure puniendi quoddam ius contineri putaret, videlicet si poena tantum satisfieri sibi posse laesus contenderet. Etenim satisfactio nihil est aliud, quam restitutio iustae libertatis. Quae quum natura sua omnia illicita excludat, non potest aliter in integrum restitui, quam eiusmodi rebus laeso concedendis, quarum usus omni iniuria careat. Malo autem quia neminem, nisi obtinendi iuris caussa, afficere licet, non potest laesus postulare, ut dolore laedentis sibi satisfiat. Qui tantum abest, hoc modo ut iustae libertatis usum, quo privatus fuerat, recuperaret, ut iniuriam iniuria remuneraretur. Licet igitur malo quidem cogere laedentem, sed non ad malum. Illud enim vix opus est ut moneam, (et antea iam de hac re dictum est) non spectari hic eum casum, si reparatio iniuriae laedenti molesta sit. Hoc enim fortuitum est, neque eo consilio persequitur laesus iniuriam, ut voluptate, quam ex afflictione laedentis percepturus sit, damnum suum compenset, sed ut quomodocunque, etiam cum laedentis malo, (hic enim suam luit culpam) in iura sua restituatur. Sed ut liceat satisfactionis caussa malo laedentem

afficere, haec tamen poena dici non posset. Nam poena, ut supra demonstratum est, id malum vocatur, quod per se necessario iniuriam sequi debeat. Illud autem malum, quod quis satisfactionis nomine sustineret, non pro malo, quod facienda iniuria laedens commeruisset, habendum esset, sed totum e satisfactionis postulandae iure penderet, quam laesus in dolore laedentis invenire sibi videretur.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, clarum est, naturali iure poenarum irrogationem nullo modo comprobari. Ac quum totis gentibus eadem ratio secum invicem intercedat, quae privatis hominibus: apparet, quid de bellis puniendi caussa gerendis, de quibus olim acerrime inter viros doctos disputatum est, statuendum sit. Quae bella manifestum est a tyrannis et clericis excogitata, ab adulatoribus defensa esse. Post quum publica utilitate praetexta in consuetudinem venissent, adempta est insolentia.

Atque haec quidem satis essent ad poenas ex iure naturali expellendas, nisi iure quodam postulari posse videretur, ut eorum, qui aliter sentiunt, praecipuas certe sententias refellerem. Omnium enim iuris naturalis doctorum opiniones de aliqua re vel cognoscere praemium laboris non habet, nedum si quis expendere eas velit. Ac tres potissimum inter reliquas sententiae eminent, quibus refutandis veritati aliquod adminiculum lumenque addatur. Harum prima, e recentiore philosophia petita, a Schmalzio proposita est, parum illa fonti, unde manavit, congruens. Is igitur sic censet. Quicumque aliquem laedit, contra rationem agit, eoque dignitatem ratione utentium amittit. Licet igitur laeso ita cum laedente agere, ac si is rationis expers sit, atque ideo inter illas res numerandus, quarum omne pretium in eo est, quod utilitati hominum inserviunt. Itaque nihil est, quare mala in huiusmodi hominem, qui nimirum iam pro homine haberi nequeat, ingerere vetitum sit.

Haec argumentatio vel leviter in eam intuenti omnia hominum iura in tantum adducta periculum ostendit, ut mirum sit, errorem, qui in ea inest, viro docto latere potuisse. Quae si vera esset, quid impediret, quominus, quicumque vel levissimam iniuriam admisisset, capite plecteretur? Nam si

quodvis iniustum factum omnem dignitatem, quae ab ratione proficiscitur, omniaque iura hominibus detraheret, quis foret, obsecro, mortalium, qui non omnium libidini et cupiditatibus esset expositus? Apertum est, longe aliud quid significari, quum quis propter iniuste facta e numero ratione utentium excludi dicitur, quam putavit Schmalzius. Nam eatenus tantum rationalem naturam exuisse censendus est, quatenus eam iniuria facienda negligit. Omnem enim rationem quomodo potest deponere, sine qua ne esse quidem queat? Quam si malefaciendo amitteret, hoc ipsum malefacere, certe postquam semel peccasset, plane in eum cadere non posset. Propter id ipsum enim vituperatur et castigatur, quod, quum praeditus sit ratione, eam tamen cupiditatibus posthabeat. Igitur quum rationalis natura facultasque recte et iuste agendi ei adimi nequeat, ob nullam iniuriam omni dignitate privabitur, sed eatenus tantum pro rationis experte habendus erit, quatenus rationis leges contemnit. Hactenus igitur omni iure caret, malisque potest affici. At vero hoc nomine quod malum ei datur, tantum abest, ut poena appellari possit: nihil aliud eo efficitur, quam ut ad officium cogatur. Etenim si quis hactenus tantum, quatenus rationem repudiat atque abiicit, aliorum erga se officia amittit: omnia, quaecumque tamquam ratione ac iure carens perpetitur, in impediendo iniusto facinore consistere necesse est. Nam si quid praeterea adversi in eum statueretur, id quum contra ratione praeditum fieri existimandum esset, iniustum foret. Ad hoc genus autem poenae pertinent, quae, ut supra demonstratum est, iure cogendi non sunt comprehensae.

Altera ratio, qua quum ab aliis, tum a Mose Mendelide iustitia poenarum defensa est, sic se habet. Iustum libertatis usum, inquiunt, non modo licet tueri, sed etiam oportet. Quo magis necesse est, ut omnia ad tuendam libertatem adiumenta, quae quidem prohibita non sint, possint adhiberi. In quibus quum poenae numerentur, punire laedentem licet, sive ipsius sive aliorum deterrendorum caussa.

Hac ratione qui se effecisse aliquid putant, vehementer falluntur. Nam id ipsum, quod demonstrare vole-

bant, tamquam quod per se pateat, ponunt. Erat autem hoc quam maxime probandum, poenas inter ea tuendae libertatis adiumenta, quibus uti liceret, referendas esse. Quod quum illi ostendere omiserint, nobis contrarium erit probandum. Ac potest hoc, iura sua tuta praestare, dupliciter intelligi, prout aut iis faciendis continetur, quibus iniuriam propulsamus, aut ea complectitur, quibus efficimus, ne quis laedere nos velit. Quod ad superiora attinet, inter ea poenae numerari non possunt, quoniam hoc genus totum cogendi iure comprehenditur. Illa autem si spectamus, quae alios deterreant ab laesione, clarum est, ea non posse latius patere, quam quoad nemini iniuriam faciant. Quum enim certum esse nequeat, imminere ab aliquo laesionem, non potest aliud quidquam curari, quam, si quis iniuriam inferre conetur, eum ut satis firma praesidia excipiant. Quamobrem poenas, quae sine malorum perpessioue cogitari nequeant, irrogare non est licitum. Neque enim cum illo, tamquam cum iniusto, agi potest, qui facturusne sit iniuriam, an non, plane nescias. Nimirum quum libere fieri necesse sit, quae imputari queant, de nullius voluntate, etiamsi centies eamdem iniuriam iteraverit, constare potest. Neque vero ex moribus aut cupiditatibus laedentis probabili coniectura, quid facturus sit, divinari satis est, quippe quae non id in voluntatem eius habeant imperium, ut vinci nequeant. Immo ne tum quidem, si disertim non destiturum se ab iniuria facienda nequam homo professus fuerit, malo ad officium colendum reduci potest, quia eo ipso tamen momento, quo se ad repetendum facinus accingit, fortasse consilium mutabit. Sed fac etiam dubitari plane non posse, quin mala quae moliatur, exsequuturus sit: nihil aliud, quam omnia comparare licebit, quae ad repellendum eius conatum idonea sint. Nam si omne ius laesi in libertatis rationi consentaneae usu vindicando consistit, non est ei concessum alios ab iis rebus retinere, quibus ipsum non laedant. Voluntate autem laedendi nemini fit iniuria, sed exsequenda voluntate. Itaque ea tantum adhiberi possunt, quae ad perficiendam laesionem spectant. Non licet igitur quemquam, ut in posterum ab simili iniuria abstineat, poena afficere.

Nam ex eo ius aliquod ad puniendum deducere, quod ad alios ab iniustitia deterrendos poenis opus sit, id vero plane ineptum est. Primum enim ius non est utilitate metiendum, nisi virtutis legem in effrenata libidine collocandam putamus: deinde vero tantum abest, ut aliorum terrendorum caussa iure punire quemquam possis, ut illi ipsi non aliter poenam timeant, nisi si ius ad se puniendos tibi esse sciant. Nam si viribus, non iure, fretus poenas exerceas, iure illi iniustam vim a se defendent. Quodsi igitur puniendo eo, a quo laesus fueris, aliis metum iniicias, qui, si quid simile admiserint, se punitum iri, iure nimirum, videant: necesse est, ut unumquemque, qui iniuria te affecerit, punire possis, neque id deterrendi cuiusquam caussa facere opus habeas. Ergo qui puniri aliquem posse contendunt, ut alii sibi timeant, ii ius puniendi ex eo derivant, quod sine iure puniendi ne cogitari quidem potest. Caeterum ipsum poenae nomen, ubi de malo deterrendi caussa adhibendo agitur, parum aptum est. Nam si quemquam malis ab iniuria facienda coercere licet, is quoque malo posset affici, qui nihildum iniusti commisisset, sed quem tamen parare alicui damnum constaret. Quamobrem si ex iure alios deterrendi ab iniuria, siquidem tale ius usquam exstaret, ius aliquod ad puniendum deducendum esset, sic illa disputatio foret instituenda, ut, qui iure metum aliis excitare posset, ei licere ostenderetur illos, propterea quod se laesissent, malo onerare. Quum enim poena sit consequutio mali per iniuriam contracta: non quaevis mali ad deterrendum comparata illatio, sed ea tantum, quae propterea, quod laesionem sequatur, intemperantiae frenum imponat, poena recte vocabitur.

Tertia denique via, qua poenarum irrogationem naturali iure contineri quidam existimarunt, ea est, cuius auctor fuit Hugo Grotius, brevis illa quidem, sed perobscura. Verba Grotii haec sunt, II. 20, 2. „Vertum tamen est, in „poenis primo ac per se exerceri expletricem iustitiam, quia „scilicet qui punit, ut recte puniat, ius habere debet ad „puniendum, quod ius ex delicto nocentis nascitur. Atque „hac in re est aliquid, quod ad contractuum naturam accedit:

„quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obli-
„gasse se censetur ad ea omnia, quae venditionis sunt natu-
„ralia, ita qui deliquit, sua voluntate se videtur obligasse poe-
„nae, quia crimen grave non potest non esse punibile, ita ut
„qui directe vult peccare, per consequentiam et poenam me-
„reri voluerit.“ In quibus quum multa sunt, quae quum
ad illorum temporum rationem magni momenti essent, nunc
merito levia putantur, tum illud, quod de gravi aliquo cri-
mine loquitur, inani illi aequitatis studio tribuendum est,
quod inde a prima origine ad hanc usque aetatem pernicies
iuris naturalis fuit. His igitur demptis totum argumentum
hoc est. Quicunque iniuriam alteri facit, malo affici me-
retur. Quapropter quilibet eum punire potest. Cuius ar-
gumenti omnis difficultas in eo est, quod non pateat, quid
illud sit, malefacto poenam mereri. Hoc enim si esset sa-
tis intellectum, illud sponte appareret, utrum quivis punire
malefacientem posset, annon. Atque hac quidem aetate in
commutatione totius philosophiae ista etiam quaestio in illu-
striore loco posita est, diligentiusque coepit agitari: quae
tamen nondum videtur ita ab omni dubitatione liberata esse,
ut rei iudicatae auctoritatem afferre liceat. Nam qui in ea
explicanda elaborarunt, eorum quidam vereor ne nodum
arctius constrinxerint: fuerunt certe, qui gladio dirimerent.
Caeterum quocumque fundamento illud nitatur, virtute feli-
citatem, malefactis infelicitatem mereri: facile potest intel-
ligi, istam bonorum malorumve distributionem ad hominum
iudicium nequaquam pertinere. Nam non solum diiudicare
cuiusquam voluntatem, ad quod dei alicuius sapientia opus
est, hominis imbecilla cognitio, quae solas actiones spectat,
non valet, sed ne si valeret quidem, ista bonorum imminu-
tio propter perpessam iniuriam ad iura cuiusquam pertine-
ret. Nam quum nemini quidquam iuris aduersus alterum sit,
nisi quatenus ille rationali natura pro instrumento libidinis
suae abutatur: non potest homo malus ullo commodo pri-
vari, nisi quo percipiendo iura cuiuspiam imminuantur. Atque
ut indignum se aliquis felicitate, qua fruitur, iudicet, non
est ei tamen idcirco voluptatis usu interdictum. Hoc enim,
indignum esse felicitate, nihil aliud significat, quam caus-

sam esse nullam, quare quis ea fruatur: illud autem, voluptatis perceptionem prohibitam esse, hoc valet, voluptatem non assumi sine scelere. Id autem in illa tantum emolumenta cadit, quae quis facienda iniuria acquirit: atque horum sane restitutio iure exigitur, quamquam non poenae nomine, sed ad reparandam iniuriam. Quas voluptates vero sibi aliquis iure paravit, eas si illi eriperet is, quem laesisset, profecto hic ipse, illius iustam libertatem coercens, iniustus foret. Nam homo malus idemque felix eo certe, quod a voluptate non abstinet, non iniuste aut turpiter, sed perverse agit, quippe caussam non habens, quare voluptatem persequatur. Igitur sic quoque ad vindicandam poenarum iustitiam omnis via videtur praeclusa esse.

Nihil ergo relictum est aliud, unde aliquod ad puniendum ius nascatur, quam pacta. Quibus non dubium est, quin ius puniendi in aliquem transferri queat, dum ne quis iis adimendis puniatur, quae alienare non potest: eaque omnia solo libertatis rationi consentientis usu continentur. Quemadmodum autem ea, quae ab natura accepimus, iura non licet poenis sumendis tueri, nisi adversus quos ex pacto animadverti possit, ita etiam quae pactis iura adepti sumus, vi et armis, non poenis, defendenda sunt, praeterquam si aliud de punienda iniuria pactum accesserit. Nam quum ius quidem, quod in libertatis rationi consentientis usu positum sit, pactis non mutetur, sed res, in quibus ius exerceatur: nihil aliud ad ea iura, quae pactis debentur, conservanda suscipi potest, quam quod ad illa tuenda facere licet, quibus a natura sumus donati. Itaque ne societas quidem ulla est, quae per se poenis contineatur, nisi si omnibus ita placuerit. Quod si qua tamen sit societas, quae ius puniendi per se et necessario habeat, ipsa eius notio hoc debet in se comprehendere, puniri posse, qui eius leges violaverint. Eiusmodi societatis exemplum plurimi civitatem esse existimant, alii aliis ducti argumentis. Qui in duas maxime partes discedunt, alteris in felicitate, alteris in securitate finem civitatis ponentibus. Horum illi praecipue, qui felicitatis caussa civitates congregari putant, quum non invenirent, quomodo ad suam aliorumque felicitatem curandam

poenis adigi homines possent, modo ad ius summi imperii, modo ad iuris dicundi potestatem confugerunt. At neutra ratio ferri potest. Nam imperium, quod scilicet a dominatu distinguendum est, ius est praescribendi aliis, quid facere debeant ad suum ipsorum aliquem finem, etiamsi simul alienus sit, obtinendum. Hoc ius autem, ut omnia iura, vi quidem exerceri potest, sed quare poenas complecti putetur, vix explicaveris, nisi ex illorum opinione, qui ab imperante omnia iuberi posse existimant. Nimirum hi homines imperium, quod in eorum praeceptione positum est, quae ad finem societatis necessaria sunt, cum voluntate societatis, qua illud nititur, confuderunt. Nam sane sociorum consensu puniendi ius constitui, imperioque tamquam adminiculum aliquod addi potest. Quare, ut ad civitatem redeamus, nisi ipso fine civitatis, solo imperandi iure certe poenae non sunt comprehensae. Deinde quod ad iuris dicundi potestatem attinet, ea quum sit facultas iudicandi, violatum sit ius, necne, decernendique, si sit violatum, quomodo defendendum sit, quam facultatem, quae laesi propria est, unusquisque civis civitati commisit; sequitur, non ultra pertinere iudicis sententiam, quam ad ea, quae laeso, aut civitati, laesi nomine, ad restituendum ius, quod imminutum erat, facere licitum est. A quibus si poenae exclusae sunt, nihil pronunciare poterit iudex, quam cogi laedentem ad officium debere. In incerto igitur hac demonstratione relinquitur, quod ea probandum erat.

Propius veritatem sunt illi, qui finem civitatis in tutela omnis iuris, sive, quod idem est, in defendendo iustae libertatis usu ponunt. Ac sane quum ius civitatis cunctas ciuium actiones gubernet ac moderetur, non potest alius eius finis esse, quam qui ad omnia, quae homines faciunt, pertineat. Qui quum duplex sit, felicitas, et rationis dignitas, alterius utrius caussa civitates consociari necesse est. Atque universam felicitatem si homines in civitate consequi vellent, nihil plane efficerent, quia, quum de felicitate sua nemo alterius iudicio confidat, omnium voluntates sibi essent repugnaturae, aliis ea requirentibus, quae alii nollent remittere. Neque officii ratio permittit, illarum rerum

eligendarum facultatem aliis concedere, qua e nobis sublata libertatis nullus usus cogitari queat. Itaque alter tantum finis relictus est, qui iure tuendo continetur. Ex eo fine qui civitatem puniendi ius nancisci dicunt, ii sic disputant. Qui se finis cuiuspiam obtinendi caussa coniungunt, ii necesse est simul ad ea facienda consentiant, quae fini illi consequendo sint. Quapropter qui tuendae libertatis caussa aliquam societatem ineunt, propter hoc ipsum poenas, quibus carere non possint, iure et irrogant, et sufferunt. Ipso igitur fine civitatis puniendi ius constitutum est, nec peculiari pacto, tamquam accessio aliqua, adiungitur. Quae argumentatio quamquam valde probabilis et commendabilis est, tamen obscuritate quadam laborat, quae ante dispellenda est, quam, quid verum sit, appareat. Ac primo quidem sane ii, qui ad finem quemdam obtinendum sese coniungunt, simul ea se facturos promittunt, quibus finem illum consequantur: sed ea non possunt alia esse, quam sine quibus plane non essent id, quod volunt, assequuturi. Nam quae possunt adhiberi, aut quae facere utile est, ad illa quidem facienda, nisi disertim, non sunt putandi consensisse, quia haec in eo, de quo pacti sunt, non continebantur. Quamobrem si poenarum iustitia e fine civitatis derivanda est, probandum erit, securitatem sine poenis obtineri non posse. Videndum est igitur quid ad libertatis, ac iuris tutelam necessario requiratur. Ac patet nullam iniuriam, i. e. vim iniustam aliter, quam vi propulsari posse. Vim autem dicimus omnem eam faciendae alicuius rei aut omittendae necessitatem, quae lege virtutis non est comprehensa. Vis igitur, ea quae iniusta est, non iuris auctoritate, quam non timet, sed maiore quadam vi coercenda est. Itaque si qui libertatis tuendae caussa sese consociant, ii hoc ipso se obligant ad vim illis inferendam, a quibus laedantur. Vis autem duplex est, altera, quae illatam vim reprimit, qui proprie coactus dicitur; altera, quae ultro admovetur, adhibita necessitate duobus malis propositis levius eligendi. Illa superiore vi carere iuris defensio plane non potest, sine qua ne alterum quidem genus quidquam prodesset. Illa igitur quin necessario a civitate exercenda sit, non potest dubitari.

Sed quum multi casus sint, iique magnam partem inevitabiles, in quibus haec vis neque ad reprimendam iniuriam satis prompta, et ad satisfactionem exigendam plane inutilis sit, iure postulatur a civitate, ut illam vim adhibeat, quae mali impendentis metu pravas cupiditates contineat. Poenis igitur opus est in civitate. At hoc non eo valet, ut civitas per se ius puniendi habere existimanda sit. Nihil aliud ista demonstratione efficitur, nisi hoc, statuere poenas civitatem debere. Nam toto caelo haec differunt, puniri delicta posse, et punienda constitui debere. Nimirum poena per se, i. e. ipsa mali irrogatio, quae delictum sequitur, non est vis cogens, qua neque delictum impediatur; factum enim iam est; neque damnum laesi resarciatur; nam sive illud sit iam reparatum, seu rependi nequeat, poena tamen sumi potest. Itaque non potest huius mali infligendi ius quoddam cogitari, quod quidem e fine civitatis deducatur. Quod si qua tamen vis est in poenis, quae cives in officio contineat, ea in metu poenarum quaerenda est. Is autem, nisi si ius puniendi civitas habeat, nullus est. Vnde clarum est, non posse ius puniendi ex metu derivari, qui, nisi firmato iam iure puniendi, plane locum non habeat. Potius si omnia ea facere civitas et potest et debet, quae ad avertendam iniustam vim necessaria sint, consequens est, si inter illa ius puniendi numeratur, ut ius illud constituat et sanciat. Igitur legislatoris officium est, poenas criminibus proponere, quippe fine civitatis poenarum sanctionem flagitante. Cives autem ad sustinendam poenam non hoc ipso, quod cives sunt, sed propterea, quod legibus parere debent, obligati sunt. Omnis difficultas, quae hanc rem obscurat, in eo est, quod poenae significatio ambigua est. Nam quum poenae nomen hoc ipsum in se contineat, iure quo dam malum alicui inferri, facile patet, quomodo sub his verbis latere possint ii, qui quum ius sive potius obligationem ad constituendum ius puniendi civitati adscribere debeant, aliud dicere se arbitrantur, si ei ius poenae infligendae esse contendant. Nam si poenae nomen ius quoddam in se comprehendit, nihil aliud dixerint illi, quam ius habere civitatem ad constituendum ius puniendi, quae nostra sententia

est. Et sane idem est, seu ius puniendi seu poenas constitui dixeris: quia, quum poenae constituuntur, ius ad puniendum sancitum est. Sed nimirum si quaeritur, num civitas ius puniendi habeat, eo non debet hoc significari, num constituere poenas possit, quod non est dubium, sed num ius habeat, ei, a quo quis laesus est, malum infligere, quod malum, si possit iure inferri, poenae nomine appellandum sit. Hoc malum autem supra demonstravimus nihil ad finem civitatis obtinendum conferre: quapropter, quum ad ea tantum ius civitatis pertineat, quae consequendo eius fini sint, nullo iure potest irrogari. At vero metus huius mali, qui eius inferendi iure nititur, quum non modo utilis sed etiam necessarius sit ad conservandam civitatem, constituendum esse ius puniendi apparet, quo metus iniiciatur omnibus, qui iniurias moliantur.

Quodsi igitur in ipsa etiam civili societate poenae expressa quadam sanctione, quae tamen propter finem civitatis necessaria est, indigent, duae res inde consequuntur, quas mireris eorum quoque sententia comprobari, qui quum per se ius puniendi civitatem habere contendant, contrariam opinionem deberent amplecti. Ac primum si poenarum irrogationem lege niti oportet, non possunt ea delicta puniri, quibus poenae non fuerunt propositae. Etenim quidquid mali laedentibus daretur, quod antea non esset denunciatum, id quum ad deterrendum nihil valeret, ut a fine civitatis abhorrens, iustitia destitutum esset. Deinde ne maius quidem malum, quam definitum erat, inferri potest iis, qui aliquem laeserunt, quam vulgo exasperationem poenarum vocant. Nam si quid mali ei malo, quod lege constitutum erat, adderetur, id propter eamdem rationem, quod e fine civitatis non flueret, pro iniusto habendum esset.

Haec habui, quae de fundamento iuris puniendi dissererem. Quae ut unice veritatis caussa disputata essent, ne sic quidem vererer, ne operam lusissem. Nam veri scientia defectum utilitatis sua quadam dignitate compensat. Sed tantum abest, hoc argumentum ut careat utilitate, ut permagnam habeat, praesertim in iure civitatis definiendo. Quae ut verbis comprehendi potest paucissimis, ita re ipsa

pene immensa est. Neque enim aliter, quas iniurias punire civitas nequeat, quas possit punire, quas denique debeat, poterit intelligi. Quod quantum sit, is demum animo concipiet, qui praeter istud, quod scriptum vel consuetudine firmatum est ius, aliud ius esse, quo illud niti debeat, meminisse consueverit. Mihi quidem haec indicasse nunc satis est.

DE

POESEOS

GENERIBVS.

CIƆIƆCCXCIV.

I.

De recta ratione dividendae poeseos.

Poesis inter caeteras artes, quae animi oblectandi caussa inventae sunt, tum argumentorum multitudine ac varietate, tum tractationis diversitate ac dissimilitudine tam late patet, ut in illo philosophiae loco, qui artium praecepta tradit, ea semper et gravissima et difficillima quaestio habita sit, quot sint et quae genera poseos. Nam quum philosophorum disceptationes longe maximam partem ad singula carminum genera spectent, primum omnium, quominus temere quidquam et inconsiderate praeciperetur, universa poeseos ratio in eas partes dividenda ac describenda erat, quae et ingentem eius amplitudinem explerent, et ipsae inter se clarissime distinguerentur. In quo etsi inde ab Aristotele usque ad hanc aetatem plurimi elaboraverunt atque acutissimi homines, minus tamen videntur absolvisse hanc inquisitionem, quam propius veritatem adduxisse. Quod hoc minus mirum est, quod plerique, id ipsum quid esset, poesin in sua genera dividere, non videantur satis perspectum habuisse. Cuius rei plena ac perfecta cognitio nisi omnem istam de poeseos generibus disputationem antecesserit, numquam poterit eo perveniri, ut exclusis iis, quae ab usu atque experientia petenda sunt, primae tantum necessariaeque poeseos partes, eaeque omnes, dividendo comprehendantur. Neque enim

ea a philosopho exigenda est poeseos generum expositio, in qua cunctae carminum diversitates enumerentur, quod ne fieri quidem potest in re arbitraria; immo ne illud quidem iure postulatur, ut potissimas divisiones, et quae plurimum momenti ad artis explicationem afferant, pertractet, sed in hoc solo eius continetur officium, ut ea, quae ex ipsa poeseos natura derivari possunt, plene et perspicue exponat atque illustret. Reliqua omnia etiamsi vel gravitate vel utilitate maxima sint, a philosophia, cui materiam disputationum, non caussas, ab experientia sumere licet, ad historiam debent transmitti. Quodsi ex una poeseos notione totam hanc generum eius investigationem proficisci, in eaque niti oportet, intelligitur, duos fuisse omnium errorum, quibus haec philosophiae pars abundat, fontes et caussas; primam, quod, quid esset poesis, plerique non satis perspexerint, alteram, quod exempla poetarum magis, quam poeseos naturam, spectaverint. Atque e notione quidem poeseos qui petere potuerunt veras partium eius distinguendarum caussas, quam plerique mancam, quidam adeo falsam haberent, ut pro nulla esset? Quod minus horum virorum subtilitati, quam fato fortunaeque imputandum est, quae harum quoque rerum scientiam ad recentissimam philosophiae commutationem distulit. Sic qui vel metro, vel imitatione, vel fictione, vel furore quodam, vel oratione ad animos commovendos accommodata, vel variis harum rerum coniunctionibus poesin contineri existimarunt, quam pravas inde atque inutiles distinctiones hauserint, plurima exstant documenta. Inde est, quod Aristoteles, qui in imitatione poesin sitam arbitrabatur, Empedoclem poetam esse negaret, eoque maximam partem didacticae poeseos plane tolleret. Imitationem enim in hoc genere nullam reperiebat, quoniam, ut putabat, eos tantum imitarentur poetae, qui aliquid agerent. Quae ipsa opinio deinde eum adduxit, ut, quum eos, qui aliquid agerent, hoc differre censeret, quod alii similes essent eorum, quales plerique sunt, alii meliores, alii deteriores, eorum, qui meliores essent, imitationem tragoediam, qui deteriores, comoediam esse diceret. Idem Aristoteles ex eadem caussa, qua insignem partem poe-

seos repudiaverat, alienum et peregrinum scriptionis genus, dialogos Socraticos addendos existimavit; in quibus nimirum non ea narrarentur, quae ipse disputasset Socrates, sed, quasi illa dixisset, imitando exprimerentur. Pariter illi, quibus poesis fictione censeri videbatur, fabulas eas, quae Romanenses vocantur, inter poeseos genera numerarunt: quem errorem ii, qui incertam oblectationis notionem sequuntur, ita vulgo propagaverunt, ut, qui aliter sentiant, perpauci reperiantur. Quodsi animadvertissent, eadem re istas narrationes a carmine epico distare, qua oratores etiam in eiusdem argumenti explicatione a poetis differunt, oratoris artem illis scriptoribus, non poetae, addiscendam statuissent. Haud melius a plerisque de fabellis Aesopicis disputatum est, quas non ob tractationis rationem, qua una poetae a caeteris scriptoribus distinguuntur, sed ob solam fabulae fictionem ad poesin retulerunt, ut primus Romanorum poetarum esset Menenius Agrippa. Quae falsae atque incertae poeseos notiones etsi plurimorum maximorumque caussae vitiorum fuerunt, nescio tamen an multo maior ex eo exstiterit errorum multitudo, quod plerique, unice exempla poetarum amplexi in iisque defixi, vel rerum descriptarum dissimilitudine, vel tractationis diversitate ita capi tenerique se passi sunt, ut ea, quae separanda essent, miscerent; quae coniungenda, disiungerent. Nam in exemplis quidem neque ea omnia reperiuntur, quae a poetis carmine disseri possunt, et ea, quae inde petuntur, diligenter sunt cognoscenda atque examinanda, in iisque, quae aliena, quae mutabilia, quae fortuita sunt, discernenda ac seiungenda, ut illud, quod differentiae caussam in se continet, purum incorruptumque relinquatur. Nihil enim difficilius ab iis, qui exemplorum comparatione aliquid effici existimant, evitari potest, quam ne in iis, quae veris diversitatibus aut necessario aut plerumque adhaerent, vel quae levium aut plane inutilium discriminum notae sunt, divisionum rationes ponant. Nam illa, quibus vere aliud poematis genus ab alio discrepat, raro per se patent, et in omnium quasi conspectu posita sunt, sed plerumque eorum, quae statim in oculos incidunt, caussas continent, multoque per-

tinent latius, quam exemplorum universa vis et multitudo. Quamobrem, qui haec non viderit probeque intellexerit, incertus turbatusque in tanta ac tam confusa diversitatum copia vagabitur, donec id, quod maxime probabile visum fuerit, avide amplexus, quidquid obstet, aut utcumque tollendum, aut ignorandum decreverit. Sic Battesius mira quadam facilitate, quum lyrica carmina detraxisset, reliquam poesin omnem, quam, Aristotelem sequutus, in imitatione agentium aliquid sitam putabat, ita, quod ad argumenta, distribuit, ut eam aut deos, aut reges, aut ex populo homines, aut pastores, aut denique bruta animalia imitari diceret, itaque heroicum carmen, tragoediam, comoediam, pastoriciam poesin, et fabellas Aesopicas inter ipsa distingueret. Eadem levitate plerique omnes, alii aliud sequuti, plane dubiam et incertam hanc totam disputandi rationem reddiderunt, quorum in numero illos ne ponam quidem, qui, ut Eschenburgius, unumquodque poeseos genus ex eo, quod plerumque fiat, definientes, non videntur quidquam ad philosophicam harum rerum investigationem voluisse contribuere. Quodsi in hac tanta sententiarum multitudine ac discrepantia veri inveniendi aliqua spes est, ea magnopere vereor ne addendo, detrahendo, corrigendo minuatur potius, quam crescat. Nam quum in iis maxime rebus erratum fuerit, quae totius disceptationis fundamenta sunt, non videmur aliter ad veri scientiam pervenire posse, quam si, relictis omnibus, quae antea in hoc genere viri docti disputarunt, de integro rem ordiri conemur. Est igitur ab notione poeseos incipiendum, e qua tamquam ex fonte suo, principales necessariaeque poeseos partes omnes hauriri debent. Ea autem quum duas res contineat, alteram, qua in pulcris artibus poesis numeretur, alteram, in qua usus cernatur et vis artis: duas habebimus dividendae poeseos caussas, unam, quae ad tractationis, alteram, quae ad argumentorum diversitates spectet. Quarum posteriorem primo loco pervestigabimus, propterea quod convenientius videtur, prius, quid tractare possint poetae, quam, id ipsum quomodo tractandum sit, cognoscere. Postquam autem hanc utramque rem absolverimus, de nonnullis earum divisionum disseremus, quae aliunde, quam ex

ipsa poeseos natura petitae sunt; non quo supplere velimus, quae antea omitti debuerint, sed partim ut errores eorum, qui istis divisionibus male usi sunt, confutemus, partim ut veram earum dignitatem atque utilitatem ostendamus. In qua omni disputatione si qui forte sunt, qui arrogantiae cuidam et fastidio tribuant, quod confidentius omnia et sine excusationum captationibus dixerim, eos vehementer rogo, ut sibi persuadeant, me non eam iuvenilis parumque exercitati ingenii vim esse credere, ut nihil erraverim, sed haec tamen scripturum non fuisse, nisi vera putarem. Nam ne homini quidem adolescenti eam in philosophia adhibendam esse modestiam arbitror, ut videri sibi omnia dicat, sed eam, quae est, non videtur, modestia, ut aequo animo ferat, si id, quod tamquam certissimum proposuerit, ab aliis refutetur, et veri, quod illi invenerint, eumdem ducat honorem esse, ac si suo erutum esset studio.

II.

De notione poeseos.

Omnia, quae arte fieri dicuntur, e fine aliquo, cuius caussa comparata sint, iudicantur. Qui si certus quidam et verus finis est, mechanica arte facta dicuntur; (quo vocabulo patet hic non tantum eas artes intelligi, quae mathematicorum regulas et manuum operam exigunt, sed omnes artes, in quibus, quid sit illud, quod efficere artifex debeat, clarum definitumque est) sin absque certo fine speciem tamen consilii cuiusdam prae se ferunt, pulcrarum artium opera vocantur. In hoc ipso enim pulcritudinis natura posita est, quod non certi cuiusdam finis cogitatione, sed quadam tantummodo specie consilii, quae animi viribus exercitandis accommodata est, iudicatur. Nam voluptas quidem illa, quae ex pulcritudine percipitur, non potest pro fine haberi, qui pulcra arte obtineatur. Etenim quia pulcrum aliquid esse non ex voluptate cognoscitur, quae demum perspecta pulcritudine locum habet, tantum abest, ut voluptatis cogitatio artificem, quid pulcrum sit, docere queat, ut, nisi perfecto opere, ne cogitari quidem ulla voluptas possit. Distinguun-

tur autem pulcrae artes materia, in qua ista consilii cuiusdam species exprimatur. Quarum ei, quae in cogitationum apta et congruente compositione versatur, a dicendo Germani, nescio an male, nomen fecerunt. Nam quum duplex sit illa ars, prout aut unice pulcritudine censetur, aut praeter hanc etiam ad utilitatem spectat, primum genus poesin, alterum eloquentiam appellarunt. Quodsi commune nomen quaerebant, quo utrumque genus ad pulcras artes referretur, poeseos vocabulum adhibendum erat, quippe haec ipsa continens, quibus quaevis dicendi ratio in pulcrae artis operibus numerari queat. Oratoris enim ars eatenus tantum ad pulcras artes pertinet, quatenus sola pulcritudine aestimatur, quae poeseos est natura; ubi autem persuadendi consilium, argumentorumque vis et pondus spectantur, in illarum numero artium ponenda est, quae certi cuiusdam finis cogitationem requirunt. Itaque qui poetae et oratoris artem unius cuiusdam pulcrae artis nomine complectuntur, pariter in generis definitione videntur errare, et divisionem male instituisse. Nam et pulcrae artis vocabulum latiore, quam licet, significatu sumunt, eloquentiam eo referentes, et poesin tum a maiore illa arte, quae nihil aliud quam ipsa poesis est, distinguunt, tum ab eloquentia, quae poesis est alii arti adhaerens, plane diversam quamdam artem esse existimant. Quamobrem rectius videmur ita statuere, eam de pulcris artibus, quae cogitationum apta compositione continetur, poesin esse, eamque, quum orationi certum quemdam finem habenti adiungitur, eloquentiam vocari. Igitur eloquentia per se non est in pulcris artibus numeranda, sed omnis rhetorum disciplina additamentum erit illius, quae de poesi agit, disputationis, neque aliam vim habebit, nisi ut usum poeseos in ea oratione, qua veritas explicatur, demonstret.

III.

Divisio poeseos ex argumentis.

In poeseos autem generibus investigandis duas res, ut supra dictum est, spectare convenit, materiam artis, quae

cogitationes sunt, et formam. Ac cogitationum quidem diversitates, quas perspicuitatis caussa primo loco pertractabimus, quum ab experientia, quae tum rerum inexhausta multitudine, tum notarum coniunctissima affinitate animum obruit atque confundit, sumi nequeant, ad ipsum animum hominis cogitantis redeundum est, atque inde, quomodo aliquid, quidquid illud sit, cogitatione persequatur, cognoscendum. Non potest autem hic alia cogitationum compositionis discrepantia cogitari, quam haec, quod aut per se et necessario cohaerent, aut animi libere vagantis arbitrio iunguntur. Nam quum neque leges cogitandi, quas ubique observari necesse est, spectare hic liceat, neque rerum tractandarum diversitates, quae ab experientia petendae sunt, eo trahi debeant, sola necessitatis ratio, qua inter se iunctae sint cogitationes, ad aliquod discrimen constituendum relicta est. Ea autem hoc iudicatur, quod ea, quae quis oratione exponit, aut illa ipsa re, quam tractat, continentur, aut ipsius dicentis opinione, rerum similitudines, propinquitatesque captantis, nectuntur. Philosophorum sermone altera subiectiva, altera obiectiva cogitationum coniunctio diceretur. Inde duo genera poeseos nascuntur, alterum, quod ex rei alicuius partiumque eius enarratione constat, alterum, in quo poeta, nullis argumenti finibus inclusus, libere, quidquid videatur, arripit componitque. Quorum postremum lyricae poeseos nomine appellabimus, cuius ab iis tantum corrupta est significatio, qui falsa definitione decepti aliena et peregrina illuc retulerunt. Alterum genus nisi quis ab rei alicuius expositione, exegeticum nominare velit, epicum vocari suaserim, sive ab heroici carminis dignitate, sive quod hoc vocabulo argumentum potius, quam tractationis ratio designari videatur.

Hac divisione alia nititur divisio, quae quidem ad eam tantum, quam epicam poesin diximus, pertinet. Nam quum in lyricis carminibus cogitationum coniunctio plane libera, nullisque omnino legibus adstricta sit, ex hac certe nullae ducentur notae, quibus in aliquas partes dividi queat. Epica vero poesis quum necessariam quamdam, ipsiusque argumenti natura definitam cogitationum cohaerentiam contineat,

sane quaeri potest, quot et quibus modis fiat ista copulatio. Cuius rei explicationem categoriae relationis praebebunt, quibus omnis notionum coniungendarum ratio descripta est. Ex iis autem intelligimus, quae rerum praedicata a philosophis appellantur, aut ut accidentia substantiae inhaerere, aut ut effectus e caussis suis derivari, aut ut partes mutuo nexu sese sustentare. Atque orationis quidem ea ratio, qua rerum notae, ut accidentia substantiae, rebus adhaerentes enumerantur, descriptio dicitur; illa porro, qua caussarum quarumdam effecta exponuntur, narratio vocatur; tertia denique, qua omnium partium, e quibus aliqua res constat, cohaerentia explicatur, doctrinae nomen habet. Vnumquodque horum generum orationis unam e tribus animi facultatibus sibi propriam, qua regatur, vindicat; ac descriptio quidem phantasiam, quod omnia, quae poeta refert, ipso rei alicuius contuitu suppeditantur; narratio intellectum, quia, etsi necessario effecta cum caussis cohaerent, in ipsis tamen caussis non insunt, sed mentis complexione adiunguntur; doctrina denique rationem, cuius officium est principia ponere, quae rerum multitudine in unum coniungenda singularum partium cognitioni inserviant. Poetas igitur, qui ea tantum, quae in carminum suorum argumentis reperiuntur, exponunt, aut describere aliquid, aut facta narrare, aut rerum mutuam coniunctionem e principiis quibusdam colligere necesse est. Itaque tria epicae poeseos genera sunt, diagraphicum, diegeticum, et didacticum.

Haec ne pravo usu ad falsas quasdam opiniones deflectantur, operae pretium videtur explicationis gratia quaedam addere. Ac primum nequaquam ista epicae poeseos definitione id effectum est, ut lyricis poetis describendo, narrando, docendo interdictum sit. Immo nihil est harum rerum, quin frequentissime in lyricis carminibus inveniatur. Verum si consilium lyrici et epici poetae rationemque tractationis consideramus, nulla difficultate alterum ab altero licet distinguere. Lyrici enim poetae non rerum plenam cognitionem curant, sed raptim, ut quidque idoneum videtur, decerpunt, et descriptiones, narrationes, demonstrationes non

ipsarum caussa, sed aut aliam aliquam rem, aut suum quemdam sensum cupiditatemve respicientes, adhibent. Atque etiam quum toti in describendo, in narrando, in docendo versantur, facile ex eo cognosci possunt, quod cogitationum coniungendarum caussas non tam e carminum argumentis, quam suo ex animo sensuque videantur petere. Multis enim modis rerum notae colligi, argumentationesque et narrationes quoque institui possunt, si quis suae libidini, quam rerum conditionibus, obtemperare malit. Id, si qui forte sunt, qui exempla requirant, nescio an nequeat fortius comprobari, quam illo carmine, quod in cantico Salomonis legitur, capite quinto, inde a versu decimo usque ad finem. Ibi puella amatorem suum describens non, is ut cognosci possit, efficere studet, quod rogata tamen erat, sed, amore adducta, suae cupiditatis in omni descriptione signa exprimit.

Deinde ne hoc quidem lyricae et epicae poeseos disiunctione firmari voluimus, in epicam poesin nihil e lyrica transferri posse. Ac sane in epicis quoque carminibus haud raro lyricorum munere funguntur poetae. Quae quidem res nihil plane obstat, quominus statim unum genus ab altero liceat distinguere. Nam, ut paullo ante dictum est, epica poesis eo continetur, quod unice rerum plenam cognitionem spectat; lyrica, quod poetae libidine hic illic aliquid arripientis regitur. Sic Homerus quum alibi saepius, tum in utriusque carminis principio et ubicumque Musas invocat, lyricus poeta est, quamquam quis dubitet, quin is unus omnium epos facere plane sciverit? Aliter Ossianus, qui, aeque lyrica et epica poesi excellens, utrumque genus ubique miscuit. In quo quis non facillime lyrica ab epicis carminibus diiudicet, si consilium poetae, aut rem aliquam narrare volentis, aut narrationes ad suum aliquem sensum accommodantis, perpenderit? Eodem modo quis haesitabit, quo Pindari Argonautica, quo Apollonii referenda sint?

Denique ista lyricae et epicae poeseos definitione assumta non erit difficile, quaedam carminum genera, quae hactenus dubium et incertum fuit quo pertinerent, ad suum quaeque locum revocare. Sic cantiones illae, quae facti alicuius narrationem continent, (nostri Romanzen et Balla-

den vocant) inter lyrica carmina vulgo numerantur, propterea quod lyricam poesin tribus partibus absolvi, odis, cantionibus, et elegiis vulgo existimatur, quo nihil perversius cogitari potest. Nostra quidem si vera est sententia, dubitari nequit, quin ista carmina ad epicum genus, in eoque ad diegeticam poesin pertineant. Contra fabellae Aesopicae et universa epigrammatum, quae nunc vocantur, ratio lyricae poesos partes sunt, quippe nullam rem ipsius rei caussa, sed ut aliquo referatur, exponentes. Quae autem Graeci, aculeum non requirentes, epigrammata nominant, lyrica pariter atque epica sunt. Eodem modo ea, quae allegorica carmina appellantur, hoc ipso, quod allegorica sunt, nusquam possunt referri, sed si rem spectes, quam imaginibus involutam continent, aut lyrico generi adnumerari debent, aut epicae poeseos partibus, diagraphico, diegetico, et didactico, e quo Ilias atque Odyssea essent, si quorumdam grammaticorum somnia sequeremur.

IV.

Divisiones poeseos e forma, ac primum e forma mutabili et immutabili.

Posteaquam de materia poeseos explicatum est, formae ratio, propter quam series aliqua cogitationum in pulcrae artis operibus numeretur, est investiganda. Quae quum unice in pulcritudine posita sit, ex eo, quod pulcrum dicatur, reliquas petere oportebit poeseos diversitates. Ac pulcritudinis vocabulo non id solum, quod sublimitati opponitur, sed quod huic utrique rei commune est, intelligimus, illam alteram pulcritudinis partem formositatis nomine appellantes. Quodsi ea, quae Kantius de formositate et sublimitate disputavit, diligenter inter ea comparamus, hoc nobis videmur colligere, sublimia pariter ac formosa ita esse comparata, ut, tamquam ad finem aliquem referenda sint, etsi, quo referantur, nihil est, apto quodam lusu mentis vires exerceant. Quae postea, ubi de formositate ac sublimitate dicendum erit, longius erunt persequenda. Nunc quidem illam rerum conditionis ad finem aliquem, qui vere nullus finis

est, comparationem, (Latine finalitatem formalem dixeris) antequam eius partes spectemus, alia quadam ratione considerabimus. Est enim illa finalitas aut necessaria quaedam et immutabilis, aut mutabilis ac fortuita. Quod primo quidem adspectu falsum videri necesse est, quia, ubi, qui sit iste finis, ad quem aliquid referatur, indicare non licet, diiudicari non potest, necessariumne sit, quod ei consequendo factum existimetur, an fortuitum. Ac sane ipsa per se pulcritudo nihil continet, quo immutabilis iudicari queat, sed id, si quidquam usquam est, aliunde est petendum. Itaque tum demum necessaria et immutabilis dici pulcritudinis ratio potest, quum eadem forma, qua pulcritudo nititur, simul vero aliquo fine aestimatur. Id autem dupliciter fit, aut quum verus iste finis certus quidam definitusque est, aut quum forma rei ex incerto quidem, at omnino tamen vero aliquo fine pendet. Ad priorem casum illa, quam fixam adhaerentemque formositatem Kantius vocat, pertinet: quae si humana arte facta est, rem, cui adhaeret, a pulcrarum quidem artium operibus excludit, ut eloquentiam architecturamque. Altera vero ratio in quibus artium operibus observatur, ea nihilominus pulcrarum effecta artium sunt, propterea quod, quum certo quodam fine careat, non impedit, quominus solam pulcritudinem spectent artifices. Censetur autem illa aequabili omnium partium proportione, (Graeci *συμμετρίαν*, nostri Regelmässigkeit vocant) quae quamquam certum finem per se nullum habet, cogitari tamen nequit, nisi ita, ut omnino ad verum aliquem finem, quicumque ille sit, referatur. Nititur enim haec aequabilitas regula quadam, quae formae rationem describat, ob eamque rem non pulcritudine, sed perfectione iudicatur. Haec regula quia absque certo quodam fine observatur, in ipsis rerum formis eluceat necesse est, quod non potest aliter fieri, nisi ita, ut quaeque pars alteri normam praebeat, quod ipsum symmetria vocatur. Cuius qui finis, quae caussa sit, scire, ad formae quidem perfectionem iudicandam non est opus, ut in illis formis, quae symmetrica proportione carent.

Quae autem ex hac formae aequabilitate et inaequabilitate ducitur carminum divisio, ea licet ex ipsa notione poe-

seos derivari non possit, tamen ne in illarum quidem numero ponenda est, quas sola experientia suppeditat. Illae enim in eo, quod naturam poeseos continet, nihil mutant, atque idcirco, ubi de hac sola agitur, omitti debent. Quod quum plane contrarium sit in aequabilitate illa, patet, eam non potuisse praeteriri. Neque enim recte disputari de poesi potest, nisi, id ipsum, in quo eius natura cernitur, quas mutationes admittat, explanatum fuerit.

Atque ex illa aequabilis et inaequabilis pulcritudinis differentia quaedam poeseos divisio nascitur, quae propter ingens momentum semper animadversa, propter difficultatem vero nondum plane explicata fuit. Nam quae carmina cantionum nomine appellantur, ea sunt, in quibus aequabilitate illa, quam diximus, pulcritudo regitur. In quo genere poeseos illustrando qui illud quadam laetitiae et hilaritatis expressione, omnem sublimitatem seiungentes, contineri statuunt, plane nihil ad eius cognitionem existimandi sunt contribuisse. Ista res enim ut omnino apta dignaque sit ad aliquam poeseos divisionem faciendam, certe in iis carminibus, quae omnium sensu cantiones putantur, neque unice nec necessario reperitur. Propius veritatem illi accesserunt, qui aequabili aliqua animi affectione exprimenda cantiones a caetera carminum multitudine differre arbitrantur. Qui quamvis veram discriminis caussam non tetigerunt, (nam ex eorum sententia multa carmina ad hoc genus pertinerent, quae nemo cantiones esse sibi persuaserit) non tamen plane errarunt, quia istam affectionis aequabilitatem e totius formae apta proportione et comparatione oriri necesse est. Hac autem sola cantionum naturam contineri unusquisque vel e sensu suo, vel ex eorum, qui cantiones faciunt, consilio colligere potest. Nam illa quidem carmina, in quibus poetae affectio omnibus legibus, nisi quas argumentum praescribit, soluta est, nemo ad cantiones retulerit, quippe frenis quibusdam cohiberi in hoc genere eius libidinem postulans. Quae quum argumenti ratio, quod in cantionibus aeque epicum ac lyricum esse solet, iniicere poetae nulla possit, qua alia re, nisi ipsius formae quadam aequabili comparatione observanda, coercebitur. Hanc autem comparatio-

nem necessario curare debet is, qui cantiones facit, propterea quod in hoc genere carminis non tam suae cuidam libidini obsequutus, quam regulis quibusdam, quae omnium assensu comprobentur, ductus videri cupit. Ac plerumque eo consilio componuntur cantiones, ut ab quovis homine cantari queant: eaque prima videtur huius proportionis origo fuisse, quae deinde etiam sine istius usus cogitatione recte ac iure usurpata est. Cernitur autem ista aequabilis proportio primum ac praecipue in ipsis cogitationibus: tum vero etiam animi affectiones certa lege moderandae sunt; orationis quidam congruens sibique constans ornatus adhibendus verborumque complexiones longitudine pares et partibus similes instituendae; metri denique libertas systematibus coercenda, et in his quoque ea, quae lyrica metra propter mensurae varietatem dicuntur, vitanda. Quis enim vel heroicum versum, si solus adhibeatur, in cantionibus ferat, qui vel syllabarum numero, vel caesurarum dissimilitudine omnem aequabilitatem respuit. Harum rerum omnium nescio an nequeam clarius exemplum ponere, quam Horatii illud, donec gratus eram tibi.

Ex iis, quae hactenus de cantionibus dicta sunt, patet, eas nequaquam ad lyrica carmina referri posse, quod, quantum equidem sciam, ab omibus factum est. Quae si maximam partem lyricae sunt, id eo fit, quod plerumque iis sensibus excitandis adhibentur, qui quibusdam occasionibus iterari, multorumque communem voluptatem consociare possint. Epicam tamen poesin nihilominus aptam esse cantionibus, illustre documentum e genere diegetico praebent illa carmina, quae ab nostris Balladen et Romanzen appellantur: nec deerunt poetarum scripta evolventibus diagraphici didacticique generis exempla.

V.

Divisio poeseos in pulcram et sublimem.

Accedimus ad alteram formae pulcrarum artium diversitatem, qua omnis pulcritudo in formositatem et sublimitatem dividitur. Ac quum pulcritudinis universa vis in eo

posita sit, quod mentem in ipsa rerum contemplatione apto quodam lusu exerceat, necesse est, eam specie quadam finalitatis vero fine carentis niti. Hac enim una ratione eiusmodi lusus cogitari potest. Itaque non tantum in formositate, quod e Kantio aliquis possit colligere, sed etiam in sublimitate formalis illa finalitas inesse debet. Nam si qua res, sive illa formosa seu sublimis, non contineret quamdam speciem finalitatis, animi vires ea re ad aptum quemdam motum nullo pacto possent impelli. Illa autem finalitatis fine carentis forma duplex esse potest, aut internae, aut externae, quemadmodum omnis vera finalitas nunc interna est, quae perfectio, nunc externa, quae utilitas dicitur. Atque internae quidem finalitatis forma formositas est. Censetur enim omnium partium ad unum quiddam, quod quid sit, notione nulla comprehendi potest, conspiratione; ob eamque rem formosa per se placent, neque egent, quo referantur. Quae autem inde voluptas percipitur, ea ad intellectum pertinet, cuius officium est, in iis, quae oblata sunt animo, aliquam unitatem efficere. Quod vero ad sublimitatem attinet, eam si externae finalitatis forma contineri dixerim, verendum mihi est, ne id ipsum repugnare sibi videatur, cogitari aliquam posse, quae externa sit, formalem finalitatem. Nam quum nihil usquam esse possit, quo aliquid, ubi de sola forma agitur, foras referri queat, formalis externae finalitatis notionem plane inanem sibique ipsi contrariam videri necesse est. Verum diligentior huius notionis consideratio nescio an alia omnia, quam quae primo adspectu videntur, aperiat. Nam si quaerimus, quale id esse debeat, in quo externae cuiusdam finalitatis forma reperiatur, necessario, quia nihil est, quo vere referri possit, eiusmodi quid continere debet, quo iudicetur non esse per se plenum atque absolutum. Id autem quia certis rerum notionibus nihil hic loci est, non potest aliud quidquam esse, quam magnitudo, ac non ea quidem magnitudo, quae numero et mensura conficitur, ob eamque rem semper plena definitaque est, sed illa, quae unice sensu aestimatur, solaque adeo crescere potest, ut tota comprehendi nequeat. Haec igitur quia nec per se absoluta est, quippe ad aliud

quid, quod extra eam est, referenda, neque absolvi tamen ullo modo potest, propterea quod, si posset finiri, notione aliqua includeretur et formalis finalitatis naturam amitteret, recte, arbitror, externae finalitatis formalis nomine appellatur. Ea magnitudo autem quod sensuum captum longe excedit, non ad intellectus, qui data solum ordinat, notiones, sed ad rationis, infinitorum supremam conditionem requirentis, ideas excitandas idonea est. Sic etiam intelligitur, quare formosae dici ipsae res possint, sublimes non possint: formosae enim res in se ipsis notionis quamdam formam, qua formatae sint, expressam habent; sublimes quae dicuntur, ideam, quae exprimi non potest, indicant tantum et velut e longinquo monstrant. Quare voluptatis quoque in sublimitate alia atque in formositate ratio est. Formosa enim per se et statim placent: quae res autem sublimes vocantur, eae primo non solum, quod sensu comprehendi nequeunt, sed etiam, quod, si per se solae spectantur, nulla finali forma iudicari possunt, iniucunditatem creant: postea vero, quum eo, quod ad infinitam magnitudinem referuntur, rationis vim excitarunt, nec formali finalitate, nec voluptate carent.

Haec pulcritudinis in formositatem ac sublimitatem divisio quo melius intelligatur, ad fontes eius atque principia adeundum est. Ac quum notiones in pulcritudine nullae sint, missa informationis earum ratione, quae posterioribus categoriarum momentis descripta est, illa tantum considerari oportebit, e quibus formantur. Nam etsi certis notionibus pulcritudo caret, illa tamen adesse debent, unde possint omnino formari notiones, quia, haec si abessent, ne haberet quidem mens, in quo lusum quemquam experiretur. Requiruntur autem ad quamlibet notionem formandam duae res, prima, quae alius cuiuspiam rei auxilio cognoscatur, altera, cuius auxilio illa cognoscatur; subiectum praedicatumque philosophi appellant. Horum ad informandas notiones rationem quantitatem qualitatemque vocant. Quodsi e subiecti praedicatique, quae materia logica dicitur, coniunctione notiones efficiuntur, nec tamen pulcritudo, licet materia logica carere nequeat, certas notiones admittit: necesse est, in pulcritudine non totam materiam logicam, sed alteru-

tram eius partem inveniri. Igitur aut qualitate sola aut quantitate pulcritudo censetur. Ac qualitas quidem eo ad aliquam rem refertur, quae res quid sit nesciatur, quod ita aliqua forma (hac enim continetur qualitas) in unum quiddam conspiret, ut aliquid effici ista conspiratione videatur, etsi, quid illud sit, incertum maneat. Haec ratio formae, quae alicuius rei forma esse videtur, licet nullius sit, intellectus vim provocat: eaque mentis virium excercitatio formositatis sensum gignit. Quantitatis par ratio est. In qua ita solum mentis quidam lusus cogitari potest, ut ad qualitatem aliquam, qua definiri possit, licet ea qualitas nusquam ulla sit, referatur. Quamobrem eiusmodi quantitas nec certa finitaque esse debet, quippe cuius finis adhuc quaeratur, nec finienda umquam, quia, si posset finiri, mensurae et numeri notione circumscriberetur. Itaque necesse est, istiusmodi quantitas ut solo sensu aestimetur et ne comprehendi quidem tota sensu possit: quo fit, ut omni forma careat. Quum igitur forma, quae in iudicanda quantitate quaeritur, in sola magnitudine, quoniam a certis notionibus abstinendum est, nusquam inveniatur, rationis auxilium, etiam infinita in unum complecti valentis, adhibetur, qui mentis lusus sublimitatis sensum procreat. Haec omnia eo consilio exposui, ut sublimitatem aeque ac formositatem finalitatis formalis, quam pulcritudinem appellavi, notione contineri ostenderem, quae communis utriusque pulcritudinis notio ad artium explicationem plane est necessaria.

Tertia igitur poeseos divisio formosa carmina a sublimibus distinguit. Quae divisio quum pariter atque illae, quas antea commemoravimus, suo quodam ac proprio nitatur fundamento, non ad partem aliquam poeseos, sed ad universam poesin pertinet, quamquam ea non habet nomina, quibus ubique uti liceat. In lyrica quidem poesi usus ferme obtinuit, ut, exclusis cantionibus, sublimia carmina odarum nomine appellarentur: formosa nescio an recte elegiae vocari possint, cuius vocabuli vera significatio iam ab antiquis neglecta est. In cantionibus haec diversitas nomen nullum habet, quod iis maxime tribuendum est, qui, hoc genus totum ad lyricam poesin referentes, una divisione odas, can-

tiones, et elegias complexi sunt. In epicae poeseos partibus iis, quae rariores sunt, diagraphica et didactica, pariter nomina non exstant, quibus sublimia carmina a formosis distinguantur. In diegetico genere vero, quod multo latius patet, quaedam nomina sublimitatis et formositatis discrimen indicant. Sic illud, quod heroicum carmen vel epos vocatur, sola sublimitate ab similis argumenti poematibus differt. Pariter dramaticum genus, si sublime est, tragicum, si formosum, comicum nominatur. Cantionum quoque diegeticarum eas, quae sublimes sunt, nostri Balladen, quae formosae, Romanzen appellare consuerunt. Haec quidem nomina nihil aliud, quam exemplorum investigationem adiuvant, quibus in re tam perspicua vix egemus.

His tribus, quae hactenus explicatae sunt, divisionibus omnes diversitates, quae ex ipsa poeseos natura peti possunt, exhaustae sunt, planeque absolutae. Cognovimus autem primum lyricam poesin ab epica, cuius tres partes sunt, diagraphica, diegetica, et didactica, distinguendam esse: deinde epica pariter ac lyrica argumenta aut cantionibus tractari, aut cantionum lege non teneri; denique lyricum epicumque genus, sive cantionibus contineatur, seu liberum sit, formositate ac sublimitate iudicari. Reliquae omnes carminum differentiae quum usu demum atque experientia cognoscantur, ab ea poeseos dividendae ratione, quae philosophica dici mereatur, plane abhorrent. Quod quominus dubium cuiquam videri possit, praecipua quaedam illarum diversitatum exempla commemorabimus, ostendemusque, quomodo hoc genus totum tractari pervestigarique debeat.

VI.

De divisionibus fortuitis ex materia.

Ac quemadmodum supra e materia, e forma, atque ex ea formae parte, quae animi commovendi rationem continet, poesin divisimus, ita nulla est ex his tribus rebus, quin, quum experientiae auxilio definiretur, aliena et inutilia in hoc disputationis genus intulerit. Atque argumenta poeseos quod attinet, quum per se clarum sit, horum diver-

sitates eas, quae a sola experientia petuntur, ad philosophicas divisiones plane non posse adhiberi, eorum tantum errorem attingemus, qui quaedam argumenta per se poetica esse, quod nullo pacto fieri potest, existimant. Cuius rei illustre documentum praebent fabellae Aesopicae, de quibus plerique ita loquuntur, ac si quaevis fabella poema esset. Qui profecto formam, qua quidem sola continetur omnis poesis, penitus videntur negligere. Quodsi quis eos interrogaret, cur quaelibet fabella Aesopica per se pulcra esset, quid, obsecro, responderent? Nos certe Socratis, sapientissimi hominis, auctoritas non commovebit, ut Aesopum aut Phaedrum aut Avianum magnos quosdam poetas arbitremur, si fabellarum suarum veritate nos docent tantum, non pulcritudine oblectant.

VII.

De divisionibus fortuitis e forma, ac primum ex eo, quis loquatur in carmine.

Formae quoque rationem eam, quae usu tantum atque experientia cognoscitur, quum quidam ad philosophicam poeseos divisionem adhibuerint, factum est, ut nonnullae carminum diversitates, quae quidem per se maximi momenti sunt, alieno tamen loco tractarentur. Sic Plato atque Aristoteles eo universam tractationis poeticae rationem diviserunt, quod aut ipse solus loqueretur poeta, aut alios tantum loquentes introduceret, aut utrumque faceret simul. Quam sententiam recentiores ita correxerunt, ut duo tantum tractationis genera facerent, alterum, ubi a solo poeta, alterum ubi ab aliis omnia dicerentur. Quae divisio quamquam et a veritate et ab utilitate maxime commendatur, omittenda tamen erat, ubi ea, quae in ipsa poeseos natura niterentur, commemorari debebant. In his enim quae istius differentiae caussa lateat, intelligi non potest.

VIII.

De ridiculo.

Denique quum formae vocabulum ita ambiguum sit, ut universam tractationis rationem possit comprehendere, etiam ad animi affectiones, quas poesis suscitat, designandas adhibitum est. Quibus animi affectionibus si solus formositatis ac sublimitatis sensus intelligitur, sane, ut antea demonstratum est, necessariae quaedam carminum divisiones inde peti possunt: sin aliae quoque animi commotiones isto nomine appellantur, patet, quae his nitantur poematum diversitates, eas experientia tantum cognosci, ob eamque rem a philosophica dividendae poeseos ratione abhorrere. In his animi commotionibus risus est, qui licet per se nullo modo ad pulcritudinis sensum referri queat, multo tamen cum fructu et laude in eo excitando operam poetae collocant. Quid sit autem ridiculum, eorum, quos equidem sciam, nemo videtur satis explicasse. Quodsi risum primo, ut par est, psychologica ratione consideramus, eum ab repugnantibus affectionibus nasci omnium experientia comprobat. Affectiones autem omnes aut iucundae iniucundaeve sunt, aut voluptatis pariter ac doloris expertes. Itaque aut iucunditatis atque iniucunditatis quaedam repugnantia animus commovetur, aut eiusmodi affectiones sibi adversantur, quae nulla voluptatis ratione aestimari possunt. In quo casu satis est, si una tantum affectio voluptatis dolorisve sensu expers est, quia tum altera, quae cum priore pugnat, non iucunditate, sed eo, quod alia plane est, illi adversatur. Ac risum ex ea affectionum repugnantia nasci, quae non est in iucunditate atque iniucunditate diligens experientiae usus ostendit, voluptatis et doloris coniunctionem fletui assignans. Non sum quidem nescius, eorum maxime exempla in contrariam sententiam afferri posse, qui quum tristes sunt, repentina gaudii alicuius successione in risum coniiciuntur. At illud vereor ut possit aliter fieri, quam ita, ut vel quia tollenda maeroris caussa gaudium continebatur, vel quod rei novitas oblivionem doloris adducebat, remissione tantum et languore, quem tristitia reliquerat, vincendo risus excitetur. Quorum uberior

explicationi quoniam hic non decet locum concedere, hoc tantum afferam, eos qui ex levium atque humilium negotiorum occupatione repente ad magnarum sublimiumque rerum contemplationem abripiuntur, novitate et insolentia huius sensus, repugnantis omni remissioni, in risum coniici solere; in quo quidem casu nulla est iucunditatis et iniucunditatis certatio; illis contra, qui amici mortem dolent, quoties consuetudinis et familiaritatis suavitatem recordantur, lacrimas erumpere.

Τὸ γὰρ φιλῆσαι τὸν θανόντ᾽ ἄγει δάκρυ,

ut recte Euripides.

Ex risus natura quae sint ridicula, intelligi potest. Ac debent illa earum rerum aliquam coniunctionem continere, quae alia quadam, quam iucunditatis et iniucunditatis repugnantia insociabiles animi affectiones afferant. Quae repugnantia aut solo sensu aestimatur, quemadmodum musici sonis quibusdam (non melopoeia, quod etiam, sed intellectus auxilio, fieri potest) risum movere sciunt, aut mentis iudicio expenditur, quod solum genus nunc ab nobis tractandum est. Quodsi ea ridicula sunt, quae aliquam rerum insociabilium coniunctionem continent, tamen, nisi absurda cum ridiculis confundere volumus, fieri non potest, eae res ut nulla omnino ratione copulatae sint. Hoc enim si esset, rationi quidem taedium crearent, licet, si solam affectionem, quam singulae partes per se afferrent, spectes, risum forsitan moverent. Ex eo genere est, quod Kantius affert, fuisse, qui ob eiecta propter tempestatem e navi bona adeo doleret, una nocte ut eius caliendrum canuerit. Hoc ridetur, sed non est ridiculum. Nam recte quidem et e Kantii sententia Cicero, natura nos, inquit, noster delectat error, ex quo quum quasi decepti sumus exspectatione, ridemus. At necesse est, ne illud quidem, quod praeter exspectationem arripuimus, absurdum esse. Nam non id, quod exspectatum erat, adipisci, aliud est, ac tale quid arripere, quod exspectari nulla conditione poterat. Hoc autem necessario caveri debet, nisi risum ingenuo homine plane indignum

putare, et Crassum illum ἀγέλαστον tamquam exemplum omnibus proponere velis. Itaque ea tantum sunt ridicula existimanda, in quibus quaedam ita coniunguntur, quemadmodum coniungi non possunt, licet alia ratione optime congruant. Referam exemplum e Cicerone. Pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quaesitor properans, modo breviter. Hic ille, non accusabis: perpusillum rogabo. Patet, quare hoc ridiculum sit. Pusillum hominem esse, quem rogaret, dicebat Philippus: id verum erat, sed responderi nunc non debebat. Itaque nisi vocabulo usus esset, quo quum brevitatem hominis lacesseret, pauca tamen rogaturus videretur, stultus fuisset atque ineptus. Eiusdemmodi illud est, quod ibidem Cicero refert, de furace servo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum nec occlusum. Quae quum ad commendandum hominem dicuntur, non possunt hoc significare, nihil satis illi obsignatum occlusumque esse, sed non opus esse quidquam obsignare atque occludere. Quodsi non ad utramque rem verti possunt, non sunt ridicula. Nam inepte diceretur, frugi servum esse; omnia enim furari. Sic intelligitur etiam, cur errare saepe ridiculum sit, quod non eo fit, quia leve vitium, et debilitatem hominis arguens animadvertamus: nam ne haec quidem vitia omnia risum movent: sed id tum demum accidit, quum quis ea, quae quadam ratione vera sunt, alia ratione, quam licet, pro veris habet. Equum oculis currere nemo dixerit, qui cuiusquam sani hominis risum captet. At idem ridetur in his versibus C. Lucilii,

> queis hunc currere equum nos atque equitare videmus,
> his equitat, curritque: oculis equitare videmus:
> ergo oculis equitat.

Non omnia autem, quae ridicula sunt, ridentur. Nam interdum severitas quaedam et dignitas accedit, cuius admiratio honestam indolem ab risu retinet. Illi quidem, qui nihil usquam magnum et grave sentiunt, etiam in his rident. Ex eo genere P. Licinii Vari dictum commemorat Cicero, qui Africano maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, noli mirari, in-

quit, si non convenit: caput enim magnum est. Ita etiam Augustus, ut a Macrobio traditum est, quum Heremium, pravi exempli iuvenem, castris excedere iussisset, isque interrogaret, quid patri suo diceret, dic, inquit, me tibi displicuisse. Ex his apparet, ne sublimitati quidem ridicula repugnare, eoque et in epopoeia, et in tragoedia adhiberi posse.

Quum ridicula, ut ex ea definitione, quam supra posuimus, clarum est, non in homine solo, ut quidam existimant, reperiantur, sed ubique locum habeant, ubi repugnantia ita coniungi possunt, quodammodo ut sibi non repugnent: non in poesi sola, sed in reliquis etiam artibus recte adhibentur. Atque in pictura quidem non aliter risus movetur, nisi rerum quae pinguntur, auxilio. Nam ipsae per se figurae, si, quarum rerum figurae sint, spectare omiseris, non possunt ridiculae esse, propterea quod spatii descriptiones, in quibus nimirum nullius partis forma e forma alterius pendeat, repugnare sibi nullo pacto queunt. Quapropter, quum pictura risum excitat, figurae non inter se, sed cum eo pugnant, quod iis exprimi debebat, ut in sannis videmus. Alia in arte musica ratio est, quae non modo cantu cum verbis, quae canuntur, male concordante, sed sola etiam melopoeia discrepantes modos apte coniungente risum auditoribus commovere potest. Cuius rei etsi rarissima exempla sunt, non est tamen obscurum, posse illud fieri. Nam quum in arte musica et soni et modi regula quadam, quae a praecedentibus sonis et modis definitur, ordinandi atque flectendi sint, apertum est, repugnare sibi modorum consequutionem posse: quae si talis est, ut quodam modo non repugnet, rideri necesse est.

Iis, quae de ridiculo disputavi, si pauca de eo, quod simili comparatione flebile appellari possit, addiderim, veniam mihi impetrabit illa repugnantium affectionum divisio in risum et fletum. Ac fletus si, quemadmodum risus, in ipsis rebus aliquid habet, quo excitari possit, id cogitatione, quae voluptatis sensu caret, comprehendi non potest, sed in sola pulcritudine inveniri debet. Quae quum e duabus partibus constet, formositate et sublimitate, in illarum coniun-

ctione flebile istud quaerendum est. Ac formositas quidem per se et statim voluptatem creat, quae si iuncta est sublimitati, in qua primo iniucunditas quaedam est, vis eius debilitatur et iniucunditati cedit. Necessario autem ita debet coniuncta esse sublimitas cum formositate, eadem res ut alia ratione formosa, alia sublimis sit. Nam si eadem ratione et formosa et sublimis est (quod tum fit, quum in formositate sublimitas inest) nobilis appellatur. Praeterea illud quoque notandum est, deformitatis cum formositate coniunctionem non posse lacrimas ciere, propterea quod, quum in mentis quadam repugnante exercitatione iste sensus cernatur, pariter ut in ridiculo, vitanda est absurditas. Id autem eo tantum fieri potest, quod, quum impeditur formositatis iudicatio, aliud adsit, quo eadem res iudicari queat quod in deformitate nusquam est. Ita Sophocles in Oedipi Colonei principio, et Homerus de mortuo Hectore,

> κάρη δ᾽ ἅπαν ἐν κονίῃσι
> κεῖτο, πάρος χαρίεν· τότε δὲ Ζεὺς δυςμενέεσσι
> δῶκεν ἀεικίσσασθαι ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ.

Haec animi affectio in eo genere ridiculi saepe invenitur, quod in nativa morum simplicitate est.

Redeo ad illa, quorum caussa haec omnia commemorata sunt. Quodsi enim ridicula per se pulcritudinem nullam habent, non possunt inde aliae, nisi fortuitae poeseos divisiones nasci, quas in hoc genere disputationis praeterire oportet. Sic satira, cuius vis in deridendis hominum vitiis posita est, non est in iis carminum generibus numeranda, quae ex ipsa notione poeseos derivantur. Eodem modo qui comoediam ridiculo carere non posse statuunt, nescire videntur, omnes tragoediae et comoediae diversitates unice ex sublimitate et formositate nasci. Ridiculum quidem a comoedia abesse posse, vel dimidiatus ille Menander Terentius ostenderit. Atque etiamsi frequentius in formositate ridiculum est, tamen quum ne a sublimitate quidem abhorreat, etiam in tragoedia recte adhibetur, quae tum quid haberet, quaeso, quo a comoedia differret?

IX.

Conclusio.

His omnibus fortuitarum divisionum exemplis nihil aliud efficere studui, nisi ut, qua ratione distinctionibus istis utendum sit, ostenderem. Ac quum universae poeseos ambitus illis divisionibus, quas e natura poeseos hausimus, descriptus sit, necesse est, quaecumque praeterea carminum diversitates reperiantur, eas omnes ad illa, quae prima ac necessaria sunt poematum genera, reduci, ac sine illis ne cogitari quidem posse. Sunt autem illa genera numero sedecim, quoniam, quum in quovis carmine haec tria spectanda sint, argumentum, formae necessaria vel fortuita ratio, denique pulcritudo, uniuscuiusque divisionis membra caeteras distinctiones recipiunt. Atque in argumentis quatuor reperiuntur carminum differentiae, quarum quum quaelibet aut aequabili aut inaequabili forma sit, octo habemus diversitates. Harum vero quum unaquaeque formositatem aeque ac sublimitatem admittat, sedecim omnino sunt genera poeseos. Quamobrem in quolibet poemate iudicando primum omnium, ad quod ex his sedecim generibus illud pertineat, investigandum est: tum demum illas notas, quae ab experientia petuntur, ordine, quo quaeque superior est, adiicere decet.

DE DRAMATE COMICOSATYRICO.

Epistola ad Chr. D. Beckium, edita in Commentariis Societatis philologicae vol. I. part. II. p. 245. seqq.

Quum gratum tibi fore significares, Becki, V. C., si quid ego quoque commentariis societatis philologicae insererem, spopondi me descriptionem lexici Graeci MS., quod magno litterarum emolumento editum iri speramus, ad te missurum esse. Sed quum non sane mea culpa in dies hanc rem differre cogerer, verebar, ne nimis cunctando aut negligentior, aut, quod molestius etiam ferrem, parum officiosus tibi viderer. Decrevi igitur, interea dum illius exhibendae descriptionis mihi copia fieret, alia via, eaque magis etiam cum studiis societatis philologicae coniuncta, nomen meum exsolvere. Etenim quem Eichstaedtius, V. Cl., quum philologicae societatis sodalis esset, de dramate Graecorum comicosatyrico libellum edidit, in eo libello quum ea ipsa, quae primaria sunt, drama comicosatyricum et emendatio fragmentorum Lytiersae, plurimis mihi viderentur maximisque obnoxia esse dubitationibus, operae pretium me existimabam facturum, si renovanda hac disputatione vel ipse aliquid ad eam explicandam conferrem, vel alios, ut id facerent, excitarem. Ac non satis mirari possum, quid sit, quod Eichstaedtius commentum hoc dramatis comicosatyrici, rei antea doctis hominibus prorsus ignarae, ita plurimis probaverit, ut iam ne dubitari quidem videatur, quin istiusmodi fabularum genere veteres usi sint. Mihi certe, quae in hanc rem ille argumenta attulit, ut ad speciem veri callide ador-

nata, ita a veritate remotissima videntur. Scilicet commemorari docet Phrynichi, Cratini, Anaxandridae, Ophelionis, Iophontis, Ecphantidae, Timoclis comicorum satyros. Si ita est, facile victas manus tanto exercitui praebebimus. Verum ante omnia ostendi debebat, illos omnino potuisse scribere satyros; tum etiam scripsisse; denique, si scripsere, diversum hoc genus a tragicorum satyris fuisse. Ac quod primo loco dubitare me dixi, an omnino scribere isti satyros non potuerint, id non in omnes, sed in hos tantum expetit, qui mediae fuerunt novaeque comoediae scriptores. Nam choro sublato, de cuius omissione non satis accurate disputasse videtur Eichstaedtius, equidem non video, cuiusmodi esse potuerint fabulae, quae a choro satyrorum satyricae dicebantur. Sed hoc sane non tangit antiquiores, ut Phrynichum, Cratinum, Ecphantidem. Itaque quo argumento hos censebimus satyros scripsisse? Mirum vero, ab nullo veterum scriptorum hoc disertim traditum esse, comicos quoque fabulas fecisse satyricas. Mirum etiam, quod in tanta comicorum multitudine perpauci tantum sunt, quorum satyri memorantur, in iisque unus dumtaxat Timocles, cuius Icarii satyri eodem modo, quo in tragicis fieri solet, nunc simpliciter Icarii, nunc Icarii satyri dicuntur. Quamquam non videtur ea huius indicis esse vis, ut, si alia obstent, Icarios fabulam satyricam putare oporteat. Etenim, nisi magnopere fallor, et Timoclis Icarii, et quicumque aliorum commemorantur comicorum satyri, comoediae fuerunt. Primum enim non solent loci e fabulis satyricis sic afferri, ut simpliciter *σάτυροι*, omisso nomine fabulae, commemorentur. Disputavit quaedam de hac re Casaubonus ad Athenaeum p. **723**. et de poesi satyrica p. **131**. et **135**., sed non satis diligenter. Quae in hanc rem afferri possunt, haec ferme sunt. Aeschylum in *σατυρικῷ* affert Hesychius in v. *ἀποφύλιοι*: idem in v. *ἀῤῥαγὲς ὄμμα* Sophoclem in *σατυρίσκῳ*. Scribendum *σατυρικῷ*, quod iam volebat Casaubonus [1]). Nec dubium,

---

1) Codex Hesychii *σατυρίκῳ*.

quin utroque in loco Hesychii nomen fabulae Aeschyleae et Sophocleae exciderit. Sophoclem ἐν σατύροις afferunt Zenobius proverb. II. 80., in quo, ut in Hesychio, nomen fabulae omissum credibile est, et Aristides, memoratus iam Casaubono de sat. poesi p. 135. Recte hic quidem, neque egens emendationis. Loquitur enim de Helena, nec nomine opus habet fabulae, quum ex ipsa Helenae mentione pateat intelligi Ἑλένης ἀπαίτησιν, quam fabulam satyricam fuisse, licet, quod equidem sciam, nemo animadverterit, satis tamen fragmenta arguunt. Porro Athenaeus p. 428. A. eumdem poetam laudat ἐν δράματι σατυρικῷ. Non solent ita loqui [2]). Quare adducor, ut alicuius fabulae nomen pro δράματι restituendum putem. Fortasse scripsit ἐν Σαλμωνεῖ σατυρικῷ. Idem nomen Bentleius in epistola ad Millium reddidit Galeno, in quo legebatur ἐν Σαλαμίνῃ σατυρικῷ [3]). Corrupto Athenaei loco Brunckius adeo se decipi passus est, ut in lexico Sophocleo in v. ἄλυπον locum lexici MS. Sangerm. ita scriberet: Σοφοκλῆς ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ, et in v. θωχθείς apud Hesychium pro Σοφοκλῆς Διονυσιακῷ reponi vellet ἐν Διονυσιακῷ τινι σατυρικῷ, qua ratione nemo umquam loquutus est. Immo recte MS. Sangerm. apud Valckenarium in diatriba p. 179. habet ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ [4]). Quin omnino Dionysiacum non debebat Brunckius e numero fabularum Sophoclis expungere: quod nomen indidisse poeta illi fabulae ex eo videtur, quod vini inventio eius argumentum esset. Certe hoc ex illo lexici Sangerm. loco clare potest intelligi. Quod si tragicorum satyri, ut par est, nomine fabulae adiecto commemorari solebant, mirum videtur, comicorum satyros omnium, si ab Iophonte et Timocle discesseris, omisso fabulae nomine afferri. Quo facilius li-

---

2) In codice Athenaei omissum est δράματι.

3) Salaminem Sophoclis tueri studuit Osannus in libello, quem Germanice de Aiace Sophoclis scripsit p. 77. seq.

4) Vide Bekkeri Anecd. p. 385, 20. Nisi inscripta fuit fabula Διόνυσος σατυρικός.

cebit rem ita expedire, ut hos comicorum satyros comoediarum potius, quam fabularum satyricarum indices esse existimemus. Eamque suspicionem egregie confirmat ordo, quo fabulae istorum poetarum a grammaticis enumerantur. Suidas in v. *Ὠφελίων* huius fabulas hoc ordine refert: *Δευκαλίωνα, Κάλλαισχρον, Κένταυρον, Σατύρους, Μούσας, Μονοτρόπους.* Idem Timoclis fabulas hoc ordine: *Δημοσάτυροι, Κένταυρος, Καύνιοι, Ἐπιστολαί, Ἐπιχαιρέκακος, Φιλοδικάστης, Πύκτης.* Idem alterius Timoclis fabulas hoc ordine: *Διονυσιάζουσαι, Πολυπράγμων, Ἰκάριοι, Δῆλος, Λήθη, Διόνυσος, Κονίσαλος, Πορφύρα, Ἥρωες, Δρακόντιον, Νέαιρα, Ὀρέστης, Μαραθώνιοι.* Idem Phrynichi comici fabulas hoc ordine: *Ἐφιάλτης, Κόννος, Κωμασταί, Σάτυροι, Τραγῳδοὶ ἢ Ἀπελεύθεροι, Μονότροπος, Μοῦσαι, Μύστης, Ποάστριαι, Σάτυροι.* Eumdemque ordinem habet Eudocia p. 428., nisi quod *Κρόνος* addit post *Κόννος*, et in fine omittit *Σάτυροι*, unde corrigendus est Suidas. Nunc quis non miretur, in mediis quattuor poetarum comoediis satyricas fabulas commemorari, neque, ut par erat, enumeratis demum comoediis addi satyros? Quod si has comicorum fabulas, quae satyrorum nomine vocantur, comoedias esse censebimus, clarum erit, quare et comoediis misceri a grammaticis potuerint, neque accessionem requirant alius indicis, quam Satyrorum. Etenim credibile est, uti in his paucorum poetarum fabulis Centauri, Musarum, *Μονοτρόπων* nomina saepius occurrunt, ita etiam Satyros ipsum nomen fuisse, quod plures poetae suae alicui comoediae tribuerent. Nec sane obscurus est huius fons appellationis. Satyrorum enim nomen, ut vel Moschi *ὀαριστὺς* docet, reprehensioni vel deformium vel libidinosorum inserviebat. Hos ergo maxime in his fabulis, quae Satyri vocarentur, traductos esse probabile est. Quin *Δημοσάτυροι* Timoclis ipso fabulae nomine indicant, non satyros, Bacchi comites, sed alios quosdam, quos hoc nomine irriserit poeta, intelligi debere. Ad Anaxandridae satyros fortasse spectabant, quae de hoc tradidit Eudocia p. 60. *καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς ὁ παμμίαρος εἰςήγαγεν.*

His quidem, quas hactenus attuli, rationibus sic tantum aliquam vim tribuo, si cum aliis gravioribus conspirant. Etenim quam omnium maxime in Eichstaedtii disputatione desideramus, explicationem naturae et conditionis dramatum comicosatyricorum, hac ille firmare opinionem suam et quasi extorquere assensionem legentibus debebat. Nam si istae fabulae e satyrico genere fuerunt, ostendi oportebat, quid huius poeseos sive in fabulae compositione, sive in dictione et versuum modulatione proprium fuisset. Illud sane, quod primo loco nominavi, facere non licebat, quia deest integra ex illo genere fabula. At eo magis de altero videndum erat. Atque uti grammatici quamdam trimetri formam satyricam appellant, ita aliquanto plura sunt, quibus vel versus satyrici a tragicis et comicis, vel omnino dictionis satyricae genus a tragico et comico discrepet. Quod si porro comicosatyrica dramata a tragicorum satyris diversa erant, qua tandem in re hanc differentiam ponendam existimabimus? Vtrumne in dictione et versibus, an in fabulae totius constitutione? At de hac quidem nihil nunc constat. Quod si oratio et numeri nihil suppeditant, quod singulare et aliis dramatum generibus inusitatum sit, quid aliud quam ingeniosum commentum fabulas istas comicosatyricas esse censebimus? Necesse est autem orationem et numeros aut proprios quosdam harum fabularum fuisse, siquidem eiusmodi fabulae umquam exstiteruut, aut certe similes ut in tragicorum satyris, quo certe eas fabulas ad genus satyricum referre possimus. Atqui neutrum horum est, sed comica dictione, comicisque numeris, quae ex illis fabulis fragmenta afferuntur scripta sunt. Quamobrem aliis deficientibus argumentis non poterimus non eas fabulas comoediis adnumerare. Sed praestat locos ipsos videre. E Phrynichi Satyris scholiastes Aristophanis ad Nubes v. 1153. affert,

βοάσομαι γὰρ ἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν.

Scribendum, ut in Aristophane, qui hunc versum e Phrynicho sumpsit,

βοάσομαί τ᾽ ἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν.

At hic versus numeros habet comicos [5]). Videtur autem e chori carmine fuisse, unde haec sunt in scholiis ad Aristophanem: *χορικῇ περιπλοκῇ εἴρηται* (ab Aristophane) *καὶ διαλέκτῳ Δωρίδι.* Idem scholiastes Aristophanis ad Aves v. 1463. e Phrynichi Satyris affert, *Κερκυραῖαι δὲ οὐδὲν ἐπιβάλλουσι μάστιγες.* Comoediam haec facile arguunt. Versus sunt anapaestici:

Κερκυραῖαι δ' οὐδὲν . . .
ἐπιβάλλουσιν μάστιγες.

Ex eiusdem Phrynichi Satyris Phrynichus Sophista p. 114. haec affert, manifeste comica, sive numeros, sive orationem spectes:

ὁτιὴ πρὶν ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς βουλὴν ἔδει
σοὶ ταῦτ' ἀπαγγείλαντα πάλιν πρὸς τὸν θεὸν
ἥκειν, ἔγωγ' ἀπέδραν ἐκεῖνον δεῦρο νῦν
εὐαγγελῶν σοι.

Ita hic locus corrigendus videtur [6]). Sequitur fragmentum Iophontis comici apud Clementem Alex. Strom. I. p. 329. ex *Αὐλῳδοῖς σατύροις:*

καὶ γὰρ εἰςελήλυθεν
πολλῶν σοφιστῶν ὄχλος ἐξηρτημένος.

Hoc fateor satyricam indolem aperte prae se ferre. Verum quis nobis sponsor est, recte hunc Iophontem a Clemente comicum dici, quem nemo quisquam veterum perhibuit comicum? Nam quod Iophontis Bacchas quidam Stobaei codd. comoediam vocant, teste Grotio in Excerptis e trag. et com. p. 876. id eodem errore factum esse, qui in Clemente

---

5) Constat hodie, scribendum esse:

βοάσομαί τἄρα τὰν ὑπέρτονον
βοάν.

Qui sunt tragici numeri, a comicis ridendi caussa adsciti.

6) Vide Lobeckium ad Phryn. p. 267. Emendatio horum versuum vereor ut sine codicum auxilio perfici queat. Sed tamen *καὶ ταῦτ'*, quod apud Phrynichum est, in *κἀνταῦθ'* mutandum puto, servandum autem *ἐγὼ δ' ἀπέδραν*, posita ante haec verba maiore interpunctione.

corrigi debet, ipsum illud fragmentum, manifesto tragicum, docet: tum etiam Bacchas tragoediam Iophontis fuisse scimus: v. Valcken. diatrib. p. 16. Ex Satyris Ecphantidae Athenaeus p. 96. C. haec affert, pariter, ac Phrynichi Satyrorum fragmenta, comici sermonis prae se ferentia indolem: *πόδας τε εἰ δέοι πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθοὺς ὑός.* Versus videtur trochaicus esse:

πόδας ἔτ', εἰ δέοι, πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθοὺς ὑός.

Denique ad Timoclem venimus, e cuius Demosatyris quae Athenaeus p. 165. F. affert, nihil habent, quod a comicorum censuetudine recedat:

οὐδ' ὁ Χαβρίου Κτήσιππος ἔτι τρὶς κείρεται,
ἐν ταῖς γυναιξὶ λαμπρός, οὐκ ἐν ἀνδράσιν.

Verum ex huius Icariis Satyris quem locum Athenaeus protulit p. 342. A. is, fateor, dictionem ac numeros habet aptos Satyris tragicorum. Verba apud Athenaeum ita legantur:

τόν τ' ἰχθύοῤῥον ποταμὸν Ὑπερείδην πέρασον
σηπίαις φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμποις παφλάζων ἠπίοις πυκνώμασι
προςπανδύσας ἔχει
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.

Sermo est de Hyperide, oratore guloso, qui pecunia corrumpi se passus sit. Si coniecturae locus est in tam corrupto fragmento, ita ferme scripsisse arbitror Timoclem:

τόν τ' ἰχθυόῤῥουν ποταμὸν Ὑπερείδην πέρα,
ὃς ἱππίαις φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμπους παφλάζων νηπίοις πυκνώμασιν
πρὸς παντὸς ὅςτις χρυσὸν ἐνδύσας ἔχῃ,
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.

Pisculentum, inquit, traiice fluvium Hyperidem, qui sesquipedalibus prudentis sermonis vocibus ampullas strepens temere stipatas in cuiusvis gratiam, qui aurum immerserit, mercenarius campos donantis irrigat. *Ἱππίας φωνὰς* dicit, quae Aristophanes *ῥήματα βόεια* in Ranis v. 955. et *ἱπποβάμονα* ibidem v. 839. Ad illa, *ἐνδύσας ἔχῃ,* conf. schol.

Eurip. ad Med. 33. At quid mirum, si haec etiam in comoedia maiore cum ornatu verborum protulit, quum in his versibus imitari voluerit Hyperidem, quod saepius in aliis fecit etiam Aristophanes? Ac videtur iis, qui caussas suas bene agi velint, suadere, ut corrumpant Hyperidem: in qua re quasi itineris cuiusdam descriptione utitur, memor fortasse horum Aeschyli versuum:

ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον,
ὃν μὴ περάσῃς· οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν.

Caeterum quo minus dubitari queat, quin comoedia fuerint Icarii Satyri, alia id fragmenta docent. Vt apud Athenaeum p. 339. D. *Ἄνυτος ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἐλθὼν φάγῃ τι· καλεῖ γὰρ αὐτὸν, ὥς φασιν, ὁππόταν Χαιρεφίλου τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλους ἡδομένη.* Versus sunt anapaestici:

Ἄνυτός θ' ὁ παχὺς
πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἐλθὼν
εἶτα φάγῃ τι· καλεῖ γὰρ καὶ τόνδ',
ὥς φασ', ὁπόταν δύο Χαιρεφίλου
σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλ' ἡδομένη. 7)

Et ibidem:

ἡ Πυθιονίκη δ' ἀσμενῶς σε δέξεται,
καὶ σοῦ κατεδεῖται τυχὸν ἴσως ἃ νῦν ἔχεις
λαβὼν παρ' ἡμῶν δῶρ'· ἄπληστός ἐστι γάρ.
ὅμως δὲ δοῦναί σοι κέλευσον σαργάνας
αὐτὴν ταρίχους· εὐπόρως γὰρ τυγχάνει

---

7) Non credo hodie, versus istos esse anapaesticos praeter primum. Nisi fallor ex anapaesticis tetrametris strophici versiculi aptati erant hunc fere in modum:

. . . . . . *Ἄνυτός θ' ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην*
ὅταν ἐλθών τι φάγῃ·
καλεῖ γὰρ αὐτὸν, ὥς φασ',
ὁπόταν Χαιρεφίλου
τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ,
μεγάλοις ἡδομένη.

ἔχουσα, καὶ ξύνεστ' ἀπ' ἠοῦς ἐς δύσιν,
καὶ ταῦτ' ἀνάλτοις καὶ πλατυῤῥύγχοις τισίν.

Ita hic locus scribendus. Denique apud eumdem Athenaeum p. 407. E. ex Icariis Satyris haec afferuntur: *ὥςτ' ἔχειν οὐδὲν παρ' ἡμῖν, νυκτερεύσας δ' ἀθλίως, πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδω, εἶτα Θούδιππος ὁ λέων παντελῶς ἔπηξεν ἡμᾶς, εἶθ' ὁ λιμὸς ἥπτετο ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε. πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμὼν Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κυάμων καταλαβὼν ἁρπάσας τούτων ἀνέτραγον, ὁ δ' ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ' ἐπέρδετο.* Haec nemo sane dubitabit, quin comoediam aperte arguant. Numeri autem sunt trochaici:

ὥςτ' ἔχειν οὐδὲν παρ' ἡμῖν, νυκτερεῦσαι δ' ἀθλίως
πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδοντ'· εἶτά θ' οὔφιππος λεὼς
παντελῶς ἔπληξεν ἡμᾶς, εἶθ' ὁ λιμὸς ἥπτετο,
εἶτ' ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γὰρ
οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε· πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμὼν
Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κυάμων καταλαβών,
ἁρπάσας τούτων ἂν ἔτραγον· ὁ δ' ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ
ὁ . . . Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ' ἐπέρδετο.

Corruptum in his nomen *Θούδιππος ὁ λέων* mutandum duxi in *οὔφιππος λεώς* [8]), quod eodem modo dictum, ut apud Aristophanem in Pace v. 921. *ὁ γεωργικὸς λεώς.* Scilicet equites ea fabula irriserat Timocles, ut recte observavit e fragmento Alexidis apud Athenaeum p. 120. A. Eichstaedtius p. 80., modo ne illud fragmentum corrigere conatus esset:

τοὺς Χαιρεφίλου δ' υἱεῖς Ἀθηναίους, ὅτι
εἰςήγαγεν τάριχος, οὓς καὶ Τιμοκλῆς

---

8) Porsonus Thudippi nomen apud Plutarchum inveniri T. II. p. 189. A. monuit. Ac veri simile est, recte apud Athenaeum legi *εἶτα Θούδιππος*, nec nisi ultimas huius versus voces *ὁ λέων* corruptas esse.

ἰδὼν ἐπὶ τῶν ἵππων, δύο σκόμβρους ἔφη
ἐν τοῖς σατύροις εἶναι.

Verum in eo accedere Eichstaedtio vereor, quod satyrorum habitu in scenam productos a Timocle equites putat. Sed ut hoc fecerit Timocles, inde hoc certe non efficietur, ut fabulam, quam reliquiae inde servatae comoediam fuisse ostendunt, ad genus satyricum pertinuisse censeamus.

Sed de his satis. Quod si hos Eichstaedtio eripuimus dramatis comicosatyrici auctores, restat solus Sositheus (nam Alcaei tragodocomoediam silentio a nobis praeteriri patietur) qui ex isto sit numero eximendus. Atque ipse puto Eichstaedtius eum hinc segregasset, si epigramma Dioscoridis XXIX. inspexisset, e quo argumenta, quibus ista opinio refellatur, evidentissima petere licebat. Celebrat Dioscorides Sositheum tragicum, unum e Pleiade, propter revocatam veterem tragoediam ac satyros. De tragoedia maximam partem epigrammatis intelligendam esse, tum Sophoclis commemoratio ostendit, tum similitudo, quae est huius epigrammatis et eius, quod praecedit. Satyrus enim in utroque loquitur, ut a quo tragoedia originem duxerit. Sed quae maxime e re nostra sunt, adscribere visum est:

κἠμὲ τὸν ἐν καινοῖς τεθραμμένον ἤθεσιν ἤδη
ἤγαγεν εἰς μνήμην, πατρίδ' ἀναρχαΐσας.
καὶ πάλιν εἰσώρμησα τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μούσῃ
ῥυθμόν, πρός τ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην,
εὔαδέ μοι θύρσων τύπος ἐν χερί, καινοτομηθεὶς
τῇ φιλοκινδύνῳ φροντίδι Σωσιθέου.

Me, inquit satyrus tragoediae et satyrici dramatis partes agens, novis iam moribus accommodatum, in memoriam hominum revocavit Sositheus, patriamque Alexandriam ad antiquitatis exemplum conformavit: itaque reduxi masculos Dorici carminis numeros, et ad sonoros versus saltans, renovatos manibus teneo thyrsos audaci poetae conatu. *Τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μούσῃ ῥυθμὸν* quum dicit, non ubique Doricam linguam adhibitam esse vult, ut putat Iacobsius, sed chori usum restauratum significat. Quae autem sequuntur, *πρός τ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην,* proxime

coniungenda sunt cum sequentibus, mutata constructione eo modo, quem ad Sophoclis Electram v. 480. illustravit Brunckius. *Θύρσων* praeclara est Iacobsii emendatio, sed, quod idem volebat reponi, *κτύπος*, eo non opus est. Colligimus ex illo epigrammate, veterem tragoediae formam a Sositheo instauratam esse, quae instauratio sive aliquem habuit successum, sive in ipso conatu constitit, eam certe vim habet, ut Lytiersam Sosithei ad veterum satyrorum morem expressum esse merito suspicari nobis videamur. Sed quid multa? Ipsa Lytiersae fragmenta adeo nos dubitare non sinunt, quin illud carmen e tragico genere satyrorum fuerit, ut, qui sermonem tragicorum cognitum habeat, fateri cogatur, multo magis tragicum in his Sosithei versibus, quam in Cyclope Euripidis, sermonem inveniri. Sed antequam ad ipsa illa fragmenta aggrediar, gratum me tibi facturum arbitror, Becki, si ea attulero, quae de Lytiersa leguntur in Photii lexico MS. *Λιτύερσαν ᾠδήν τινα, ἣν ᾄδουσιν οἱ θερίζοντες ὡς ἐπίσημόν τινα γεγονότα τῶν παλαιῶν τὸν Λιτύερσαν ἀνακαλούμενοι. ἦν δὲ οὗτος μὲν δανὸς* (scripsit *Μίδου υἱός*) *νόθος. οἰκῶν δὲ ἐν Κελαιναῖς τῆς Φρυγίας τοὺς παριόντας ἠνάγκασεν* (scribi debet *ἠνάγκαζεν*, ut infra) *σὺν αὐτῷ θερίζειν. Εἶτα ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τῷ δρεπάνῳ τὸ λοιπὸν σῶμα τοῖς δράγμασιν ἐνειλῶν ᾖδεν. Ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ Ἡρακλέους. ἡ δὲ ᾠδὴ βάρβαρος. Φρύγες γὰρ αὐτὴν ᾖδον. Λιτυέρσης εἶδος ᾠδῆς. Μένανδρος Χαλκηδονίῳ·*

ᾄδοντα Λιτυέρσην ἐπ᾽ ἀρίστου τέως.

οἱ δὲ αὐλήσεως γένος. Μήδου δὲ ἦν ὁ Λιτυέρσης νόθου υἱός. κατοικῶν δὲ ἐν Κελαιναῖς τοὺς παριόντας ὑποδεχόμενος ἠνάγκαζεν μετ᾽ αὐτοῦ θερίζειν. εἶτα ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τὸ ἄλλο σῶμα συνείλει ἐν τοῖς δράγμασιν. Ἀπέθανε δὲ ὑπὸ Ἡρακλέους. εἰς τιμὴν δὲ τοῦ Μήδου θεριστικὸς ὕμνος ἐπ᾽ αὐτῷ συνετέθη.

Iam ipsum Lytiersae prologum sic afferam, ut ego eum scribendum existimo.

Αἵδ᾽ αἱ Κελαιναί, πατρίς, ἀρχαία πόλις,
Μίδου γέροντος, ὅστις ὦτ᾽ ἔχων ὄνου

ἤνασσε, καὶ νοῦν φωτὸς εὐήθους ἄγαν.
οὗτος δ' ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστὸς νόθος,
5 μητρὸς δ' ὁποίας ἡ τεκοῦσ' ἐπίσταται,
ἔσθει μὲν ἄρτου τρεῖς ὄνους κανθηλίους
τρὶς τῆς βραχείας ἡμέρας, πίνει θ' ἅμα
καλῶν μετρήτην τὸν δεκάμφορον πίθον.
ἐργάζεται δ' ἐλαφρὰ πρὸς τὰ σιτία,
10 ὄγμους θερίζων· τῇ μιᾷ δ' ἐν ἡμέρᾳ
Διόνυσον ὄμπνῃ συντίθησιν εἰς τέλος.
χὤταν τις ἔλθῃ ξεῖνος ἢ παρεξίῃ,
φαγεῖν τ' ἔδωκεν, εἶτα κἀπεχόρτασεν,
καὶ τοῦ ποτοῦ προὔτεινεν, ὡς ἂν ἐν θέρει,
15 πλέον· φθονεῖν γὰρ τοῖς θανουμένοις ὀκνεῖ.
ἐπισκοπῶν δὲ πεδία Μαιάνδρου ῥοαῖς
κηπευμάτων ἀρδευτὰ δαψιλεῖ πότῳ,
τὸν ἀνδρομήκη πυρὸν ἠκονημένῃ
ἅρπῃ θερίζει· τὸν ξένον δὲ δράγματι
20 αὐτῷ κυλίσας, κρατὸς ὀρφανὸν φέρει,
γελῶν θεριστὴν ὡς ἄνουν ἠρίστισεν.

In huius fragmenti emendatione Eichstaedtius ut caeteris audacior, ita etiam aliquanto infelicior fuit. Ac primum quidem quum recte intellexisset, prologi partem esse hos versus, non debebat eos, mea quidem sententia, a principio prologi, quod intercidisse putat, removere. Nam quod ait, *οὗτος* v. 4. a spectatoribus non potuisse intelligi, nisi quid antea de Lytiersa interrogasset, minime verum est. Quippe hic vel adstare in scena poterat, ita ut ab eo qui prologum ageret ostenderetnr spectatoribus, vel, quod magis credibile est, vino somnoque oppressus conspiciebatur. Nam *οὗτος* non poterat nisi de praesente dici. Quo minus opus est, ut aliquam interrogationem excidisse censeamus: quae etiam si adesset, non potuisset *οὗτος,* nisi praesente Lytiersa, responderi. At vero illa loci demonstratio, qua hoc fragmentum incipit, adeo propria est principiis prologorum, ut, qui vel Sophocleae Electrae meminerit, dubitare vix possit, quin ipsum hic ante oculos habeamus Lytiersae exordium. Ac quod v. 5. Eichstaedtius aliquem interrogare facit *μητρὸς δ' ὁποίας;* multo magis miror, eum

adeo exiguam non modo venustatis, verum etiam Graecae linguae curam habuisse. Nam quis interroget id, quod interrogare nihil attinet? aut quis *μητρὸς δ' ὁποίας* dicat, quod Graeci homines *μητρὸς δὲ ποίας* dicebant? Immo omnis versus eiusdem verba continet, qui reliqua narrat. Hic quum matris Lytiersae nomen ignoraret, apte, ut in satyrico carmine, eam rem ad risum traduxit:

V. 4. equidem non intelligo, quo pacto *περίπλαστος* aut *παράπλαστος* possit spurium significare. Quamobrem scribendum existimavi *πατρὶ πλαστὸς νόθος*. Manifesta in his imitatio Sophoclis est: emendatio autem facilitatem habet summam, quandoquidem *πατρὶ* in codd. MSS. per *πρι* lineola supra scripta indicari constat. Neque enim *νόθος* expulerim. Non idem est, *ἐκείνου παῖς νόθος, πλαστὸς πατρί,* quod ad numeros quidem elegantius foret, et *ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστὰς νόθος*. Nam in his, *ἐκείνου παῖς νόθος, πλαστὸς πατρί, νόθος* adiectivum est, ut inutilia sint quae sequuntur: in his autem, *ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστὸς νόθος, νόθος* substantivum est, et significat omnino spurium, a quo diversum est, quod additur adiectivi loco, *πατρὶ πλαστός*, i. e. huic Lytiersae suppositus.

V. 6. in Arnaldi coniectura acquiescendum puto. Nam Eichstaedtii correctio, *ἄρτους τρεῖς ὄνου κανθηλίου,* non modo vehementer ambigua est, quum non appareat, utrum tres panes an singuli dicantur onus esse asini clitellarii, sed etiam ineptam panum istorum magnitudinem indicat, quoniam, si ita parvi sunt, ut clitellis imponi possint, plures poterunt quam tres imponi; sin autem paullo maiores sunt, non possunt omnino imponi clitellis. Quid ergo asini clitellarii mentio fit? Quamobrem multo commodior Arnaldi correctio est, onus tantum, non magnitudinem panum indicans.

V. 10. *θερίζει* in *θερίζων* mutavi. *Ὄγμους* autem *θερίζειν* quum dici non posse videbatur Eichstaedtio, quia Valckenarius ad decem idyllia Theocriti p. 150. dubitet an *ὄγμος* simpliciter segetem significare nequeat, non observavit diversam esse Theocritei loci rationem, in quo Musgravius non de ordine aristarum, sed de laeta segete

omnino *ὄγμον* dici putabat. Verum *ὄγμος* uti proprie sulcum significat, ita deinde usurpatur etiam de segete, plantis, arboribus ordine, quasi in sulco, satis: id quod idonea locorum multitudine demonstrarunt H. Stephanus in indice Thesauri, et interpretes Hesychii. Inde *ὄγμον ἄγειν* apud Homerum Iliad. XI. 68. Photius in lexico MS. *ὄγμος, ἡ κατὰ στίχον ἔφοδος τῶν θεριστῶν, καὶ ὄγμοι σταχύων.* Itaque *ὄγμους θερίζειν* non est segetem demetere, sed sulcorum ordinem sequi metendo. Similis est celebratus plurimorum scriptorum commemoratione Aeschyli locus in Septem contra Thebas:

βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Quae sequuntur, in iis non attinet temerarias doctorum virorum coniecturas refellere, ubi multo lenior medicina eas reddit superfluas. Eius lectionis, quam supra posui, sensus et aptissimus et facillimus est. Sunt etiam dies, inquit, quibus ille Bacchum cibo a mane usque ad vesperam coniungit. Hesychius: *ὄμπνη, τροφή.*

V. 13. quae viri docti coniecerunt, partim longius a codicis lectione recedunt, partim ab elegantia dictionis haud sane magnam habent commendationem. Nostra emendatio et mutationem exigebat levissimam, et ad sensum est accommodatissima. Cibum, inquit, apponere solet: mox etiam saginat. Nec mirum videri debet *τὲ* sequente *εἶτα.* Non enim nimis in harum usu particularum diligentes sunt Graeci, sed haud raro aliam particulam, quae quidem ad sensum eamdem vim habeat, uni illarum substituunt. Ita Sophocles in Oedipo Rege v. 367.

πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρως, Κρέοντί τε
θρόνους ἐᾶσθαι, μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.

V. 16. et seqq. mira quum aliorum, tum maxime Eichstaedtii audacia nescio an corrupti magis, quam emendati fuerint. Quam ego supra posui lectionem, ea eiusmodi est, ut conatibus illis omnibus minime indigeamus, nec quidquam sit, quod aut obscurum aut ambiguum videri queat. Campos, inquit, invisens, a Maeandri fluentis largo rigatos

frugum potu. *Κηπεύματα* vocabulum est saepius ab antiquis scriptoribus adhibitum. Pollux IV. 140. iungit *κήπους* et *κηπεύματα*. Idem I. 222. *φυτεύματα, μοσχεύματα, κηπεύματα*. Unde Munthius in specimine defectus lexicorum non male coniicit, *κηπεύματα* etiam fructus hortenses significare. De hortis adhibuerunt Diodorus Sic. III. 44. et Athenaeus p. 682. D. Incertum utrum de hortis an de frugibus, Aristophanes in Avibus v. 1099.

> *ἤρινά τε βοσκόμεθα*
> *παρθένια λευκότροφα*
> *μύρτα Χαρί-*
> *των τε κηπεύματα.*

Et Diodorus Sic. II. 37. *χωρὶς δὲ τούτων ἄλλο πλῆθος ποταμῶν παντοδαπῶν διαῤῥεῖ, καὶ ποιεῖ κατάῤῥυτον πολλοῖς κηπεύμασι καὶ καρποῖς παντοδαποῖς τὴν χώραν.* Hic quidem fruges commode intelligentur. Ac verbum *κηπεύειν* maxime de frugibus humore nutriendis usurpatur: v. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 173. b. Lectio *καρπευμάτων* inde nata videtur, quod quis explicationis caussa *καρπῶν* adscripserat. Reliquorum verborum facillima est explicatio. Neque enim quemquam ita invenustum fore arbitror, ut *πυρὸν ἀνδρομήκη* de hospite intelligat, cuius interpretationis ne mentionem quidem facerem, nisi fuisset cui ea in mentem veniret.

In altero fragmento (nam verba *ὅτι δὲ ἀπέθανεν ὑφ' Ἡρακλέους φησὶ λέγων* manifesto scholiastae sunt) equidem non possum satis mirari, qui sibi interpretes in animum inducere potuerint, litteras *πυθιο* partem esse vocabuli *πυθιονίκης*. Namque, ut de metro taceam, quid tandem caussae sit, quare hoc in loco Hercules *πυθιονίκης* dicatur? aut quis adeo sagax sit, ut, si quem nominari Pythicum victorem audiat, eum Herculem potius, quam quemvis alium esse intelligat? Profecto huiusmodi commenta miram arguunt ingenii paupertatem. Si hic de urbe Pythone omnino cogitandum censebant interpretes, quidni *ὁ πυθόχρηστος* reponere in mentem venit? Poterat certe a Pythico oraculo Hercules Lytiersae occisor praedictus esse, ut fa-

cile, ubi *πυθόχρηστος* vocaretur, Herculem agnoscere aliquis posset. Verum nec constat de eiusmodi oraculo quidquam, nec veri similis emendatio foret. Immo ita videtur scripsisse Sositheus:

A. *θανὼν μὲν εἰς Μαίανδρον ἐῤῥίφη ποδός,*
ὥςπερ σόλος τις. ἦν δ' ὁ δισκεύσας ἀνὴρ —
B. *τίς δή;* A. *πύθοι' ἄν. τίς γὰρ ἀνθ' Ἡρακλέους;*

Dalecampii correctionem, *σόλος τις ὥσπερ*, quod ad verba ipsa attinet, verissimam arbitror, sed debebant recentiores critici ordinem verborum mutare. Quis enim credat, duriorem collocationem placuisse Sositheo, ubi lenior in promptu esset? Ac *δίσκος*, quod post *ὥςπερ* legitur in codice, quum sit interpretatio nominis *σόλος*, aperte huius veram sedem indicat.

DE FRAGMENTO CLYTAEMNESTRAE SOPHOCLIS IN DVOBVS CODD. REPERTO. *)

In Beckii Commentariis Societatis philologicae vol. III. P. I. p. 94.

Edidit nuper Chr. Aug. Lobeck., A. M., Vitebergae duas dissertationes hoc indice: *dii veterum adspectu corporum exanimium non prohibiti.* In earum dissertationum secunda haec scripta sunt in ultima pagina: *ab hac enim origine horrendas illas Pelopidarum calamitates profluxisse con-*

---

*) Miserat Lipsiam Chr. Frider. de Matthaei brevem relationem de illo fragmento, quae diariis litterariis insereretur. Ea quum mecum communicata esset, obstiti ne imprimeretur, priusquam admonitus esset de errore suo Matthaei: nolebam enim risui doctorum exponi virum optimum. Itaque ei scripsi, videri eum ludere velle eos, qui nescirent Sophoclem a scriptore minimum mille et quingentis annis recentiore distinguere. Verum ex iis, quae respondit, cognovi serio eum credere istos versiculos ab Sophocle esse scriptos, id quod postea comprobavit edito isto fragmento. Ergo ubi dimoveri eum ab ista sententia nolle animadverti, hanc dissertatiunculam non apposito nomine meo Commentariis Societatis philologicae inserendam misi, ut vel ex tribus illis versibus, quid exspectandum esset cognosceretur, riderentque viri docti Sophoclem istum et Aristotele posteriorem et cuivis imperitissimo doctrina parem. Lobeckius quidem quum quae eo loco, quem apposui, scripsit, viro sibi amico gratum fecit. Nam vel tum temporis plus ille in his litteris profecerat, quam ut crederet, quod non credere si fassus esset, debitam bono, sed periracundo seni reverentiam laesisset.

stanter poetae tragici tradiderunt, tum alii, tum inprimis Sophocles in Clytaemnestra, inedita adhuc tragoedia, cuius tricentos versus Matthaei, Musarum ille sospitator Illustrissimus, quae est summa eius liberalitas, mecum communicatus est. Prologum agit Tisiphone, et inter varias illas caussas etiam hanc commemorat:

ἀφ᾽ οὗ γ᾽ ἐκεῖνος δυςτυχέστατος γέρων
ἥψησ᾽ ἑαυτοῦ παῖδας θεοὺς λαβὼν ξένους,
καὶ δῶκεν αὐτοῖς παιδίου φαγεῖν μάλη.

Sperare etiam vir incomparabilis me iussit, brevi illud elegantissimi poetae fragmentum ex tenebris proditurum esse. Quo avidius expectent hanc editionem Graecarum litterarum amantes, brevem hic eius notitiam dabimus. Nobis enim illud innotuit e cod. bibliothecae Augustanae, qui est in catalogo Reiseri p. 79. n. 9., in quo complectitur quinque folia et dimidiatam paginam. Ibi versus, quos Lobeckius attulit, non procul ab initio leguntur. In his ἥψησ᾽ ἑαυτοῦ et καὶ δῶκεν facile quis imperitia librarii pro ἥψησεν αὑτοῦ et κἄδωκεν scripta censeat. Gravior quaestio est, cur δυςτυχέστατος potius quam δυσσεβέστατος dicatur Tantalus. Scilicet Sophocles, bene gnarus δυςτυχίαν in tragoedia ab Aristotele requiri, maiorem putavit facinoris atrocitatem esse, si id quod illo scelere esset effectum, quam si ipsum scelus nominaret. Aliter etiam εὐτυχέστατος dicere poterat: felix enim erat Tantalus, cuius filium, quamvis mactatum et elixum, dii in vitam revocassent. Mox γέρων quoque habet, in quo quis haereat. Quippe aut hoc voluit Sophocles indicare, illa tempestate homines robustiores fuisse, ut etiam provectiores aetate liberis procreandis operam dare possent: puer enim Pelops erat, nec repente consenuit Tantalus: aut, quod probabilius est, Homeri more γέρων dicitur vir primarius, qui bibit γερούσιον οἶνον. Ac notum est, multa ex Homero furatum esse Sophoclem. Docta mox sequitur et addenda lexicis locutio θεοὺς λαβὼν ξένους, quod monemus, ne quis forte λαχὼν pro λαβὼν scribendum putet. In ultimo versu quod vocabulum occurrit, παιδίον, id familiaris vitae esse putabamus, nec di-

gnum quo uterentur tragici. Ter illud quidem in fragmentis Euripidis legitur, in Melanippae fragm. XXI. et XXIII. et in Phaethontis fragm. VI. Sed de his quid statuendum esset, etiam tacens sapientem sat monuit eruditissimus Valckenarius in diatriba de fragm. Eur. p. 183. Nimirum, si nunc viveret, aliter emendaret istum Euripidis locum. Itaque critici in posterum, si quando παῖς iusto brevior ad metrum erit, puerum poterunt, etiam antequam adoleverit, proceriorem facere. Nisi falcem in alienas messes immittere iniquum duceremus, alios quosdam versus ex illo fragmento apponeremus. Nunc vero hoc tantum addere visum est, finiri fragmentum carmine chori. In eo, ut in aliis quibusdam locis, plurima sunt, quae egregie confirment doctrinam metricam Ahlwardtii.

COMMENTATIO DE VERBIS, QVIBVS GRAECI INCESSVM EQVORVM INDICANT, AD XENOPHONTEM DE RE EQVESTRI CAP. VII.

Xenophontem artis equitandi peritissimum fuisse, unusquisque, qui eius artis non est ignarus, fateatur necesse est. Atque in eo libro, quem ille de re equestri scripsit, quum plurima continentur, quae apud omnes gentes atque omni tempore a praestantissimis artis magistris probata et commendata sunt, tum quaedam insunt singularia, quae quis merito miretur nunc fere negligi solere. Vt illud, quod equum a calone non frenis, sed eo loro, quod ῥυταγωγεὺς Graece vocatur, duci vult, ne os equi laedatur. Alia vero, neque pauca occurrunt, quae quum male intellecta essent, nunc Xenophonti reprehensionem pepererunt, nunc ita sunt cum artis praeceptis conciliata, ut longe alia, quam fuit, mens fuisse scriptori existimetur. Omnino enim omnium Xenophontis librorum hic est difficillimus, partim interpretum vitio, partim ob rei ipsius obscuritatem. Atque interpretum quidem plerique aut rei equestris, aut Graeci sermonis omninoque antiquitatis rudes fuerunt: in rebus autem, quas tractat Xenophon, hoc maximam habet difficultatem, quod multorum nominum significationem divinare tantum licet, in qua re hoc facilius est falli, quod grammatici veteres, in primis Pollux, ita rerum ad equitationem pertinentium imperiti fuerunt, ut saepe contraria eorum quae debebant attulerint. Documenti caussa duos afferam locos e capite VII. libri Xenophontei, quorum prior quum sit facillimus, non videtur tamen plane intellectus ab interpretibus fuisse,

alter autem, qui est multo obscurior, etiam emendatione indiget. Igitur quomodo conscendendus sit equus, his verbis docet Xenophon: *πρῶτον μὲν τοίνυν τὸν ῥυταγωγέα χρὴ ἐκ τῆς ὑποχαλινιδίας ἢ ἐκ τοῦ ψαλίου ἠρτημένον εὐτρεπῆ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα λαβεῖν, καὶ οὕτω χαλαρόν, ὡς μήτ᾽ ἂν ἀνιμῶν τῶν τριχῶν παρὰ τὰ ὦτα λαβόμενος μέλλῃ ἀναβήσεσθαι, μήτε ἂν ἀπὸ δόρατος ἀναπηδᾷ, σπᾶν τὸν ἵππον· τῇ δεξιᾷ δὲ τὰς ἡνίας παρὰ τὴν ἀκρωμίαν λαμβανέτω ὁμοῦ τῇ χαίτῃ, ὅπως μηδὲ καθ᾽ ἕνα τρόπον ἀναβαίνων σπάσῃ τῷ χαλινῷ τὸ στόμα τοῦ ἵππου. ἐπειδὰν δὲ ἀνακουφίσῃ ἑαυτὸν εἰς τὴν ἀνάβασιν, τῇ μὲν ἀριστερᾷ ἀνιμάτω τὸ σῶμα, τὴν δὲ δεξιὰν ἐκτείνων συνεπαιρέτω ἑαυτόν· οὕτω γὰρ ἀναβαίνων οὐδὲ ὄπισθεν αἰσχρὰν θέαν παρέξει· συγκεκαμμένῳ δὲ τῷ σκέλει, καὶ μηδὲ* (ita, non *μήτε,* scribendum) *τὸ γόνυ ἐπὶ τὴν ῥάχιν τοῦ ἵππου τιθέτω, ἀλλ᾽ ὑπερβησάτω ἐπὶ τὰς δεξιὰς πλευρὰς τὴν κνήμην. ὅταν δὲ περιενέγκῃ τὸν πόδα, τότε καὶ τὼ γλούτω καθέτω ἐπὶ τὸν ἵππον.* Tam haec sunt facilia, ut vix possit intelligi, quid Heubelio, rei equestris magistro, qui Xenophontis librum Germanice vertit, adeo obscurum fuerit in hastae usu ad conscendendum equum, ut de nexu lori in hasta cogitaret, in quem pede immisso equum conscendissent veteres. Cuiusmodi lorum si quibus in hastarum imaginibus conspicitur, non pedi, sed manui immittendae, quo firmius et teneri hasta posset et retrahi, inserviebat. Namque ad equum conscendendum si tali adiumento usi essent, ea nec satis expedita ratio fuisset, praesertim in bello; neque expers periculi in equo animoso aut ferociente. Xenophon quae de conscendendo equo praecipit, haec sunt. Posse equum duobus modis conscendi, aut sine hasta, aut hastae auxilio. Sed sive hoc, sive alterum placeat, lorum ductorium sinistra manu, habenas dextra tenendas esse. Quod si quis sine hasta equum conscendat, sinistra manu iubam propter aures equi prehendi debere; sin cum hasta, hastam. Dextrae manus in utroque genere idem esse officium, ut extremam iubam ad summos armos una cum habenis teneat. Deinde librato pedum digitis corpore, (id est *ἀνακουφίσαι ἑαυτὸν εἰς τὴν ἀνάβασιν*) sinistrae

manus sive iuba implicatae, sive hasta nitentis auxilio subsiliri, simulque extenso dextro brachio corpus sustineri, atque ita dextrum pedem in dextrum latus equi traiici oportere. Haec ratio, quae ab nostra consuetudine multum diversa est, etsi habet quae possint reprehendi, docte tamen et perite inventa est. Ac primum quod sinistra manu iubam propter aures prehendi vult Xenophon, id tale est, ut ad subsiliendum in equum magno sit adiumento. Nam quo altius suspensa est sinistra manus, eo facilius enititur eques. Itaque etiam apud nos certe in medio equi collo iuba prehendi solet ab iis, qui in equum insiliunt. Sed si iuxta aures, ut Xenophon praecipit, necessario habenae dextra manu tenendae sunt, quia, si sinistra, ut nos solemus, tenerentur, aut laxae nimiam libertatem equo concederent, aut adstrictiores non possent equo inquieto satis et celeriter remitti, et simul firmiter adduci, quippe multo breviores, quam ut manus equitis in eo, in quo debet loco, collocari posset. Quod si sinistra manu non poterant habenae teneri, dextra debebant: sed si dextra, non conveniebat eam dorso imponi, ut nos solemus, sed extremitati armorum, ut iuba simul comprehendi posset. Nam si iubae non est implicata manus, equo ferociente excuti potest, quo facto equi os frenis percuti necesse est. Multo minus, si quis hasta enitens equum conscendat, sinistra manu, quae hastam tenet, habenas poterit prehendere, nisi et regimen omne equi omittere, et oris laedendi periculum subire volet.

Alter locus, de quo dicere constitui, pertinet ad varios equi incessus. Ibi primo haec leguntur: *ὅταν δὲ προχωρεῖν σημήνῃ τῷ ἵππῳ, βάδην μὲν ἀρχέσθω· τοῦτο γὰρ ἀταρακτότατον.* Mox addit haec: *μετὰ δὲ ταῦτα τὸν αὐτοφυῆ διατροχάζων, διαχαλῴη τ᾽ ἂν ἀλυπότατα τὸ σῶμα, καὶ εἰς τὸ ἐπιραβδοφορεῖν ἥδιστ᾽ ἂν ἀφικνοῖτο. ἐπειδή περ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ᾽ ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ δεξιῷ, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν. τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλων αἴρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο· καὶ ὁπότε ἐπὶ*

τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπικλίσεως ἂν ἄρχοιτο. καὶ γὰρ πέφυκεν ὁ ἵππος, εἰς μὲν τὰ δεξιὰ στρεφόμενος, τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δέ, τοῖς ἀριστεροῖς. Camerarius caute hunc locum vertit, ut magis ambiguitate reprehensionem evitasse, quam perspicuitate sensum declarasse videatur. Heubelius, quem ut artis equestris magistrum aliquid lucis afferre par erat, vereor ne locum etiam obscuraverit. Is ita vertit: *Soll das pferd vorwärts, so treibe man es sanft an, denn dieses macht es unerschrocken. — Wenn es nachher in seinem natürlichen gang ist, so wird es seinen körper leicht zusammen nehmen und zum laufen fähig machen, und man wird es nur mit einer ruthe anzutreiben nöthig haben. Da man es für schön hält, dass das pferd mit der linken seite zu laufen anfängt, so muss man ihm, damit es dieses gern thue, nur die ruthe zeigen, wenn es mit dem rechten fuss auszuschreiten sich anschicket. Will es den linken fuss aufheben, so lasse man es mit ihm zu schreiten anfangen, und wie es sich links kehret, so oft lasse man es auch sich zu wenden anfangen. Denn das pferd pflegt sich natürlich nach der rechten seite zu bewegen, wenn es sich nach rechts hinkehret, und links, wenn es sich links wendet.* Vix credibile est, hominem rei equestri deditum tam ineptas sententias a peritissimo equite profectas credidisse. Videamus singula. Est enim hic locus propterea inprimis notabilis, quod nomina diversorum equi incessuum continet. Igitur primo, ubi procedendi signum datum sit equo, simplici passu incedendum esse dicit Xenophon. Id genus nostri *schritt* vocant, Graeci *βάδην*. Eaque consuetudo incipiendi curriculi etiam apud nos in scholis equestribus servatur, atque ob eamdem caussam, quam a Xenophonte clare expressam non intellexit Heubelius, ne equus, statim ab initio ad celeriorem cursum incitatus, ferociorem se praebeat. Solent enim equi, nisi plane ignavi, si ab initio concitatius ingredi cogantur, inquieti et ad lasciviam proni esse: quod contra, si satis tranquille initium fiat, etiam ferocissimi facile obediunt.

De qua re erudite disseruit Xenophon IX. 3. 4. Passum et apud nos et secundum Xenophontem excipit illud genus, quod pedibus decussatim tollendis continetur. Id nostri *trab* vocant, Graeci *διατροχάζειν*, vel *τὸν αὐτοφυῆ διατροχάζειν.* Id quod satis clare e Xenophontis verbis intelligitur. Est enim huius generis vere haec duplex virtus, quam commemorat Xenophon, ut et mobilia reddat equi membra, et aptissimum sit, unde equus ad gradum tolutilem incitetur. Sequitur ergo secundum hoc genus et nostra et Graecorum consuetudine gradus tolutilis, quem nostri dicunt *galop*, Graeci *ἐπιραβδοφορεῖν*, id quod e Xenophontis loco tam est apertum, ut mirum sit, de propria verbi significatione cogitasse interpretes. Nam etsi a virgae incitatione ductum est nomen, non tamen percussio eo nomine indicatur, sed genus ingrediendi, ad quod equus virga impellebatur. Eodem modo etiam apud Pollucem I. **220**. *ἐπιραβδοφορεῖν* dicitur. Eius verba haec sunt: *τὸ δὲ ἐπιραβδοφορεῖν τὸν ἵππον, ὅπερ γίνεται, εἴ τις εἰς δρόμον ἐξελαύνοι, οὐ πάνυ ἐπαινοῦσιν οἱ ἱππικοί.* Scilicet homo rei equestris imperitus obscure loquutus est, nec satis intellexit quare hoc reprehenderetur. Citatus cursus fit tolutim: inde *ἐπιραβδοφορεῖν τὸν ἵππον* (id est, ut nos dicimus *das pferd galopiren*) necessarium est ad effusum cursum. Quod si solutim ire non nimis laudant artis periti, caussa haec est, quod nimia huius generis frequentatione pedes equi anteriores laeduntur. Sed accedimus ad eam, quae maxima est in Xenophontis loco obscuritas. Rationem enim explicaturus, qua ad gradum tolutilem incitetur equus, ita perplexe loqui visus est interpretibus, ut mentem eius vix intelligi posse faterentur. Ac primum illud, *ἀπὸ τῶν εὐωνύμων ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον,* Heubelius, nostram scilicet consuetudinem, qua prius dextra quam sinistra tolutim itur, veteribus probatam ratus, de sinistro pede intellexit. Nam equus dextra tolutim incedens primum sinistrum pedem posteriorem, inde dextrum simul posteriorem atque sinistrum anteriorem, postremo dextrum anteriorem tollit. Recte vero Camerarius in hippocomico p. **61**. vidit, laudatissimum perhiberi

a Xenophonte, si initium fiat equo in laevam circumagendo. Id vero est sinistra tolutim ire, in quo genere contraria est pedum tollendorum ratio, ut ab dextro pede posteriore initium fiat, et postremus tollatur sinister anterior. Hanc explicationem veram esse, et ipsa rei ratio, et veterum monumenta docent. Apud nos enim, quorum omnis ars equestris a bellico usu originem et leges accepit, nihil mirum est, si magis in dextram quam in laevam circumagi equos docemus, quia dextri gyri frequentior et magis necessarius usus erat in dimicationibus, quae hasta et gladio committebantur. Eamdem rationem Graeci quoque tenuissent, nisi apud hos prior fuisset curulis exercitatio. Nam in curulibus certaminibus laevo gyro solebant metam ambire. Apud Homerum Iliad. XXIII. 334. ita Nestor filio praecipit:

> *τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους,*
> *αὐτὸς δὲ κλινθῆναι ἐϋπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ*
> *ἦκ' ἐπ ἀριστερὰ τοῖϊν· ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον*
> *κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν.*
> *ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω,*
> *ὡς ἄν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι*
> *κύκλου ποιητοῖο· λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν,*
> *μήπως ἵππους τε τρώσῃς, κάτα θ' ἅρματα ἄξῃς.*

Sophocles in Electra v. 722.

> *κεῖνος δ' ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων*
> *ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα, δεξιόν τ' ἀνεὶς*
> *σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προςκείμενον.*

Et v. 745.

> *ἔπειτα λύων ἡνίαν ἀριστερὰν*
> *κάμπτοντος ἵππου, λανθάνει στήλην ἄκραν*
> *παίσας· ἔθραυσε δ' ἄξονος μέσας χνόας,*
> *κἀξ ἀντύγων ὤλισθε.*

Nam in flexu sinistra habena adduci debet, quo sinister equus retineatur, dextra autem laxari, quo dexter equus, cui maius percurrendum est spatium, effusius currere possit. Itaque curari solebat, ut ad dextram equusqui fortior esset iungeretur: omninoque, si trinis equis cer-

taretur, funalis dextrum latus tenebat. Hinc Aeschylus σειραφόρον κριθῶντα πῶλον dixit, quum fortem et validum vellet indicare, et Sophocles Martem vocavit δεξιόσειρον, ut impetuosum, dextri equi more, significaret. Non est autem consuetudo illa equos in curulibus certaminibus in laevam flectendi temere orta. Nam equi nulla arte et disciplina eruditi natura fere solent tolutim sinistra ire, quia sic in utero gestantur, ut dextro armo magis coarctato liberior sit sinister. Quare in sinistrum magis incumbunt. Id igitur quum animadvertissent Graeci, cursum videntur sic instituisse, ut equos id, quod natura monstraret, sequi paterentur. Nam si ab dextra parte metam ambire voluissent, verendum erat, ne equi, quos e curru difficile est ita regere, ut contra naturam dextra tolutim eant, in flexione aut laberentur, si sinistra tolutim irent, aut, si, quod equi omnes natura duce in brevi flexu faciunt, repente mutata pedum glomeratione, dextra ire inciperent, non modo turbaretur cursus, sed currus etiam succussu, quem inde oriri necesse esset, everteretur. Itaque sinistro flexu per certamina curulia nobilitato, mansit haec consuetudo etiam postea, quum equitandi ars coli coepisset, ut ab sinistro cursu fieret initium. Sed redeamus ad Xenophontem, qui quum servato hoc more, quomodo sinistra tolutim iri debeat ostendere vult, ita loquitur: ἐπειδή περ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ, διατροχάζοντος μὲν ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ δεξιῷ, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν. Interpretes fere putant hoc dicere Xenophontem, si equus, quum debeat sinistra tolutim incedere, dextra velit, virga coercendum esse. Atqui si ἐπιραβδοφορεῖν est tolutim ire, falsa est ista explicatio, ut taceam, tam ineptum esse tale praeceptum, ut errorem equi non corrigat, sed augeat. Heubelii autem interpretatio se ipsa refellit, in qua quum alia sunt perversa, tum hoc maxime, quod ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι et τῷ δεξιῷ διατροχάζειν eamdem rem esse putat. Sed etiam si quis meliora afferre possit, habebit tamen hic locus, in quo quis haereat. Nam quum

docere velit Xenophon, quomodo equus sinistra tolutim agitandus sit, quid hoc est, quod tolutim incipiendum dicit, dum equus dextra decussatim incedat? Cur enim dextra, quod et naturae repugnat, et ipsius Xenophontis verbis? Addit enim, *τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλων αἴρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο:* et mox, *καὶ γὰρ πέφυκεν ὁ ἵππος εἰς μὲν τὰ δεξιὰ στρεφόμενος, τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δὲ, τοῖς ἀριστεροῖς.* Neque quod Heubelio dixisse videtur Xenophon, probabile est, equum esse paullum ad dextram flectendum, quo facilius et commodius sinistrorsum agi possit. Quae sententia neque in verbis Xenophontis inest, neque est periti equitis [1]). Non est in verbis, quia, quod hic dicitur, equo dextra incedenti significandum esse gradum tolutilem sinistrum, non modo his verbis contrarium est, quae modo apposuimus, sed etiam, et multo magis, iis, quae eodem in loco leguntur, *καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπικλίσεως ἂν ἄρχοιτο.* Equitis autem imperiti tale praeceptum esse contendimus, quia dextra ire, ut deinde sinistrorsum acto equo tolutim incipias, inutile est, multoque operosius quam opus habeas, quia nulla tamen re, nisi flexu ad laevam, ut vere monuit Xenophon, tolutim ire impellitur equus. Quo minus dubitari posse arbitror, quin hic Xenophontis locus gravi vitio laboret. Ipsum enim Xenophontem tantae imperitiae accusare, quantam vix in homine vel aliqua equitandi exercitatione culto invenias, non modo iniquum, sed stultum videtur. Quare ita scripsisse Xenophontem existimo: *ἐπείπερ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν, ὁπότε ἀναβαίνοι, τῷ ἀριστερῷ, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν· (τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλων αἴρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο) καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπισκελίσεως ἄρχοιτο.* In his primum,

1) Nisi quum sine flexu recta quis linea incedens gradum tolutilem incipit.

quum ἐπεί δέ περ Aldina habeat, cuius lectionem male indicavit Zeunius, ἐπείπερ δὲ scribendum duxi, ut XII. 8. connectendae orationis caussa; deinde τῷ ἀριστερῷ pro τῷ δεξιῷ; tum ἐπισκελίσεως [2]) e Polluce pro ἐπικλίσεως; denique, mutata interpunctione, delendum ἂν ante ultimum verbum. Atque ἂν ante ἄρχοιτο abesse in cod. Lips. notavit Sturzius, modo is indicasset, utrum hoc quod ego delevi, an illud quod praecedit, quando verba ἂν ἄρχοιτο bis in hoc loco leguntur. Xenophontis sententia haec est: quoniam laudatissimum habeatur, sinistra cursum incipere, velle se ostendere, quo pacto ad gradum tolutilem equus incitari sinistra debeat: id vero si quis sinistra didicerit, eodem modo dextra faciendum esse Xenophon intelligit, pariter ac nostri de dextra praecipiunt, ut inde de sinistra concludi possit. Atque hic observari velim, alium videri apud Graecos equitationum ordinem fuisse, atque apud nos. Nos enim posteaquam dextra sinistraque vel etiam iterum dextra decussatim ire equum fecimus, pausa facta, tolutim dextra et sinistra, vel etiam ut iterum ad dextram perveniatur, incedimus. Graeci autem passu incipiebant sinistra, eademque manu deinde decussatim, denique tolutim ibant, tum eodem ordine dextra cursum instituebant [3]). Igitur Xenophon, quomodo tolutim iri

---

2) Scripseram ubique ἐπισκέλησις, ut est apud Pollucem. At et analogia et corrupta Xenophontis scriptura docent, scribendum esse ἐπισκέλισις, atque ita dederunt editores nonnulli.

3) Id mihi videbar colligere ex iis, quae hic praecipi a Xenophonte putabam. At eam interpretationem hodie non probo, ut mox ostendam. Quum ab laeva incipi decere dicit Xenophon, ambiguum est, utrum id ad solum gradum tolutilem, de quo hic loquitur, an ad omne genus incessus spectet. Si ad solum gradum tolutilem, dextra fortasse manu primum passu, deinde decussatim currente equo processerunt, tum autem ad laevum gyrum conversi tolutim egerunt equum; sin omnis incessus ab laeva inceptus est, videntur prima duo genera primo laeva manu, deinde dextra peracta esse; inde autem eodem ordine tolutim.

debeat monstraturus, tolutim incipiendum dicit ab sinistra, et quidem equo sinistra decussatim incedente, quia sinistrum pedem anteriorem ad cursum tolutilem proiecturus equus ab laevo flexu initium faciat; esse autem tolutim sic incipiendum, ut non modo sinistra incedens equus, sed in ipso ad laevam flexu ad gradum tolutilem incitetur [4]). Quod

---

4) Recepit sscripturae mutationem, quam in hac dissertatione proposui, Fr. Iacobsius, Friderici f., in editione libri Xenophontei, sed ut coniungeret verba ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ ἀριστερῷ, verteretque *sobald es den linken fuss aufhebt.* At id per significationem verbi ἀναβαίνειν fieri non potest, neque ego ita volueram, sed ὁπότε ἀναβαίνοι de equite intelligebam, qui equum conscendisset. Verum enimvero ne hoc quidem probari potest. Nam et ἀναβαίη potius dicendum fuisset, et tamen ne id quidem scriptum fuisse a Xenophonte credibile est, quia prorsus inutile est hoc additamentum. Accedunt autem tria alia, quae coniecturam meam labefaciant, unum quod audacior est et violentior illa verborum τῷ δεξιῷ in τῷ ἀριστερῷ commutatio; alterum quod διατροχάζειν τῷ ἀριστερῷ non videtur significare posse, sinistra manu, quod nos dicimus, incedere, i. e. sic ut ad flexum in laevam compositus sit equus; tertium, quod mox Xenophon non στρέφοι, sed ἀναστρέφοι dicit, quod non est convertere equum, sed rursum convertere, ideoque redire in gyrum aliquantisper relictum. Ex eo autem, quod secundo loco posui, consequitur, etiam τῷ δεξιῷ διατροχάζειν perperam dici, coniungique debere verba sic, ut fecit Iacobsius, modo vel explicentur aliter, vel emendentur. Atqui explicari quomodo possint, fateor me non intelligere: emendari vero posse existimo, et quidem ita, ut neque in verbis ulli sit reprehensioni locus, neque artis equestris periti inventuri sint, quod verius aptiusque dictum esse velint. Etenim sic est, nisi egregie fallor, scribendum: ἐπείπερ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μέν, ὁπότε ἀποβαίνοι τῶν δεξιῶν, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιρραβδοφορεῖν. I. e. quandoquidem autem ab sinistra incipere convenientius habetur, sic ab ea manu aptissime incipiat, si equo decussatim currente, quum a dextro gyro abit, tum equo tolutim significet. Namque abire ab dextro gyro nihil est aliud, quam commutare manum quod vocant, et ad laevum orbem transire. Iam in his, quae sequuntur, nulla est parenthesis, sed duo illa, quae dici oportebat, ordine memorata sunt: τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλων αἴρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο, καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε

qua caussa fieri debeat, deinde explicat, atque rectissime. Nam ad laevam flexus equus natura duce non nisi sinistra, ad dextram autem non nisi dextra tolutim ire solet. Itaque in flectendo maxime equi rudes ad tolutilem cursum instigari solent, quia sic non est metuendum, quod recta currentibus accidere solet, ut pedibus perverse alternatis aut dextra, quum sinistra debent, sinistra, quum debent dextra, aut denique anterioribus pedibus dextra, posterioribus sinistra, vel contrario modo incedant. Sed dicendum nunc est de *ἐπισκελίσει*, quod verbum Iungermannus ad Pollucem I. 214. rectissime Xenophonti restituit. Nam quod legebatur *ἐπικλίσεως*, ineptissimum est: quod verbum quum non possit aliud quiddam nisi flexum significare, quid attinebat dicere, flectendum esse equum, quum flecteretur? Sed de *ἐπισκέλίσει* obscurius loquitur Pollux. *Στηρικτέον δὲ αὐτόν*, inquit, *ὅταν ὁ ἵππος ἄρχηται τῆς ἐπισκελίσεως· ἐπισκέλισιν δὲ Ξενοφῶν καλεῖ τὴν ἀρχὴν τῆς τῶν ποδῶν κινήσεως.* Patet vero, eum rei ignarum fuisse. Non enim *ἐπισκέλισις* in Xenophontis loco significare potest initium pedum promovendorum, quippe quod etiam in passum et quemvis alium incessum quadraret, sed illius pedum motus initium indicat, qui est in gradu tolutili. Id nos in equo *anspringen*, et equum ad id incitare *ansprengen* appellamus.

Sequuntur haec apud Xenophontem: *ἱππασίαν δ᾽ ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην. ἐπ᾽ ἀμφοτέρας γὰρ*

καὶ τῆς ἐπισκελίσεως ἄρχοιτο. Postulatum est tolutim sinistra. Itaque equus ab dextro gyro ad laevum transgrediens, quum sinistra tolutim iturus sinistrum pedem anteriorem tollere debeat, hoc pede incipiet, non altero; simulque eo ipso momento, quo sinistrorsum flectitur, motu pedum mutato tolutim prosiliet. *Ἀναστρέφοι* autem dicit, quod quum initium curriculi ab laeva factum esset primum passu, deinde celeriore cursu, in quo transitum erat ad dextrum orbem, quum ex eo orbe rursum ad laevum gyrum reditur, tolutim imperat.

τὰς γνάθους στρέφεσθαι ἐθίζει· καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς ἱππασίας ἰσάζωνται. ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὴν ἑτερομήκη πέδην μᾶλλον τῆς κυκλοτεροῦς. ἥδιον μὲν γὰρ οὕτως ἀναστρέφοιτο ὁ ἵππος, ἤδη πλήρης ὢν τοῦ εὐθέος, καὶ τό τε ὀρθοδρομεῖν καὶ τὸ ἀποκάμπτειν ἅμα μελετῴη ἄν. Multum dubitarunt interpretes, quid vel πέδη esset, vel μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν. Atque Heubelius, qui Haynischium sequutus, πέδην putat esse eam equitationem, quae *schlangenschule* Germanice vocatur, non video quomodo hanc interpretationem cum verbis Xenophontis aut cum iis quae Pollux habet conciliare possit. Idem quum verba τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν vertit *den ritt verändern*, et insolenter est et obscurissime loquutus. Vtrumque genus equitationis quale fuerit, e duobus Xenophontis et uno Pollucis loco erui debebit. Ac Pollux I. 214. ita scribit: πέδη δὲ ἱππασία, ἡ κυκλοτερής· ἐπιμήκης πέδη, ἡ μῆκος τῷ κύκλῳ προστιθεῖσα. Facile vel ex his potest intelligi, πέδην non esse eam, quae *schlangenschule* dicitur, sed gyrum, quem nunc *volte* vocant. Eaque est πέδη κυκλοτερής. Sed hic gyrus si est oblongus, ut in summa tantum atque ima parte gyri speciem habeat, in utroque autem latere linea recta procedatur, πέδη ἐπιμήκης dicitur. Cum hac explicatione bene congruunt quae de hoc genere equitationis praedicat Xenophon: ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ τὰς γνάθους στρέφεσθαι ἐθίζει. Nam perpetuo flexu in circulum agitur equus, nunc dextra, nunc laeva. Afferam nunc alterum Xenophontis locum, qui est III. 5. Is ad eamdem explicationem ducit. Τούς γε μὴν ἑτερογνάθους μηνύει μὲν καὶ ἡ πέδη καλουμένη ἱππασία, πολὺ δὲ μᾶλλον καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν. πολλοὶ γὰρ οὐκ ἐγχειροῦσιν ἐκφέρειν, ἢν μὴ ἅμα συμβῇ ἡ ἄδικος γνάθος καὶ ἡ πρὸς οἶκον ἐκφορά. Verissimum est enim, equos, qui sunt impari ore, optime in gyris cognosci. Nam qua oris parte molliores sunt, facilius in gyrum flectuntur; qua duriores, aegre flecti possunt, atque interdum resistunt. Vt multi dextrum gyrum, quidam sini-

strum adspernantur. Difficilior quaestio est, quid sit *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν.* Id videtur esse variare gyros, id est e dextro ad sinistrum, et ab hoc ad dextrum transire, quod nostri *changiren*, *wechseln*, *auf die andere hand gehen* appellant. Non sum nescius, posse hoc *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν* etiam sic intelligi, ut significetur id quod nunc *renvers* vel *volte renversée* dicitur, et quidem has maxime ob caussas, primum quod illa, *τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ᾽ ἑκατέραν τῆς ἱππασίας ἰσάζωνται*, optime in hoc genus equitationis quadrent, ut quum in laevum gyrum dextra tolutim itur, ubi dextris frenis, quamquam in laevo flexu, maxime opus est; deinde quod, si *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν* est simpliciter mutare gyrum, quod *changiren* vocant, id ipsa illa exercitatione, quae *πέδη* dicitur, comprehensum esse videatur, quae, ut ait Xenophon, *ἐπ᾽ ἀμφοτέρας τὰς γνάθος στρέφεσθαι ἐθίζει.* Tamen quo minus inversum gyrum, eum dico quem *volte renversée* appellant, intelligendum putem, quaedam, eaque non levia obstant. Primum eo in loco, ubi Xenophon illud *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν* in primis aptum esse dicit ad equos, qui altera oris parte duriores sint cognoscendos, non satis video, si inversus gyrus intelligi debeat, quomodo hic ad eum finem magis sit idoneus quam rectus gyrus. Immo plurimi equi, qui dextro freno se dextrorsum flecti recusant, sinistro facilius flectuntur, quippe adempta ad resistendum vi, sinisteriore armo coarctato. Et sic etiam qui ad laevam flecti nolunt. Praeterea quum Xenophon ibi de emptione equorum scribat, vix potuit gyrum inversum intelligere, quem equus non potest, nisi arte eruditus, peragere. Deinde si verba illa inversum gyrum significarent, mirum foret, si Xenophon in altero loco, ubi illud *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν* oris erudiendi caussa commendavit, alias utilitates, quas hoc genus habet, easque et multo maiores, et, quo maxime solet respicere, militares, omisisset. Quo magis adducor, ut *μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν* de mutatione gyri, quum a dextro ad laevum, ab laevo ad dextrum

transitur, id quod ipsa verborum significatio suadet, accipiendum esse putem. Quod si quis, ut supra commemoratum est, mutationem gyri partem esse *πέδης* censeat, in promptu est ratio, qua contrarium evinci possit. Nam ut apud nos in quibusdam scholis equestribus haec est consuetudo, ut dextro gyro peracto consistatur, quo equus possit respirare et requiescere, tum autem sinistro gyro procedatur: eodem modo etiam Graeci videntur peracto sinistro cursu constitisse, inde, pausa facta, ad dextrum accessisse. Licet hoc cognoscere e Xenophonte, qui IX. 6. ita scribit: *καὶ αἵ τε μακραὶ ἐλάσεις μᾶλλον ἢ αἱ πυκναὶ ἀποστροφαὶ πραΰνουσι τοὺς ἵππους.* Nam *ἔλασις*, quae apud nos dicitur *reprise*, cursum significat continuum et nulla pausa distinctum. Deinde alterius *ἐλάσεως* initium vocatur *ἀποστροφή*, ita ut hoc nomen etiam *ἔλασιν* significare possit, modo ne de prima *ἐλάσει* dicatur. Male enim hoc vocabulum ab interpretibus, in iisque a Sturzio, de flexu intellectum esse, patet ex duobus aliis locis: III. 5. *δεῖ γε μὴν εἰδέναι καὶ εἰ ἀφεθεὶς εἰς τάχος ἀναλαμβάνεται ἐν βραχεῖ, καὶ εἰ ἀναστρέφεσθαι ἐθέλει.* Et VII. 18. *καὶ ἐκ τοῦ ἑστάναι δὲ στρέψαντα δεῖ πάλιν ὁρμᾶν.* Quod si pausa facta ab laeva ad dextram vel ab dextra ad laevam transiri solebat, mutatio gyri in medio cursu non pertinebat ad *πέδην*. Sed reliquum est ut videamus ea, quae de hac gyri mutatione praedicat Xenophon. *Τούς γε μὴν ἑτερογνάθους*, inquit, *μηνύει μὲν καὶ ἡ πέδη καλουμένη ἱππασία· πολὺ δὲ μᾶλλον καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν. Πέδη* enim qui equi altera parte duriores sint eo monstrat, quod nunc ad laevam, nunc, pausa facta, ad dextram flectuntur. Mutatio gyri etsi natura sua nihil est aliud quam flexus qui est in simplici gyro, ut non videatur magis esse idoneus quam *πέδη* ad os equi cognoscendum, tamen, si est in gradu tolutili, verissima est Xenophontis sententia. Nam equi quoniam, quum tolutim gyrus mutatur, pedum alternatione facta, rapidius solent atque effusius currere, hoc facilius explorari os eorum potest, quo magis cohibendi et retinendi sunt. Atque de gyro tolutim mutando loqui Xenophontem, ex iis quae

sequuntur colligi potest: *πολλοὶ γὰρ οὐκ ἐγχειροῦσιν ἐκφέρειν, ἢ μὴ ἅμα συμβῇ ἥ τε ἄδικος γνάθος καὶ ἡ πρὸς οἶκον ἐκφορά.* Neque enim facile mordicus arreptis frenis aufugere solent equi, nisi in gradu tolutili. Caeterum vix credibile est, obscurum fuisse quibusdam interpretibus quid esset *συμβαίνειν τήν τε ἄδικον γνάθον καὶ τὴν πρὸς οἶκος ἐκφοράν.* Quae verba sic vertit Haynischius, ut eam partem oris intelligeret, quae illuc spectaret, quo via domum duceret. Heubelius autem plane alia, quam quae scripsit Xenophon, expressit. Oris partem Xenophon intelligit eam, quam artis periti pro ratione gyri interiorem vocant, id est in dextro gyro dextram, in sinistro sinistram. Etenim si ad dextram stabulum sit, equus, quamvis duro sit dextro ore, facile dextrorsum flectetur. Sed si sinistrum habeat durum, nolet ad laevam se averti a stabulo. Itaque *ἡ ἄδικος γνάθος* non est ab ea parte, qua domum via ducit, sed a parte opposita. Accedimus ad alterum Xenophontis locum: *καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς ἱππασίας ἰσάζωνται.* Horum verborum non potest alius esse sensus, quam hic, mutatione gyri effici, ut equus in dextro pariter atque sinistro gyro utraque maxilla facile frenis pareat. Primum enim mutando gyro fit, ut equus in medio gyro non modo interiori freno, sed, quoties ad alteram manum flectitur, etiam exteriori parere discat, eamque ob caussam, praesertim si crebro mutatur gyrus, semper ad utrumque frenum debeat attendere. Quod quam sit necessarium, maxime ad usum belli, nemo non intelliget. Ac qui equos rudes non nisi pausa facta ad alteram manum transire adsuefaciunt, facile sentiunt, si quando in medio cursu gyrum mutant, titubare equum nec firmiter lineam tenere. Deinde vero hoc quoque spectasse Xenophon videtur, quod in crebra gyri mutatione, quod genus multo rectius quam *πέδη* *schlangenschule* dici potest, habenae aequali longitudine teneri debent, quo ne remissio alterius aut adductio moram afferat. Ea vero re non minus quam illa, quae ante commemorata est, os equi exaequatur.

Vnum adhuc Pollucis errorem, quem huius auctoritate moti interpretes sequuti sunt, castigabo, partim quia ad eumdem locum Xenophontis, de quo disputatum est pertinet, partim ut hoc quoque exemplo id quod supra dixi imperitum rei equestris fuisse Pollucem appareat. Ita igitur Xenophon scribit: *δεῖ δὲ καὶ ὑπολαμβάνειν ἐν ταῖς στροφαῖς· οὐ γὰρ ῥᾴδιον τῷ ἵππῳ, οὐδ' ἀσφαλές, ἐν τῷ τάχει ὄντα κάμπτειν ἐν μικρῷ, ἄλλως τε κἂν ἀπόκροτον ἢ ὀλισθηρὸν ᾖ τὸ χωρίον. ὅταν γε μὴν ὑπολαμβάνῃ, ὡς ἥκιστα μὲν χρὴ τὸν ἵππον πλαγιοῦν τῷ χαλινῷ, ὡς ἥκιστα δ' αὐτὸν πλαγιοῦσθαι· εἰ δὲ μὴ, εὖ χρὴ εἰδέναι, ὅτι μικρὰ πρόφασις ἀρκέσει κεῖσθαι καὶ αὐτὸν καὶ τὸν ἵππον.* Tam clare haec atque perspicue scripta sunt, ut dubitari non possit, quin *ὑπολαμβάνειν* significet equum a celeriore cursu cohibere et lentius magisque confertim, quod *ἀθρόῳ τῷ ἵππῳ* Graece vocatur, cogere incedere. Idem verbi usus est etiam IX. 5. *ἢν δὲ καὶ εἰς τὸ θᾶττον ὁρμώμενον τοῦ καιροῦ ὑπολαμβάνειν βούλῃ τὸν θυμοειδῆ, οὐ δεῖ ἐξαπιναίως σπᾶν, ἀλλ' ἠρεμαίως προςάγεσθαι τῷ χαλινῷ, πραΰνοντα, οὐ βιαζόμενον ἠρεμεῖν.* Nostri hoc *verhalten* vocant, et res ipsa in scholis equestribus *halbe parade* dicitur, vel *demi-arrêt*. At vero Pollux alia huic verbo addit: *ἐν δὲ ταῖς στροφαῖς*, inquit, *οὐ δεῖ ἐξελαύνειν τὸν ἵππον, ἀλλὰ ἀναλαμβάνειν, ὅπερ καὶ ὑπολαμβάνειν λέγεται, καὶ κατέχειν, καὶ ἠρεμίζειν, καὶ ἀνέχειν.* In his alia aperte falsa, alia vix vera sunt. Ac falsum est, quod *ἀναλαμβάνειν* putat idem esse quod *ὑπολαμβάνειν*: in quo male eum sequuti sunt interpretes, atque in iis Sturzius. *Ἀναλαμβάνειν* enim est facere ut equus e cursu consistat, non, ut lentius incedat, quod est *ὑπολαμβάνειν*. Itaque *ἀναλαμβάνειν* Graeci dicunt quod nos *anhalten*, *arretiren*, *pariren*: et rem ipsam vocamus *arrêt*, *parade*. Confirmant hanc explicationem duo loci Xenophontis, III. 5. *δεῖ γε μὴν εἰδέναι, καὶ εἰ ἀφεθεὶς εἰς τάχος ἀναλαμβάνεται ἐν βραχεῖ.* Et VIII. 7. *χρὴ γὰρ ὁρμῶντος μὲν ἐξαίφνης ἵππου προνεύειν· ἧττον γὰρ ἂν καὶ ὑποδύοι ὁ ἵππος, καὶ ἀναβάλλοι τὸν ἀναβά-*

την· ἐν μικρῷ δὲ ἀναλαμβανομένου ἀναπίπτειν· ἧττον γὰρ ἂν αὐτὸς κόπτοιτο. Quae nemo est equitationis non plane imperitus, quin de equo in medio cursu consistere coacto intelligenda esse fateatur. Quae praeterea verba commemorat Pollux, in his quod primum posuit, *κατέχειν*, vereor ne non sit artis equestris proprium. Occurrit in Symposio Xenophonteo, ubi haec de Socrate scripta sunt: *ὅτι, ἔφη, ὁρῶ καὶ τοὺς ἱππικοὺς βουλομένους γενέσθαι, οὐ τοὺς εὐπειθεστάτους, ἀλλὰ τοὺς θυμοειδεῖς ἵππους κτωμένους· νομίζουσι γάρ, ἢν τοὺς τοιούτους δύνωνται κατέχειν, ῥᾳδίως τοῖς γε ἄλλοις ἵπποις χρήσεσθαι.* *Ἠρεμίζειν* recte potuit afferri, ut idem quod *ἀναλαμβάνειν* significans. Xenophon VII. 18. *καὶ ἐκ τοῦ ταχέως αὖ ὡς ἐγγυτάτω ἠρεμίζειν.* Nisi *ἀναλαμβάνειν* simpliciter in cursu consistere, *ἠρεμίζειν* ita consistere, ut aliquantisper in eodem loco maneas, indicat. Sequitur enim apud Xenophontem: *καὶ ἐκ τοῦ ἑστάναι δὲ στρέψαντα δεῖ πάλιν ὁρμᾶν.* Ac firmat hanc interpretationem cognatum vocabulum *ἠρεμεῖν*, quod significat retinere equum, ut tranquillus stet, ante cursum. Xenophon VII. 8. *ἐπειδάν γε μὴν καθίζηται, πρῶτον μὲν ἠρεμεῖν δεῖ διδάσκειν τὸν ἵππον, ἕως ἂν καὶ ὑποσπάσηται, ἤν τι δέηται, καὶ τὰς ἡνίας ἰσώσηται, καὶ τὸ δόρυ λάβῃ ὡς ἂν εὐφορώτατον εἴη.* (Exciderat articulus ante *ἡνίας* et ante *δόρυ*.) IX. 3. *ἐπειδὰν δ' ἀναβῇ, ἠρεμήσαντα πλείω χρόνον ἢ τὸν ἐπιτυχόντα, οὕτω προκινεῖν αὐτὸν ὡς πραοτάτοις σημείοις.* Id apud nos *halten* dicitur. Ceterum *ἠρεμεῖν* et de tranquillo equi incessu intelligitur, IX. 5. *ἢν δὲ καὶ εἰς τὸ θᾶττον ὁρμώμενον τοῦ καιροῦ ὑπολαμβάνειν βούλῃ τὸν θυμοειδῆ, οὐ δεῖ ἐξαπιναίως σπᾶν, ἀλλ' ἠρεμαίως προσάγεσθαι τῷ χαλινῷ, πραΰνοντα, οὐ βιαζόμενον ἠρεμεῖν*, et de equite, qui immotus sedet in equo; IX. 9. *Ἀνέχειν* denique, commemoratum a Polluce, non memini legere in re equestri. Quod quidem verbum, si fuit usurpatum ab artis peritis, credibile est idem quod *ἠρεμεῖν*, stare equo tranquillo ante cursum, significasse. Sed vereor magnopere, ne hoc non magis sit artis

vocabulum, quam, quod non adiecit Pollux, *ἐπιλαμβάνειν.* Eo usus est Xenophon IX. 8. *ἐπιλαμβάνειν δὲ χρὴ ἵππον θυμοειδῆ καὶ τοῦ εἰς τὸ τάχιστα ὁρμᾶν* [5].)

---

5) Arcendum dicit equum animosum ab effuso cursu.

DE DIFFERENTIA PROSAE ET POETICAE ORATIONIS DISPVTATIO.

PARS I. *)

Disciplinas artium praegrediuntur ipsae artes. Inventrix enim artium natura vel necessitas, perfectorque usus est: disciplina vero otii est et meditationis opus. Quare alias artes tunc maxime floruisse videmus, quum aut nulla earum, aut tenuis admodum disciplina esset; ab aliis autem ita spretam animadvertimus omnem disciplinam, ut, quam ea viam monstraret, hanc etiam vitare viderentur. Neque immerito. Magis enim disciplina quam ars obnoxia est erroribus, quia vel male positis fundamentis, vel rationibus non recte conclusis, specie ordinis cuiusdam fallere doctorem solet: quod contra ars, quae ducem naturam, admonitorem autem effectum habet, difficilius a vero abduci se patitur. Itaque quum excultis iam artibus disciplinae paullatim invenirentur, non raro accidit, ut aut disciplinae accessio molesta quadam exilitate pristinam artibus dignitatem detraheret, aut ipsae disciplinae, ubi earum inventores naturam artium non recte intellexissent, tum non omnem ar-

*) Publice defensa est ad locum in Ordine Philosophorum Lipsiensi obtinendum die IX. Martii a. CIƆIƆCCCIII. socio Eduardo Platnero, Lipsiensi, qui nunc Professor iuris est in Academia Marburgensi.

tem complecterentur, tum, falsis alienisque admixtis, mirum in modum depravarentur. Horum omnium ars rhetorica luculentissimum exemplum exstitit. Quae quum primum apud Graecos, plerarumque artium et doctrinarum repertores, exorta esset, initio in exercitatione quadam copiose ornateque dicendi constitit; mox vero hominum eloquentiae laude florentium opera disciplinae quaedam ratio et praeceptorum subtilitas accessit. Sed quum universa dicendi vis et facultas potissimum in caussis iudicialibus, 2 in negotiis publicis, in sollemnibus laudationibus versaretur, fieri non potuit, quin his in rebus solis disciplina se contineret, caetera autem dicendi genera non solum negligeret, verum etiam excludere videretur. Historiarum expositio, philosophiae explicatio, familiarium sermonum elegans imitatio disciplinam habebant nullam. Nam qui in his rebus elaborabant, aut a declamationum exercitatione aliquem usum dicendi afferebant, aut in eorum exempla, qui antea in his generibus excelluissent, intuebantur, aut suopte denique ingenio sensuque adiuti, quid verum et aptum esset, intelligebant. Itaque quum Aristoteles, eximii vir ingenii, ad explicandam illustrandamque artis rhetoricae doctrinam accederet, hic quoque, priores sequutus magistros, neglectis reliquis dicendi generibus, orationum scribendarum artem et scientiam persequi satis habuit. Quamquam hic non ita viam ab illis patefactam tenuit, ut non et nova et subtiliter excogitata afferret. Naturam enim atque officium rhetoricae, quod illi fere in flectendis commovendisque hominum animis versari statuebant, alio transferendum esse censuit. Nam quum rhetoricam, quam e dialectica oriri putabat, facultatem esse existimaret perspiciendi quid in quaque re probabile esset, primariam eius vim in probando demonstrandoque positam esse contendit. Alii deinde alias rhetoricae definitiones attulerunt, ut facile possit aestimari, qualem esse oportuerit disciplinam artis de cuius natura non constaret. Quin ipse Quinctilianus, in quo praeclarum fuit atque eximia eruditione politum ingenium, in eo loco, in quo plurimas aliorum de fine rhetoricae sententias commemo-

rat et refellit, optimam ex his, quae Isocratem habet auctorem, amplexus, rhetoricam bene dicendi artem esse existimat. Sed neque haec definitio, neque illa Cleanthis et Chrysippi, rhetoricam recte dicendi artem esse censentium, quae Quinctiliano eamdem habere vim atque illa Isocratis, nobis autem etiam propius verum accedere videtur, satis idonea est. Etenim, ut dicam quod sentio, omnes istae artis rhetoricae definitiones duplici maxime vitio laborant. Quippe ex una parte iusto latius patent, ex altera parte angustiores re definienda sunt. Ac latius patent primum eo, quod dialecticae aliquam partem admiscent arti rhetoricae, ut Aristotelica, reprehensa a Quinctiliano II. 15, 13. et a grammatico quodam in Biblioth. Coisl. p. 593. Neque enim hoc est artis eius officium quae dicendi praeceptis continetur, ut, quid cogitandum sit et quomodo, ostendat, sed ut cogitata recte eloqui doceat. Deinde eo quoque latius quam debet extenditur rhetoricae descriptio, quod a poesi non satis distingui solet. Nam definitiones, cuiusmodi illae sunt Isocratis et Chrysippi, quidni etiam in artem poeticam quadrent, quae et bene et recte dicendi ars, non minus quam rhetorica, est? Nec meliores hoc in genere sunt illae definitiones, quae copiose ornateque dicendi scientiam esse tradunt: in quibus hoc quoque vitiosum est, quod ne ad eam quidem, quae universe vocatur eloquentia, accommodatae sunt. Saepe enim ea est maxima oratoris virtus, omnique copia et ornatu excellentior, breviter scire et simpliciter loqui. Contra, quod etiam angustiores, ac debebant, esse istas definitiones diximus, id spectat ad vim et usum artis, quem doctores omnes in orationibus quae proprie dicuntur expromi putant. Nam quis tandem finis sit, quo hae orationes ab aliis dicendi scribendique generibus ita differant, ut dictionem requirant plane singularem et ab aliis sermonum scriptionumque formis alienam? Manifestum est, quidquid hic discriminis reperiri possit, id non in dictione atque elocutione, quae tamen propria est rhetoricae, sed in materia dicendi argumentoque versari. Quare illi denique pene ridiculi sunt, qui eloquentiae fa-

3

cultatem positam putant in rebus intelligentiae communi accommodatis. Nam quae tandem est illa communis intelligentia, aut quousque pertinet? quosnam quasi terminos habet, intra quos debeat consistere? aut quid est, quod ab hac intelligentia communi segregandum sit atque excludendum, quandoquidem gradibus quidem illa quibusdam distinguitur, sed circumscriptionem non habet aliam, quam quae rerum omnium in cogitationem et sermonem cadentium circumscriptio est? Nam et rusticorum quaedam est communis intelligentia, et mediocriter cultorum, et eruditorum, et philosophorum denique.

4 Sed operae pretium est quaerere, quae tantarum de artis rhetoricae natura dissensionum caussa fuerit atque origo. Eam vero non in ipso dicendi officio, quod sive bene sive recte sive apposite ad persuadendum dicendo continetur, simplex est neque ambiguum, sed in materia dicendi argumentoque positam existimaverim. Hoc enim quum artis doctores negligi non posse viderent, quia, qui recte dicere vellet, etiam rem, de qua diceret, apte tractare deberet, quaerendum putarunt, quae materia esset arti rhetoricae subiecta. Atque quum alii, usum maxime atque exempla respicientes, eam artem in caussis civilibus versari censuissent, alii, qui latius patere eloquentiae vim animadverterent, quoniam infinitam esse materiae copiam videbant, aut potissima tantum atque usu tritissima argumenta disciplinae quadam ratione consequuti sunt, aut definitionem materiae talem posuerunt, quae reprehensionem ambiguitate sua videretur effugere. Ita factum est, id quod pene est incredibile, ut etiam qui nullo in argumento non usum aliquem artis rhetoricae esse putarent, non haberent tamen, quo pacto omnem illam materiae argumentorumque vim una quadam certaque notione comprehenderent. Cui vitio si volumus occurrere, altius repetenda erit artis rhetoricae definitio.

Atque quum omnis orationis duae sint formae, una, quae poesis dicitur, altera, quae prosae orationis nomen habet, artem rhetoricam prosae orationis condendae scientiam esse iudicamus. Quae definitio minus verendum est

ne falsa, quam ne non satis clara esse videatur. Nam de eo quidem neminem a nobis dissensurum putamus, nullum esse dicendi genus, si a poesi discesseris, quin artis rhetoricae praeceptis indigeat, quandoquidem non solum eos, qui proprio nomine oratores vocantur, sed historicos, philosophos, epistolarum scriptores, omnino quoscumque prosa oratione utentes, arte quadam dicendi, diversa illa quidem in diversis generibus, sed simili tamen et ex uno quodam fonte derivata, opus habere videmus. Illud vero, in quo summa huius disputationis versatur, differentiam dico prosae et poeticae orationis, obscurius est et maioribus obnoxium dubitationibus. De quo si satis perspicue explicari poterit, non dubitamus fore, quin et illa, quam posuimus, rhetoricae definitio plane intelligi queat, et ipsa haec dicendi ars aptiorem quamdam et certiorem disciplinam sibi vindicatura sit. Sed non sum nescius, tam late patere hanc quaestionem de prosae orationis et poeseos differentia, tantisque impeditam esse difficultatibus, ut, si quis penitus exhaurire hunc locum voluerit, ei vix magnum volumen sufficere videatur. Ac mihi quidem quum academicarum scriptionum brevitas optionem fecisset, utrum singulas argumenti istius partes singulis datis opportunitatibus pertractare copiosius, an brevem universae disputationis adumbrationem uno vel duobus coniunctis libellis comprehendere vellem: consultius visum est, et ad perspicuitatem rei, praesertim antea non satis diligenter expositae, accommodatius, totius argumenti quamdam quasi delineationem exhibere. Hanc vero disputationem ita instituendam putamus, ut Engelii, Sulzeri, aliorumque sententiis, qui ante nos in eodem argumento elaborarunt, praetermissis, nova quadam ratione rem ab iis, quae prima eius elementa sunt, repetamus. Quod hoc minus vitio nobis speramus datum iri, quod, quum illi, utpote rei natura non plane perspecta, vix ad popularem captum satis apte disseruisse videantur, haud facile quemquam fore existimamus, qui aut refelli illos postulet, aut ipse in illorum sententiis acquiescere velit.

Ac quae duae sunt omnis orationis partes, cogitationes et sermo, harum de utraque dicendum erit singulatim. Sed quoniam utraque harum partium ex his duobus constat, materia formaque, quarum materiam dicimus, qua cogitationes et sermo id ipsum sunt, quod sunt, formam autem vocamus rationem, qua pro diversis finibus diversam vim induunt: apertum est, de forma cogitationum sermonisque, non de materia, nobis exponendum esse. Quam enim materiam cogitationum et sermonis nominamus, ea quia communis est omnis orationis, non habet, quod ad poesin et prosam orationem inter se distinguendas adhiberi possit. Atque huius generis duae sunt doctrinae, una, quae cogitationum arte continetur, quam dia-6lecticam vocant, altera, quae sermonis usum explicat, cui nomen grammaticae est. Quod si quae sunt, certe quod ad cogitationes attinet, diversitates materiae, e quibus ad constituenda orationis genera aliquid momenti accedat, hae quoque, quoniam eaedem sunt in prosa oratione atque in poesi, merito hic quidem a nobis praetermittentur. Ac de his dixi in commentatione de tragica et epica poesi, quam Aristotelis libro de arte poetica addidi, cap. XIII—XVI.

Erit autem haec de forma orationis, de qua sola dicendum nobis est, tripartita disputatio. Quae enim duae sunt orationis partes, cogitationes ac sermo, harum altera, sermonem dico, quia media est inter cogitationem loquentis et sensum audientis, duplici modo considerari debebit. Nam quod dixi, mediam esse inter loquentis cogitationem et audientis sensum, id huiusmodi est. Vocabula, e quibus constat sermo, signa sunt, ad eum finem inventa, ut notitias animi et cogitationes declarent. Itaque primo loco in iis spectandum est, qua ratione quidque exprimant, quaeque vis eorum sit et significatio. Idque dictionem vocamus. Sed quoniam vocabulorum natura voce continetur, quae pro sonorum diversis conformationibus diverso modo animum afficit ac movet, ea quoque, quae vocis propria sunt, considerari oportebit. Id vero dicimus elocutionem. Itaque his tribus factis partibus,

primo de cogitationum conformatione, deinde de dictionis forma, postremo de elocutionis ratione aperiemus.

De cogitationibus.

Ac quoniam a cogitationibus, quae primarium in omni oratione locum tenent, initium fieri par est, in his quae prima est et maxima poeseos ac prosae orationis differentia, eo censetur, quod notitias, in quibus exponendis sermo versatur, in prosa oratione ad aliquam rem extra nos positam, in poesi ad nosmet ipsos nostrumque sensum referimus. Est autem referre notitias ad res extra nos positas, cognoscere; ad nosmet ipsos, sentire. Itaque qui prosa oratione utuntur, cognosci aliquid ab auditoribus suis volunt; qui poesi, ad voluptatem orationem componunt. Ac quemadmodum poesis, quae nihil ad animi sensum voluptatemque afferret, non esset poesis: sic ne prosa quidem ea dici posset oratio, quae nulli rei cognoscendae inserviret. In poesi quidem res aperta est; obscurior paullo in prosa oratione. Nam haec quoque, non secus ac poesis, movere animum ac perturbare conatur. At tantum abest, hac in re ut aliquid mutuetur a poesi, ut magis, quantum ab ea differat, videatur ostendere. Nam quod paullo ante dicebamus, in prosa oratione notitias ad res extra nos positas referri, id vel maxime ibi licet cognoscere, ubi oratores aliquem animi motum, ut indignationem, miserationem, metum, in animis auditorum excitare student. Neque enim orator, ut poeta, iis rebus, quae in quaque cogitatione expertes sunt clarae cognitionis, sed iis, quae cognosci demonstrarique possunt, animos commovet. Docet ille, argumentisque ostendit, utile aliquid vel noxium, admirabile vel contemnendum, exoptandum vel fugiendum esse: quae argumenta quia in vi rerum externarum ad animos hominum posita sunt, petit ea ab sensu cuiusque, eumque ut commoveat, nunc eorum facit mentionem, quae grata vel ingrata auditoribus esse debent, nunc se ipsum ita commotum iis ostendit, ut non possint non ad eiusdem perturbationis societatem abripi. Quare,

7

ut brevi complectar, ubi orator animos commovere studet, hoc ei curandum est, ut studia auditorum ab iis rebus, in quibus ea versantur, ad eas res, de quibus orationem habet, transferat: id vero est facere, ut aliquis intelligat, cum iis rebus, quas magni faciat, quas expetat, quas metuat, quas oderit, alias esse coniunctas, quae eiusdem curae ac sollicitudinis communionem requirant. Duobus haec illustrare volo, sed iis sat luculentis exemplis. *O Spartace, quem enim te potius appellem? cuius propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina.* *Ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω· καὶ οἴομαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων. εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω. ὅ τι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτ', ὦ πάντες θεοί, συνενέγκοι.* Haec quamvis magna cum vi atque animi commotione dicta sint, nihil tamen habent, quod poetae potius, quam oratoris videri debeat. Omnia enim, quae in his verbis animum pellunt ac perturbant, ex ipsa rei cognitione nascuntur, quae quia magnam partem cognitio est eius, quod sperandum metuendumque sit, eo paratur, quod spem illam metumque in ipso oratore expressum et quasi praesentem ante oculos collocatum videmus. Confidens eorum veritate, quae antea dixerat, *ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω,* inquit. Necessitatem obsequendi, celeritatemque, qua ad eam rem opus sit, magnitudinem periculi, sollicitudinem denique, ne consilia sua cunctando irrita reddantur, ostendit iis, quae sequuntur: *καὶ οἴομαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων;* et magis etiam additis his: *εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω.* Postremo metuens, ne alia placeat sententia, non solum his verbis, *ὅτι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτο συνενέγκοι,* vehementer se dubitare de felici alius consilii successu, sed his interpositis, *ὦ πάντες θεοί,* re plane desperata mentem et cogitationem ab imminentibus malis avertere demonstrat.

Sed porro quaerendum est, si in prosa oratione notitiae ad res extra nos positas, in poesi ad nosmet ipsos re-

ferantur, quomodo hoc, et quibus mentis viribus, et per quas comprehensiones fiat. Facile enim intelligitur, tam diversa officia non solum diversis animi viribus peragi debere, sed genus quoque comprehensionum aliud esse, quo res externas, aliud, quo animi nostri statum percipiamus. Atque illud quidem in promptu est, perceptiones mentis ad res externas per intellectum, et quae huius propriae sunt notiones, referri. Quare cognoscendi negotium totum in notionibus inter se comparandis positum est. Quod si verum est illud, quod supra diximus, prosae orationis naturam censeri cognitione comparanda, non poterit illa non intellectum notionesque sibi proprias vindicare. Sed hoc quidem tam clarum est, ut dubitationem omnem excludat. Difficilior de poesi disputatio est. Poesis enim quum non ad rerum cognitionem, sed ad animi statum spectet, neque ad intellectum referri potest, neque in notionum tractatione et comparatione versabitur, quia in his nihil, quod ad animi sensum pertineat, reperitur. Nihilo tamen minus poesin et easdem res tractare videmus, quas prosa oratione exponere licet, et notitiis uti iisdem, quibus in prosa quoque oratione locus est. Quare 9 illud quaerere oportebit, qui fiat, ut rerum notitiae ac perceptiones non ad res externas, sed ad animi sensum referri possint. Ea vero praeclara est ac divina phantasiae vis, quae easdem animi perceptiones, quas intellectus per notiones ad res externas refert, per suas quasdam ideas (ita enim appellare liceat) ad excitandum animi sensum idoneas reddit. Sunt autem hae, quas ideas phantasiae vocamus, notationes quaedam eorum, quae in quaque re praeter notionem eius insunt: quae si tam multa, tam magna, tam varia sunt, ut certa notio, quibus ea complectamur, inveniri nequeat, excitant hac materiae copia et varietate animum, ut in iis comparandis iudicandisque vires suas experiatur. Quae virium animi exercitatio quia certis notionibus destituta est, nihil nisi sensum aliquem virium illarum procreare potest. Haec quoque exemplis illustrare placet. Mnasalcae epigramma est hoc:

Ἀσπὶς Ἀλεξάνδρου τοῦ Φυλλέος ἱερὸν ἅδε
δῶρον Ἀπόλλωνι χρυσοκόμῳ δέδομαι,
γηραλέα μὲν ἴτυν πολέμων ὕπο, γηραλέα δὲ
ὀμφαλόν· ἀλλ' ἀρετᾷ λάμπομαι, ἇς ἔτυχον
ἀνδρὶ κορυσσομένα σὺν ἀριστέϊ, ὅς μ' ἀνέθηκεν.
ἐμμὶ δ' ἀήσσατος πάμπαν, ἀφ' οὗ γενόμαν.

Eo epigrammate quae continentur, si quis prosa oratione complecti voluerit, habebit certis notionibus descriptam clipei istius cognitionem. Alexandri cuiusdam fuisse sciet, consecratum esse Apollini, versatum fuisse in praeliis, numquam victum. Eadem tradit poeta, sed si sic, ut nunc relata sunt, poesis nulla foret. Hic ergo, ut placeat ista clipei descriptio, iis utitur notitiis, in quibus plurima sint, quae lector amplius persequi cogitatione possit. Primo formam clipei propius ob oculos adducit his verbis, *ἴτυν* et *ὀμφαλόν*, quo maiori alacritate deinde reliqua, quae commemorat, percipi possint atque animo comprehendi. Tum *γηραλέαν* vocat, in quo verbo et cruoris, quo conspersus fuit clipeus, et sanctitatis quae-
10 dam e vetustate oriundae significatio est. Deinde virtutem, quae possessoris fuerat, clipeo tribuit, idque sic, ut ab luce, quae ipsa est cum plurimis iucunditatis et magnificentiae cogitationibus coniuncta, ducat similitudinem. Denique possessorem describens, paucis verbis, sed magnam excellentium imaginum varietatem continentibus, virum lectori ostendit armorum splendore et corporis maiestate conspicuum. Addam huic exemplo descriptionem lascivientis equi ex Homero, quae bis in Iliade occurrit, semel, nisi fallor, posita ab antiquo poeta:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείει πεδίοιο κροαίνων,
εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσονται, ὃ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

Nolo singula in his persequi: illud tantum notari velim, mentionem caudae, quam equus vinculis ruptis ferociens

sublatam gestare solet, a poeta, diligentissimo alias naturae observatore omissam esse: in qua re curiosior fuit Plato in Phaedro cap. 77. p. 254. D. Sed quid sit, quod in illa descriptione poesis sibi vindicet, optime poterit intelligi, si quis equi illius imaginem pictura expressam cum imagine equi tolutim, ita ut equiso docuit, incedentis comparare volet. Equus enim, qualem Homerus describit, erecto capite, fluctuante iuba, luxuriante pedum glomeratione alacritatem, ferociam, terrorem spirat: alter iste, etiam si eximia sit pulcritudine, nihil nisi docet, quid sit gradus tolutilis.

Tertio loco de nexu cogitationum dicemus, cuius non potest non alia ratio in prosa oratione atque in poesi esse. Quum enim prosae orationis proprium sit, perceptiones referre ad res externas, idque notionum auxilio, quas format et constituit intellectus: apertum est omnem naturam cognitionis, quae hoc modo oritur, eo contineri, quod singularia per generalia comprehendimus atque intelligimus. Notiones enim comprehensiones sunt eorum, quae plurium rerum communia sunt. Itaque per notiones 11 aliquid cognoscere, id est intelligere esse aliquid in earum rerum numero, in quas notio aliqua quadret. Contraria poeseos ratio est. Haec quia perceptiones non ad res externas, sed ad sensum nostrum, nec per notiones, sed per ideas refert, a singularibus ad generalia adscendit, eaque singularium exemplorum auxilio ante mentem atque oculos adducere conatur. Ideae enim, quae poeseos omninoque pulcrarum artium propriae sunt, quum comprehensiones sint eorum, quae praeter notionem rei in quaque perceptione insunt, non possunt comprehendi notionibus atque exprimi, sed indicari tantum debent, atque exemplis demonstrari, quo animus multitudinem illam varietatemque perceptionum amplius persequi, comparare, coniungere queat. In quo negotio ob id ipsum, quod certis notionibus destituitur, iudicat varietatem illam pro ratione, qua ad ipsam iudicandi facultatem apta sit atque accommodata. Eam vero iudicandi rationem sensum pulcritudinis vocamus: qui propterea, quod ad plura perti-

net, quam in cuiusque rei notione insunt, generalium est per singularia perceptio. Tendit enim animus ad summum quoddam atque absolutissimum pulcritudinis exemplar, in idque intuens speciem quamdam deformare conatur, quae id, quod nulla specie satis exprimi potest, quasi e longinquo monstret, mentemque propius spectandi avidam fugiendo alliciat. Sensit hoc, de quo nunc disputamus, prosae orationis et poeseos discrimen Aristoteles, qui in artis poeticae cap. IX. quum quaereret, poeta quid ab historico distaret, historicum singularia, poetam generalia tractare docuit. Ita is loquitur: *ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. ἔστι δὲ καθόλου μέν, τῷ ποίῳ τὰ ποῖ' ἄττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον· οὗ στοχάζεται ἡ ποίησις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη· τὰ δὲ καθ' ἕκαστον, τί Ἀλκιβιάδης ἔπραξεν, ἢ τί ἔπαθεν.* Quae hic *τὰ καθ' ἕκαστον* dicit, ea sunt, quae singularia vocamus. Est enim historici, ut prosa oratione utentis, officium, de certa re sic exponere, ut generalibus usus notitiis cognitionem comparet lectoribus. Poeta vero, qui generalia curat, quae *τὰ καθόλου* dicit Aristoteles, non id agit, ut rem cognoscant auditores, sed ut cogno-12scenda re maiorem quamdam, multoque latius patentem imaginem animo concipiant. Vt, si quis historicus ea narraret, de quibus in Iliade expositum est, Achillem acciperemus Pelei et Thetidis filium fuisse, virum in Graeco exercitu fortissimam. Longe diversus Homeri Achilles est. Nihil curamus, utrum ille sit Achilles e Peleo et Thetide, an alius ex aliis natus; nihil utrum hos, qui tum ad Troiam militabant, virtute superaverit, an alios; nihil utrum ea, quae fecisse eum poeta refert, fecerit, an alia: sed simulacrum eum habemus atque effigiem viri nobilitate generis, animi et corporis virtutibus, factorum magnitudine et claritate excellentioris, quam alii sunt. Ita Herodotus, cuius historia quasi viam ab epica narratione ad eam, quae vere est historia, munivit, quum non solum cognitionem rerum gestarum, sed etiam vim ad animi sensum spectaverit, interdum ultra prosae orationis ter-

minos egreditur. Vt in ipso operis initio: *Ἡροδότου Ἁλικαρνησσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε· ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωυμαστά, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισι ἀποδεχθέντα, ἀκλεᾶ γένηται.* Et cap. V. *τὸν δὲ οἶδα αὐτὸς πρῶτον ὑπάρξαντα ἀδίκων ἔργων ἐς τοὺς Ἕλληνας, τοῦτον σημήνας, προβήσομαι ἐς τὸ πρόσω τοῦ λόγου, ὁμοίως σμικρὰ καὶ μεγάλα ἄστεα ἀνθρώπων ἐπεξιών· τὰ γὰρ τοπάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτέων σμικρὰ γέγονε· τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιστάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμᾶ ἐν τωὐτῷ μένουσαν, ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὁμοίως.* Sed redeo, unde digressus sum. Singularia per generalia intelligere est cognoscere, generalia singularibus indicata persequi est cogitando ludere. Itaque prosae orationis propria cognitio est, poeseos animi lusus. Nexus notionum, quae sunt in prosa oratione, definitur legibus iis, quae ad cognitionem rerum pertinent, unde obiectivae a philosophis vocantur: iisque legibus constituitur veritas. Nexus idearum, quae sunt in poesi, leges habet, quae ad animi sensum spectant, quas leges subiectivas dicunt philosophi: per has vero pulcritudo efficitur. Itaque quae in descriptionibus, in narrationibus, in demonstrationibus falsa sunt et veritati repugnantia, demonstrari argumentisque refelli possunt: quae vero ad pul- 13 critudinem minus polita, vel etiam inepta sint, indicare licet, si alii idem sentiant, probari autem, si quis dissentiat, non potest. Afferam exempli caussa epigramma Mnasalcae, simile ei, quod supra commemoratum est.

Ἤδη τᾷδε μένω πολέμου δίχα, καλὸν ἄνακτος
στέρνον ἐμῷ νώτῳ πολλάκι ῥυσαμένα,
καίπερ τηλεβόλους ἰούς, καὶ χερμάδι' αἰνὰ
μυρία, καὶ δολιχὰς δεξαμένα κάμακας.
οὐδέ ποτε Κλείτοιο λιπεῖν περιμάκεα πᾶχυν
φαμὶ κατὰ βλοσυρὸν φλοῖσβον Ἐνυαλίου.

Neminem puto fore, cui placeat *καλὸν στέρνον* viro bella-

tori tributum, praesertim quum idem *περιμάκεα πᾶχυν* habuisse dicatur. Tamen quis neget, pulcrum pectus posse etiam tale intelligi, quale vel maxime virum valentem et robustum deceat? Nihilominus quis non persuasissimum sibi habeat, illud *καλὸν* non esse a manu Mnasalcae profectum? Hic, nisi fallor, *κάμνον* scripserat.

Ab iis quae hactenus disputata sunt, postremo ad eam deducimur cogitationum in prosa oratione et poesi differentiam, quae in vi posita est, quam utrumque genus ad animum habet. Apertum est enim, cognitionis finem atque effectum persuasionem esse, lusu autem oblectationem gigni. Vnde persuasio propria est prosae orationis cuius artem qui scientiam accommodate ad persuadendum dicendi esse censent, definiunt rectissime. Poeseos autem est oblectatio, atque ars poetica continetur facultate apposite ad sensum pulcritudinis dicendi. Haec quidem etsi satis per se clara sunt atque perspicua, paucis tamen exponendum videtur de persuasione. Persuasum esse est credere convenire aliquam rem cum nostra eius rei perceptione. Est autem haec triplex convenientia, pro tribus illis viribus, quibus universa animi natura continetur: intelligendi facultatem dico, et sensum, et voluntatem. Ac res ad intelligendi facultatem ita referuntur, ut appareat, quales per se sint; ad sensum ita, ut intelligatur, quo effectu ad iucunditatem sint; ad voluntatem denique ita, ut mutua efficientiae ratio inter res externas atque animum intercedens perspiciatur. Itaque omnis orationis, 14 quae ad persuadendum spectat, triplex officium, triplex forma est. Etenim aut in simplici rerum externarum expositione versatur, ut historicorum, philosophorum, eorum, qui artes ac disciplinas tradunt: aut in animi affectionibus et motibus excitandis expromitur, ut in laudationibus, omnique illo genere dicendi, quod *ἐπιδεικτικὸν* Graeci vocant: aut ad agendum denique et negotia hominum, studiis et cupiditatibus vel commovendis vel flectendis, refertur, ut in iudiciali orationum genere, omninoque in admonitionibus atque adhortationibus. Ac facile intelligitur, primum genus ex his, quod ad solam

rei, qualis per se est, cognitionem spectat, maxime omnium simplex ac planum esse. Secundum genus, quia vim declarare debet, quam aliqua res ad animi sensum habeat, concitatione quadam indiget. Pellendus enim et commovendus est animus, ut rem non tamquam ab se alienam consideret, sed aliquod momentum habere ad iucunditatem intelligat. Id igitur sic efficiendum est oratori, ut sive apertius sive tectius ea in mentem auditoribus revocet, quae simul et cum re, de qua dicit, coniuncta esse, et ab auditoribus eo studio, quod pro caussa sua commovere vult, accipi videat. In qua re illud efficacissimum est adiumentum, quod homines, uti alios animo affectos vident, ita ipsi iisdem motibus tangi perturbarique solent. In illo denique orationis genere, quod tertio loco numeravimus, quum non solum sensu aliquo afficiendi sint animi, sed studia etiam excitanda, cupiditatesque incendendae, etiam maior vis, motusque vehementior requiritur, quam in secundo genere. Neque enim satis est oratori, demonstrando efficere, ut eligere, quid faciant, auditores possint, sed deducere debet mentes eorum, unde velit, et, quo velit, compellere, atque omnino ita constrictas tenere, ut contraria consilia ne posse quidem sequi videantur. Itaque in hoc quidem genere maxima vis oratoris virtusque elucescit.

De dictione.

Sed posteaquam de cogitationibus explicavimus, ad sermonem adgrediemur, cuius quas fecimus duas partes, dictionem atque elocutionem, ex iis primo de dictione exponemus. Ac dictionem eum vocamus vocabulorum usum, quem notitiae et cogitationes, quae vocabulis indicantur, exigunt. Hunc pro fine prosae orationis et poeseos quattuor modis considerare oportebit. Etenim et ipsa vocabula, quae utriusque generis propria sunt, spectari convenit et qualitates vocabulorum, id est significationes, et nexum, qui positus est in constructione, et eam denique 15

totius orationis conformationem, quae animi varias affectiones prodit.

Ac primum quod ad ipsa vocabula attinet, neminem fugit, alia prosae orationis, alia poeseos propria esse vocabula. Horum ea, quae ad poesin pertinent, ob hanc ipsam caussam, quod in communi sermone non sunt usitata, admonent lectorem vel auditorem, non solum rem de qua sermo est, sed alia etiam, quae cum ea re coniuncta sint atque cognata, cogitari debere. Est autem duplex horum ratio vocabulorum. Alia enim tota sunt poeticae orationis: ut λυκάβας, quo verbo non modo annuum spatium, sed quidquid in tali temporis tractu praeterea cogitari potest, indicatur, veluti longa duratio, indefessus dierum decursus, mensura immensae aeternitatis. Ad idem genus infinita etiam compositorum multitudo pertinet. Alia formam tantummodo aliam in poesi, quam in prosa oratione, accipiunt, quae forma nunc aliquid ad vim significationis confert, nunc significationem quidem non mutat, sed tamen, quoniam ad solam poesin adhibetur, animum ad ea, quae in omni oratione ad pulcritudinis sensum apta sint, iubet advertere. E priori genere formae sunt antiquiores et rariores, quibus vel vetustas vel insolentia gravitatem aliquam ac dignitatem addit.

Olli respondet rex Albai longai.

Et apud Graecos poetas dialecti mutatio, ut Ἀθάνα in tragicorum trimetris, atque omnino Doricae linguae in tragoedia et comoedia usus. Est enim ipso sono grandior haec comuni. Ad alterum genus pertinent illae formae, quae poeticis flexionibus continentur, ut δεξιτερός, ἐλάσασκε *), quorum infinita multitudo in epico Graecorum sermone invenitur.

---

*) Hoc verbum ita tantum commemorari potuit, si communis quae vocatur Graecorum dialectus spectaretur. Neque enim natura sua istae verborum in ασκον et εσκον terminationes a prosa oratione abhorrent, sed formae sunt frequentativae Ionibus usitatae.

16 Secundo loco de significatione verborum dicendum est. Huius duae sunt formae, una simplex, altera translata, quam vocant tropicam. Vtraque et in prosa oratione et in poesi usurpatur, sed simplicem tamen illam, quia ad cognitionem rerum accommodatissima est, praecipue ad prosam orationem pertinere, tropicam autem in poesi quasi domicilium habere suum in promptu est. Ac de illa quidem forma, quam simplicem dicimus, nihil est quod hic disputetur. Quae ubi in poesi usurpatur, verba non suapte quadam vi, sed ob sententiam quae in iis inest poetica sunt. Tropos vero diligentius considerare operae pretium est. Ac tropos ita dicimus, ut quemcumque intelligamus verborum usum, qui a simplici et naturali significatione recedit. Nam qui tropos eo a figuris differre putant, quod tropi singulorum verborum, figurae coniunctorum sint, non plane verum videntur consequuti. Etenim nullum est verbum, quod utrum tropicam an non tropicam significationem habeat, aliter possis quam comparatione coniunctorum vocabulorum intelligere. Sunt autem troporum genera quattuor.

Primum genus ad numeri significationem spectat, eiusque tres formae sunt: pluralis numerus singularem significans,

αὐτόξυλόν γ' ἔκπωμα, φλαυρούργου τινὸς
τεχνήματ' ἀνδρός:

singularis pluralem indicans,

Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit:

pluralis singularem, simulque singularis pluralem denotans,

καὶ Σκύθης ὅμιλος, οἳ γᾶς
ἔσχατον πόρον ἀμφὶ Μαι-
ῶτιν ἔχουσι λίμναν.

Secundum genus troporum gradus notationem habet. Huius quoque tres formae sunt; prima, imminuto significationis pondere maiorem gradum indicans, quod est in deminutivis iis, quae vocantur *ὑποκοριστικά;* secunda forma minorem gradum aucta significatione notans:

maximus Atlas;

17 Tertia talis est, ut verbum limitatam duabus contrariis significationibus vim accipiat. Quod quidem non potest aliter fieri, nisi sic, ut altera significatio in alterius locum succedat. Vt quod de Vettio monumentum patris exarante dixit Caesar Augustus, *hoc est vere monumentum patris colere.* Nam *colere* ita dixit, ut, quum arationem vellet intelligi, honorem nominaret, quum autem honorem intelligeret, significaret arationem.

Tertium genus troporum spectat ad nexum, qui est inter res ipsas, in quibus significandis versantur tropi. Atque huius quoque generis tres formas numeramus. Prima est, qua nota rei pro re ipsa, vel res ipsa pro nota rei ponitur. Ac nota quidem pro re ipsa, ut *sceptrum* pro imperio, *Pelides* pro Achille. Aeschylus de Persis et Graecis:

> *πότερον τόξου ῥῦμα τὸ νικῶν,*
> *ἢ δορυκράνου*
> *λόγχης ἰσχὺς κεκράτηκεν.*

Secunda forma est, qua caussa pro effectu nominatur, ut *uva* pro vino, vel effectus pro caussa, ut *palma* pro victoria. Tertia denique forma est, qua totum pro parte, vel pars pro toto ponitur, ut quum populus pro rege eius, vel dux pro exercitu, equi, ut apud Homerum, pro curru cum equis nominantur.

Quartum denique genus troporum continet translationes a vi, quam res ad animum habent, factas. Atque apertum est, propriam huius generis esse similitudinem. Similia enim sunt, quae eamdem vim ad animi cogitationem vel sensum habent. Est autem hoc quoque genus trium formarum. Prima ad similitudinem eam spectat, quam cogitatione comprehendimus. Exemplum afferam ex Aeschyli Agamemnone v. 1387. ita legendum: *)

> *πῶς γάρ τις ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορσύνων, φίλοις*
> *δοκοῦσιν εἶναι, πημονῆς ἀρκυστάτων*
> *φράξει' ἂν ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος;*

---

*) Explicatione, non correctione indigebat vulgata scriptura.

Secunda forma rerum ipsarum nullam habet comparationem, sed similitudinem indicat affectionum animi, quae 18 e diversis rebus nasci solent.

Ἀρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρών.

Tertia denique forma similitudinem indicat affectionis animi propter opinionem aliquam necessariae. Eiusmodi sunt illi tropi, qui in blanditiis et conviciis inveniuntur. Qui primus, quem amaret, mel suum vel corculum, quem contemneret vel odisset, stipitem vel belluam vocavit, similitudinem vel ab animi sensu, vel ab rerum istarum natura petiit. Sed posteaquam ista verba usu certam significationem adepta sunt, vis, quae est in huiusmodi comparatione, non tam ex similitudine, quam ex opinione hominum iudicatur, et minus, quid sit simile, quaeritur, quam quid existimetur simile esse.

Sed redeundum est ad illud, unde egressa est haec de tropis disputatio. Tropos poeticae orationis proprios esse dicebamus. Est enim haec troporum natura, ut, quum aliud pro alio nominetur, animo quasi campus aliquis aperiatur, in quem aliarum rerum varietate allectus libere possit excurrere. Id ipsum vero poeseos officium esse supra ostendimus, ut cogitatione aliarum rerum, quam quae argumentum carminis constituunt, mentem oblectet. Quod contra prosa oratio, quae unice ad cognitionem comparata est, evitare magis tropos, ut qui animum alio avocent, debere videtur. Quare si haec quoque tropis utitur, alia horum, quam quos poesis habet, ratio sit necesse est. Ac sane, ut prosa oratio a poesi, ita etiam tropi prosae orationis a poeticis differunt. Prosae orationis est cognitionem rerum afferre: itaque tropi, quibus utitur, tales sunt, ut res, a qua petita est translatio, ad cognitionem rei, ad quam adhibetur, referri debeat. In poesi vero, quae animum libero cogitationum lusu oblectare studet, haec est troporum vis, ut res, quae tropice per aliam rem significatur, per eam rem, unde ducta est translatio, ad animi sensum variis cogitationibus excitandum adhibeatur. Exemplo haec declarabimus. Lucere virtutem

hominis alicuius et prosae orationis scriptor et poeta dicere
19 potest, sed uterque suo quodam modo dicit. Nam in prosa oratione tropus unice cognitioni inservit: quare si qua praeclara res lucere dicitur, tantum ex hac lucis significatione ad rem istam transfertur, quantum ad eius cognitionem opus est. Est autem hoc id, in quo cernitur similitudo. Lumen conspicuum est, conspicua est egregia res. Itaque lucere est conspicuum esse. In poesi vero quia tropus ad animi lusum refertur, non solum illud spectatur, quod lux cum illa re commune habet, sed ad ea quoque animum attendimus, quae propria sunt lucis, fulgorem, magnificentiam, vigorem, iucunditatem, tum etiam ad opposita, tenebras, obscuritatem, languorem. Vt alio utar, palmam aliquis ferre in prosa oratione sic dicitur, ut illud tantum respiciatur, quod is cum eo qui vere palmam fert commune habet. Id est autem vicisse. Sed poeta quum loquitur de iis, quos *palma nobilis*

terrarum dominos evehit ad deos,

non victoriam, sed vere palmam, non victorem quemcumque, sed palma donatum dicit: quo fit, ut, quum vellet tamen quemcumque sacrorum ludorum victorem intelligi, animus lectoris latius vagari cogitatione, eaque omnia complecti possit, quae illa palmae mentio quasi e longinquo demonstret. Ex his intelligitur, qui fiat, ut idem tropus longe minorem in prosa oratione, quam in poesi, vim habeat. Atque omnino troporum prosae orationis non alia est virtus, quam ut significationem rei per tropum indicatae leviter augeant. Quare ii maxime probantur, qui usu ita sunt triti, ut vis eorum neminem latere possit. Minus laudantur novi atque audaciores, quia in his animus magis ad tropum, quam ad id, quod per tropum significatur, attendere solet. Quare id inprimis ante oculos habere in prosa oratione convenit, ut tropi, sicubi iis utimur, cognitionem rei adiuvent. Quod qui negligunt, prosae orationi poesin admiscent, ut Longinus in his: *μέτρον δὲ πατὴρ ῥυθμὸς καὶ θεός.*

Progredimur ad tertiam earum rerum, quibus prosa

dictio a poetica differt. Est ea in nexu verborum, quem constructionem vocamus, posita. Ac quoniam in aliis linguis alia est constructionis ratio, non potest prosae et 20 poeticae constructionis differentia ita explicari, ut singulae formae praeceptis illustrentur. Sed hoc tamen apertum est, prosae orationis constructionem copia vocabulorum, usu, collocatione, membrorum denique comparatione talem esse debere, quae quam maxime ad claram idonea sit perfectamque rerum intelligentiam. Poetica vero constructio, quae, ut ipsa poesis, ad animi oblectationem accommodata esse debet, liberior est, luxuriosior, audacior, illamque diligentiam, quam rerum accurata cognitio exigit, etiam vitare et studiosius effugere solet, tum novitate orationis, tum quadam etiam perturbatione. Rem exemplis quibusdam illustrabo. In scoliorum collectionibus leguntur hi versiculi:

> *συνετῶν ἐστιν ἀνδρῶν,*
> *πρὶν γενέσθαι τὰ δυςχερῆ,*
> *προνοῆσαι ὅπως μὴ γένηται·*
> *ἀνδρείων δέ, γενόμενα εὖ θέσθαι.*

Pene incredibile est, tam invenustos fuisse tot eruditos viros, ut haec carminis loco numerarent, in quibus nec verba, nec numeri, neque constructio quidquam habent, quod vel minima cognatione poesin contingat. Constructionem quidem patet plane ad prosae orationis morem conformatam esse, membris aequabili proportione, et quidem accuratissime, disiunctis atque inter sese oppositis. Similes versus olim legebantur in Aeschyli Septem ad Thebas, v. 886.

> *οὐκ ἐπὶ φιλίᾳ,*
> *ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε,*

omissi nunc nostro monitu a Schützio. Cum his comparet aliquis velim haec Pindari:

> *ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ*
> *χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ*
> *ἅτε διαπρέπει νυ-*
> *κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου·*

εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
21 ἔλδεαι, φίλον ἦτορ,
μηκέθ' ἁλίου σκόπει
ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον ἐρή-
μας δι' αἰθέρος
μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν.

Nullum hic membrum alteri simile: omnia nova, non exspectata, libero verborum decursu luxuriantia. Talis constructionum varietas quo longius ab omni regularum necessitate remota est, eo minus e conditione rerum, quae sermone exponuntur, petita esse, ad eamque referri videbitur. Nam quo quaeque adstrictior regulis quibusdam oratio est, vel maiore aequabilitate constructionum composita, hoc accuratius, quasi definitione quadam vel partitione facta, conditionem rerum exhaurire velle existimatur. Quare intelligentiae magis, quam oblectationi inservit, prosamque orationem, non poesin decet. Praeterea vero quaedam constructiones plane sunt propriae poeseos, quibus in oratione prosa nullus locus conceditur, ut illa,

ἀλλὰ Δωρίαν ἄπο φόρ-
μιγγα πασσάλου
λάμβανε,

omninoque tmesis, quae vocatur. Et apud Romanos, ut,

desine mollium
tandem querelarum.

Aliae contra non inveniuntur, nisi in prosa oratione, veluti talis: *mens aequa in adversis rebus, non secus moderata in secundis.* Nam et aequabilis membrorum comparatio, et omissio duorum verborum in altero membro, quae e primo repeti cogitatione debent, eam et diligentiae cuiusdam et brevitatis speciem prae se fert, quae ad rem clare describendam accommodatissima, ad animum autem oblectandum ineptissima est. Horatius scilicet (quis putasset?) ita loquutus fertur:

22 *Aequam memento rebus in arduis*
servare mentem, non secus in bonis

ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli.

Non melior aut magis poesin decens constructio exsistet, si quis cum Bentleio e duobus codicibus *non secus ac* reposuerit. Quid ergo? Itane scripsisse elegantissimum poetam credemus, an potius videbitur, una non littera, sed lineola deleta, emendationem experiri? Nam quanto ille pulcrius ita scripsisset:

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem: non secus in bonis
ab insolenti temperato
laetitia, moriture Delli.

Perventum denique est ad ultimam dictionis partem, quae est totius orationis ad animi sensum conformatio. Ea vero figuris continetur. Sed de his quum mihi aperiendum est, non mediocriter me difficultate rei impeditum sentio. Tantum enim abest, ut hic locus, quantumvis operae in eo consumpserint veteres magistri, satis pertractatus videatur, ut ne illud quidem, quid omnino sit figura, plane habeamus expositum. Namque, ut aliorum sententias praeteream, si Quinctilianum, acutissimum virum, sequuti, figuram diceremus conformationem quamdam orationis esse, remotam a communi et primum se offerente ratione, descriptio quidem haec figurae, non etiam definitio foret. Quaenam enim existimari communis ratio deberet? aut quaenam minus communis? aut quid esset, quo cognosceremus, utrum aliqua ratio primum se offerret, an quaerenda esset studiosius? Iisdem fere dubitationibus locum relinquit alia definitio, quam recentioribus quoque magistris placuisse vehementer miror. Hi, nec sine antiquorum auctoritate, figuram esse quamdam orationis vulgaris et simplicis cum virtute immutationem dicunt. Qui quidem, etsi virtutem illam quodammodo explicant, illud tamen non docent, quae sit vulgaris illa et simplex oratio, a qua ista virtus absit. Quae quum ita 23 sint, desertis aliorum sententiis, aliam figurarum definitionem quaerendam esse putamus. Atque quum universa

figurarum vis et virtus ad animi sensum referatur, quumque non in verborum significatione, sed in quadam conformatione totius orationis insit: figuram censemus eam esse dictionis rationem, quae praeter id, quod verborum significatu comprehensum est, aliquid aliud ipsa conformatione orationis exprimat. Hanc definitionem ita comparatam esse existimamus, ut simul et ea, quae in aliorum definitionibus vera sunt, contineat, et naturam figurarum finemque plane ac perspicue declaret. Verissimum scilicet est, quod iam veteres observarunt, recedere figuras a communi ratione dicendi: at nimirum hoc non explicarunt, quaenam esset illa communis ratio. Est vero, quam illi communem rationem non satis apte vocant, haec, qua aliquid ita exprimitur, ut id ipsum, neque aliud praeterea significetur. Id autem vel simpliciter fieri potest, vel per tropum. Nam tropus quoque hunc finem habet, ut id, quod verbi significatione continetur, non aliud, in cogitationem veniat. Quare, quum tropos quoque ista ratio complectatur, non satis commode communis dicitur, siquidem tropica dictio non est communi usu comprehensa. Hinc valde laborarunt artis rhetoricae doctores in constituendo figurarum et troporum discrimine: quoniam, si figuras a communi ratione dicendi recedere contendebant, ea definitio non poterat non etiam ad tropos spectare. Natura vero figurarum quae sit, et qui finis, planissime nostra definitio designat. Nam si praeter illud, quod significatu verborum continetur, aliquid exprimunt figurae, sponte patet, id non posse in ipsis rebus, de quibus aliquis loquatur, cerni, sed ad animi sensum, quo earum rerum notitias percipiamus, spectare debere.

Sed quoniam semel de figuris exponi coeptum est, age videamus an hic locus aliqua saltem ex parte obscuritate illa, qua hactenus premebatur, liberari possit. Quamquam enim et antiqui et recentiores artis rhetoricae doctores satis copiose de figuris disseruerunt, non est tamen mirum, si, natura figurarum non plane perspecta, non sunt
24 certa quadam via et ratione ingressi. Atque illi non solum in enumerandis figuris temere versati sunt, sed multas

etiam posuerunt figuras, in quas minime quadrat figurarum appellatio. Planeque, si illorum vestigia sequi vellemus, nulla denique usquam non figurata oratio foret. Sed id quidem recte observarunt, duo esse figurarum genera, unum, quas verborum figuras, alterum, quas sententiarum vocant. Quamquam quid inter utrasque interesset, non plane aperuerunt. Figurae verborum, nostra quidem sententia, sunt quaedam conformationes orationis, quibus ea, quae materia est enunciationum, certam ad animi sensum vim accipit; figurae sententiarum, quibus forma enunciationum accommodate ad animi sensum mutatur. Vtrumque genus in quosdam locos videtur describi posse, ita ut, quidquid usquam sit figurarum, modo vere figurae sint, ad aliquem ex his locis referri debeat.

Atque in verborum figuris primo copia spectatur, qua aliquid enunciamus. Ea talis est, ut aut in iisdem vocabulis, quibus aliqua res designatur, sese contineat, aut plura adiungat, aut omnia, ex quibus constat ea res, explicet. Hae figurae sunt anadiplosis, pleonasmus, periphrasis. Anadiplosis,

τῷ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Et quaecumque exstant similes formae, sive statim repetito verbo, sive aliis interiectis. Pleonasmus, *ποσὶ βαίνειν, ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδέσθαι.* Periphrasis,

πατρὸς ἐμοῖο πατήρ.

Deinde aliae figurae ad veritatem rei pertinent. Harum prima, quae *λιτότης* vocatur, aliquid negat, sed ita, ut plus etiam affirmet, veluti quum non contemnendus dicitur, qui faciendus est plurimi. Secunda est ironia, quae ita affirmat aliquid, id ut potius neget. *P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest:* et quae sequuntur. Tertia repugnantibus utitur, quae quum se invicem tollere videantur, non plane tamen tollunt. Haec vocatur oxymorum:

ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. 25
νᾶες ἄναες.

Ad eamdem formam etiam sarcasmus pertinet, qui coniunctione repugnantium quidem, sed verorum tamen praedicatorum continetur.

Porro nexus quoque verborum suas habet figuras. Copulantur enim verba aut sic, ut singula per se constent, quae figura dicitur synathroesmus:

> στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη:
> Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγεν Ζεύς, ἔκ τε κονίης,
> ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ;

aut ut aliud ex alio pendeat, quae epizeuxis est,

> *viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita:*

eoque pertinet etiam climax; aut ita denique ut coniunctione simul et distinctione singulorum totum quiddam efficiatur, quae figura partitio est: *hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit.*

Postremo consideranda est ratio, quae rebus cum animi cogitatione sensuque intercedit. Ea ratio continetur notatione personarum. Nulla enim res est, quin pro diversitate modi, quo cogitatur, primae, secundae, tertiae personae esse possit. Ac quoniam nihil omnino, nisi personae notatione praeditum, cogitamus, si quae sunt in hoc genere figurae, eas permutatione personarum censeri necesse est. Aliter enim omnis personarum notatio figura foret. Iudicanda vero est harum ratio figurarum ex eo personarum discrimine, quod in quaque oratione fundamenti loco constitutum est. Id huiusmodi est, ut prima sit oratoris persona; secunda eius, quem alloquitur; tertia rei, de qua loquitur. Itaque tribus modis personae permutari inter se possunt. Namque aut secunda persona pro prima vel tertia ponitur, quum orator se ipsum vel rem, de qua sermo est, alloquitur, quod genus dicitur apostrophe: aut tertia persona primae vel secundae locum 26 tenet, quum orator vel de se vel de eo quicum loquitur, tamquam de re quae argumentum sit orationis, exponit,

quod per risum vel in indignatione fieri solet: aut per primam personam secunda vel tertia indicatur, quum orator aut eum, quicum loquitur, aut rem, de qua explicat, loquentem introducit, quod genus nomen habet prosopopoeiae. Duo huius praeclara exempla in prima Catilinaria sunt cap. VII. et XI.

Sequuntur figurae sententiarum, quas vocant. Harum naturam supra diximus in eo positam esse, quod formam enunciationum accommodate ad animi sensum mutant. Nam quum nulla cogitari possit enunciatio, quin quasdam habeat formas ex iis, quas logicas philosophi vocant, figurae, quae sunt in hoc genere, istarum permutatione formarum censentur.

Ac primo enunciationes omnes, quod ad materiam earum attinet, vel singulares sunt, vel particulares, vel generales. Harum formae ita inter se permutantur, ut vel particularis singularem, vel singularis particularem, vel generalis singularem pariter ac particularem designet. Itaque prima in his ea figura est, quae comparatio vocatur. Haec enim quum plurium rerum similitudinem et communitatem contineat, uni tamen rei cognoscendae inservit:

λύκος γὰρ ὥστ᾽ ὠμόφρων.
ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.

Secunda forma, quae singularis est particularem enunciationem notans, exemplum dicitur. Nimirum exemplum, si figura est, angustiore quodam significatu accipitur: quippe e multis rebus, quarum conditionem indicare volumus, una tantum nominatim affertur, nulla reliquarum mentione facta:

ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ
ναύτῃσι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινί,
ὄλωλεν ἀνδρῶν ξὺν θεοπτύστῳ γένει.
ἢ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν, δίκαιος ὤν,
ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσιν,
ταὐτοῦ κυρήσας ἐνδίκως ἀγρεύματος,
πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ 'δάμη.

27 Tertia forma est, quae gnome dicitur Ea sic usurpatur, ut, quum nominentur generalia, intelligi singularia debeant. Vt apud Aeschylum Robori Vulcanum adhortanti, ut vincula Prometheo iniiciat, ita respondet Vulcanus:

τὸ συγγενές τοι δεινόν, ἥ θ' ὁμιλία.

Sequuntur figurae ad qualitatem enunciationum, quam logici vocant, pertinentes. Hae tales sunt, ut aut non dicendo dicamus aliquid, aut dicendo faciamus, ut ad formam totius orationis aliquid pro non dicto sit, aut ita denique aliquid dicamus, ut, quum id deinde veluti pro indicto habuerimus, aliud eius loco inferri possit. Prima ex his figura est ea, qua non dicendo aliquid dicimus. Ea est ellipsis:

quos ego.
οὐκ εἰς ὄλεθρον;

Eodemque pertinet anacoluthon:

μητέρα δ', εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι,
ἂψ ἴτω ἐς μέγαρον πατρὸς μέγα δυναμένοιο.

Secunda figura est, qua dicimus aliquid ita, ut ad formam totius orationis pro indicto sit. Ea vero parenthesis est. Haec enim si omittitur, nihil deesse videbitur orationi, quia ad constructionem plane non pertinet parenthesis. Tertia denique figura est, qua aliquid pro indicto habendum significamus, addita quasi per parenthesin alia re, quae priorem istam tollat. *Vivit? immo etiam in senatum venit.* Clariora etiam huiusmodi exempla sunt, ut, *bona, immo optima caussa.*

Est porro aliud genus figurarum, quo ratio coniunctionis rerum inter sese per formarum orationis permutationem indicatur. In his prima figura est, quae rem ex nulla conditione pendentem per conditionem aliquam significat: *si quid est in me ingenii, aut si qua exercitatio dicendi.* Secunda figura est, qua res ex aliqua conditione suspensa sine conditionis significatione enunciatur:

negat quis, nego: ait, aio.

Tertia figura antithesis est, cuius haec est ratio, ut alio 28 posito aliud opponatur: *ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia; illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido:* et quae sequuntur, aliter paullo conformata.

Postremum genus earum est figurarum, quae ad modum spectant quo enunciationes ad animi sensum referuntur. In his figuris primum locum tenet interrogatio. Sed non omnis interrogatio figura est, verum ea tantum, qua res, quae vel est certa, vel sumitur esse, per interrogationem denotatur. Interrogatio enim dubitationis est significatio. *Quis te ex hac tanta frequentia, et tot tuis amicis ac necessariis salutavit?*

> *Negat quis? nego: ait? aio.*

Neque enim interrogatio pro conditione ponitur, sed videtur tantum ita poni, quia etiam sic dici potest: *si quis negat, nego.* At proprie per interrogationem non hoc, sed illud indicabatur: *sumo aliquem negare: tum ipse nego.* Secunda figura est exclamatio, qua aliquid, quod incertum est, quia non nisi sensu cuiusque aestimari potest, ut certum atque indubitatum enunciamus: *o tempora, o mores.*

> *O genus infelix humanum, talia divis*
> *quum tribuit facta, atque iras adiunxit acerbas;*
> *quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis*
> *vulnera, quas lacrumas peperere minoribus nostris.*

Vltima denique figura est ea, qua aliquid ita dicimus, ut id propter ipsam orationis conformationem ab omnibus accipi probarique debeat. Haec vero figura usu continetur noti vel celebrati dicti, quod ad nostram caussam transferimus:

> *O Tite, si quid ego adiuro, curamve levasso,*
> *ecquid erit praemi?*

Ad hoc genus pertinent etiam proverbia, sed ita plerum-

que, ut simul aliam figuram, quae gnome est complectantur.

29 Quae hactenus de figuris dicta sunt, nihil esse aliud volui, nisi brevem huius loci adumbrationem, ex qua perspici posset, ad quod genus quaeque figura, quae quidem vere figura esset, referri deberet. Facile enim intelligi potest, in tanto, qui ab rhetoricis inventus est, figurarum numero multas esse, quae ad unum idemque genus pertinent; multas, quae e diversis generibus compositae sint; multas denique, quae ne sint quidem omnino figurae. Sed aperiendum est nunc de eo, quid sit, quo prosa oratio et poesis in usu figurarum differant. Ac figurarum haec universe vis est, ut orationem alacriorem reddant. Quare quum fere nulla sit figura, quin pariter in poesi atque in prosa oratione usurpetur, alacritas illa vigorque quem dictioni addunt figurae, pro diverso poeseos et prosae orationis fine diversam vim habebit. Nam in prosa oratione id, quod praeter verborum significationem figurae indicant, ad cognitionem, in poesi ad animi oblectationem accommodatum erit. Itaque eadem figura si in poeticis cogitationibus, in poetica dictione est, animi sensum; si in sententia et oratione prosa, cognitionem alacritate dictionis adiuvabit atque augebit. Vtar exemplo synathroesmi. Illa de Oedipo,

> *στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη, κακῶν*
> *ὅσ᾽ ἐστὶ πάντων ὀνόματ᾽, οὐδέν ἐστ᾽ ἀπόν,*

vel quae ipse dicit,

> *ὦ γάμοι, γάμοι,*
> *ἐφύσαθ᾽ ἡμᾶς, καὶ φυτεύσαντες πάλιν*
> *ἀνεῖτε ταὐτὸν σπέρμα, κἀπεδείξατε*
> *πατέρας, ἀδελφούς, παῖδας, αἷμ᾽ ἐμφύλιον,*
> *νύμφας, γυναῖκας, μητέρας τε, χὠπόσα*
> *αἴσχιστ᾽ ἐν ἀνθρώποισιν ἔργα γίγνεται:*

haec igitur figura est oratoria, non poetica, quia unice ad id spectat, ut multarum rerum commemoratione malorum atrocitas magis intelligi comprehendique possit. Id

enim agit Oedipus, ut rem explicet atque demonstret. Aliter illud:

ἄμ φόνον, ἄν νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.

Non est in hoc versu aliquod persuadendi studium expres- 30 sum, sed animus poetae, pugnae contemplatione abreptus, cumulat ea, quae sensum maxime tangant, et ex quibus illa, quae reticet, coniectando praecipere mens queat. Clarius etiam diversitas prosae orationis et poeseos, quae est in figuris, perspici ex eo potest, quod figurae quaedam in poesi, a qua persuadendi studium abest, aliam atque in prosa oratione constructionem admittunt. Vt synathroesmus in prosa oratione aequabilitatem structurae exigit, quo clarius pateat persuadendi cupiditas: cuiusmodi est illud modo commemoratum,

στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη.

In poesi vero non solum haec forma, expers illa quidem persuadendi conatu, usurpatur, ut in hoc,

λάζετο δ' ἔγχος,
βριθύ, μέγα, στιβαρόν,

sed etiam aliae liberiores et aperte ad animi lusum atque oblectationem accommodatae:

ἑκατογκάρηνον πρὸς βίαν χειρούμενον
Τυφῶνα θοῦρον.

Haec synathroesmi forma neque cum ea figura, quam partitionem appellavimus permutari potest, quia haec rei descriptionem partibus factis exhaurit, ut in hoc:

εἰ δ' οὖν τις ἀκτὶς ἡλίου νιν ἱστορεῖ
χλωρόν τε καὶ βλέποντα,

quod non est in hoc, *ἑκατογκάρηνόν τε καὶ θοῦρον*, ita ut, qui sic diceret, inepte diceret; neque una adiecta copula sic potest conformari, *ἑκατογκάρηνον καὶ θοῦρον,* quia haec forma non modo figura est nulla, sed etiam soli cognitioni inservit, id quod hic abesse debet. Quod si etiam copula iteratur, contrario modo se res

habet, quia in ipsa repetitione copulae alia figura, anadiplosin dico, inest:

> *αἳ δὲ μετ' αὐτούς,*
> *Κῆρες κυάνεαι, λευκοὺς ἀραβεῦσαι ὀδόντας,*
> *δεινωποί, βλοσυροί τε, δαφοινοί τ', ἄπλητοί τε.*

31 Quare diligenter caverunt Graeci poetae, ne duo epitheta, quae quidem nihil nisi ornarent orationem, copulae auxilio coniungerent. Bene enim intelligebant, hanc rationem non poeseos, sed prosae orationis propriam esse. Quo certius de hac re constet, exempla quaedam Aeschyli, quae in contrariam partem afferri possunt, corrupta esse ostendam. Horum duo iam alibi emendavi, unum, quod est in Septem ad Thebas v. 316. in observationibus crititicis p. 46., ubi pro verbis languidissimis,

> *ἀνδρολέτειραν*
> *καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν,*

ita scribendum esse docui,

> *ἀνδρολέτειραν*
> *ἄταν, ῥίψοπλον ἄταν:*

alterum, quod est in extremis Choephoris, alio loco, ubi in his,

> *παιδόβοροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν*
> *μόχθοι τάλανές τε Θυέστου,*

verba *τὲ Θυέστου*, ut manifeste ex interpretatione orta, omittenda censui. Sed alios nunc locos addam. Igitur in Prometheo v. 403., ubi recentiores critici ediderunt,

> *πρόπᾱσα δ' ἤδη στονόεν*
> *λέλακε χώρα,*
> *μεγαλοσχήμονα κἀρχαι-*
> *οπρεπῆ στένουσα τὰν σὰν*
> *ξυνομαιμόνων τε τίμαν,*

quis non sentiat quam languide et frigide addita sit copula? Sed bene est. Nam aliter Aeschylum scripsisse non solum lectio librorum *μεγαλοσχήμονά τ' ἀρχαιοπρεπῆ*, sed etiam verba, quae sunt in stropha, *λειβομένα* et *ἔτεγξα*,

quorum alterum iniuria eiecerunt, alterum mutarunt critici, clare demonstrant. Accedit quod in plurimis libris non *στένουσα* est, sed *στένουσι*. Quare, ut brevi comprehendam, tantum abest, ut in stropha aliquid eiiciendum sit, ut in antistropha id, quod verbo illi male eiecto respondit, exciderit. Itaque servata librorum lectione, copula ab epitheto ad verbum transferetur, hoc modo:

μεγαλοσχήμονά τ' ἀρχαιοπρεπῆ 32
* * * *στένουσι τὰν σὰν*
ξυνομαιμόνων τε τίμαν.

Credibile est nomen populi cuiuspiam interiisse: quamquam ne *στένουσα* quidem damnandum est, si quidem non gentis nomen, sed verbum ad *χώρα* pertinens excidit. Paullo post similis locus est de Atlante,

ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος
κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει.

In quibus verbis non modo haec, *κραταιὸν οὐνάνιόν τε πόλον*, merito displicebunt, sed reliqua etiam omnia quo pacto vel construenda sint, vel intelligi queant, haud facile quisquam explicaverit. Neque enim dubitari potest, quin haec ita corrupta sint, ut sine librorum novis auxiliis vix queant sanari. Equidem ne in loco saepius frustra tentato nimium tribuere coniecturis videar, non tam emendare eum, quam emendandi viam ostendere conabor. Atque illud primum facile persuasero iis, qui tragicorum lectione exercitati sunt, verba *ὑπέροχον σθένος*, quum sequantur haec *οὐράνιόν τε πόλον*, de Atlantis robore, non de pondere caeli esse intelligenda. Quo magis nomine aliquo, vel etiam verbo, opus est, quod et regat verba ista, et aliquo modo ad ipsum Atlantem spectare indicet. Eius verbi sedem ut in nomine *κραταιὸν* quaerendam arbitremur, duobus adducimur, iisque non levibus argumentis. Nam et metrum (carmen enim antistrophicum est) vocem illam corruptam esse arguit, et, si aliud vocabulum reponi possit, copulae usus, qui nunc ineptus est, reprehensione caruerit. Atque haec ipsa copula su-

spicionem oblitterati alicuius participii, quam universa huius loci ratio excitat, magnopere videtur confirmare, siquidem Aeschylus, ut ad Vigerum p. 753. docui, copulam inferre post participium consuevit. Certi quidem nihil in tanta loci corruptione afferri potest, sed litterarum vestigia sequentibus videndum erit, ne hic lateat participium verbi *καρταίνειν*, quod ex Hesychio in lexica receptum, sed nondum in quoquam alio scriptore repertum 33 est. Illud certe crediderim, si omnino istud verbum vitio caret, explicationem *κρατεῖν*, quam Hesychius et Favorinus adscripserunt, ut a forma verbi alienam, corruptam esse, et in *κρατύνειν* mutari debere. Vtcumque est, (dabitur enim haec venia, ut certe in exemplum emendationis isto participio utamur) hanc propemodum loci istius formam fuisse probabile est.

> *Ἄτλανθ᾽, ὅς αἰὲν ὑπέροχον σθένος*
> *καρταίνων, οὐράνιόν τε πόλον*
> *νώτοις ὑποστεγάζει* *).

Alia exempla in Choephoris exstant, quorum unum, quod erat in v. 389. in editione Glasguensi novissima sublatum est. Sed restant tres alii loci. V. 587.

> *πτῆνά τε καὶ πεδοβά-*
> *μονα κἀνεμοέντων*
> *αἰγίδων φράσαι κότον.*

Vbi quis adeo erit invenustus, qui vel verbo monitus copulas istas ferri posse sibi persuadeat? Sed hic quidem locus emendationis nullam habet difficultatem. Scribendum ita:

> *πτᾶνα δὲ καὶ πεδοβάμον᾽ ἀπ᾽ ἀνεμοέντων*
> *αἰγίδων φράσαι κότον.*

Hic *καὶ* non copula est, sed ad verbum pertinet, *ἀπ᾽ ἀνεμοέντων* autem hoc facilior est correctio, quia in codice Guelferbytano ita scriptum est: *πεδοβάμον᾽ ἀκ᾽ ἀνεμοέντων*. Sequitur hic locus v. 722.

---

*) In huius loci emendatione verum est *ὑποστεγάζει*. Caetera hodie aliter constituenda puto.

νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθὼ δολία
ξυγκαταβῆναι, χθόνιον δ' Ἑρμῆν
καὶ τὸν νύχιον τοῖσδ' ἐφοδεῦσαι
ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.

Nihil profecto frigidius potuit neque languidius dici, quam *χθόνιον Ἑρμῆν καὶ τὸν νύχιον* *). At adeo manifesta hic sunt interpretationum indicia, ut ne dubitari quidem posse putem, quin ita scripserit Aeschylus:

νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθὼ δολίαν **34**
ξυγκαταβῆναι, νύχιόν θ' Ἑρμῆν
τούσδ' ἐφοδεῦσαι
ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.

Νύχιος enim idem est, quod magis usitatum *χθόνιος*, ut *ἐννυχίων* pro *χθονίων*, et *ἔννυχον ᾅδαν* pro *χθόνιον* dixit Sophocles Oed. Col. 1556. Trach. 501. Porro mesodus est in Choephoris haec v. 802.

τόδε καλῶς κτάμενον, ὦ
μέγα ναίων στόμιον εὖ
δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρός,
καί νιν ἐλευθερίως
λαμπρῶς τ' ἰδεῖν φιλίοις
ὄμμασιν, δνοφερᾶς
καλύπτρας.

In his non solum insolens verbum *ἀνιδεῖν*, praesertim sequente statim *ἰδεῖν*, omninoque nexus verborum, sed etiam illa, *ἐλευθερίως λαμπρῶς τε*, quae satis manifestam prosae orationis speciem habent, lectori creant molestiam. *Τὲ* quidem in duabus veterrimis editionibus et codice Guelferbytano abest. Sed amplius progredi debet emendatio. Nam utrumque adverbium, et *ἐλευθερίως* et *λαμπρῶς*, interpretatio est alius adverbii, *ἀνέδην*, quod scri-

*) Non minus putidum est, quod apud Euripidem legitur Iph. T. 399. *τὸν εὔνδρον καὶ δονακόχλοα λιπόντες Εὐρώταν.* Recte vero duo codd. omittunt *καί*: corruptam autem vocem emendavit Elmsleius.

pturae depravatione mutatum fuit in *ἀνιδεῖν*. Argumenta huic coniecturae satis luculenta tum Suidas et Favorinus, tum Eustathius ad Homerum p. 168, 36. suppeditant. Quanto iam omnia non modo facilius, sed etiam elegantius procedunt:

> *τόδε καλῶς κτάμενον, ὦ μέγα ναίων*
> *στόμιον, εὖ δὸς ἀνέδην δόμον ἀνδρὸς*
> *καί νιν ἰδεῖν φιλίοις*
> *ὄμμασιν ἐκ δνοφερᾶς καλύπτρας.*

DE DIFFERENTIA PROSAE ET POETICAE ORATIONIS DISPVTATIO.

PARS II.

De elocutione.

Denique ad elocutionem adgredimur. Nam quum orationis haec sit natura, ut cogitata vocis auxilio significentur, non solum ea sunt in vocibus consideranda, quae hominum arbitrio usuque ad cogitatorum rationem indicandam constituta sunt, (nam haec etiam in alio signorum genere locum habitura essent) sed illa etiam respicere convenit, quae propria sunt vocis, neque ad argumentum et materiam cogitationum, sed ad vim spectant modumque, quo ad animi sensum accipiantur. Tanta enim inter cogitationes est vocemque necessitudo, ut non modo in sermonibus, quos audimus, convenientiam quamdam vocis et sententiarum requiramus, sed etiam in iis, quae tacite legendo cognoscimus, si quid occurrat, quod ad vocis sonum in pronunciando aut ingratum esset aut insigniter suave futurum, statim aut offendamur, aut maiorem in modum delectemur. Sunt autem hae vocis conformationes, quas elocutionis nomine comprehendimus, quattuor generum. Primum genus pro ipsa sonorum natura constituitur: secundum in modulatione vocis positum est: tertium numeros complectitur: quartum denique ad assac vocis et concentus discrimen spectat.

Ac primo, quod ad ipsam vocum naturam attinet, eius duae sunt formae, una, quae cantus vocatur, altera, 4 quae expers cantu est. Harum sive quis diversam ad animos vim, sive eam, quae ipsarum est conditio, spectet, cantum fateatur necesse est ad poesin, vocem quae sine cantu est ad prosam orationem referendam esse. Apertum est enim, sine cantu eos loqui, qui cognosci aliquid ab aliis volunt: cantum autem ea esse vi praeditum, ut unice ad suavitatem atque oblectationem factus videatur. Quin etiam ipsa vocis quae est sine cantu, et eius quae cantus dicitur diversitas, qui sit utriusque finis, clare indicat. Nam, si quidem ego aliquid in hac re video, vocis, quae non habet cantum, ea est ratio, ut sonos confusius, neque accurato et aequabili aeris pulsu distinctos proferat. Quare quae sic pronunciantur, in his satis habemus, si illa vocum discrimina notari possunt, quae ad vocabulorum significationem et vim percipiendam audiri atque discerni necesse est. Id vero est eius orationis, quae ad cognitionem composita est: quae quia nihil curat aliud, nisi ut notitiae rerum animo comprehendi queant, omnem vim suam in eo expromit, ut has quam efficacissime mentibus insinuet. Aliter se res habet in cantu. Hic quoniam voces edit aequabili aeris pulsu discretas, non tam ad id, quod vocibus significatur, animum subigit attendere, quam puritatem earum et discriminata certis proportionibus intervalla observare. Itaque, ut ipsa natura ad suavitatem factus, totus ad animi oblectationem adhibetur. Vnde proprius est poeseos. Sed est hic nobis ad duas quaestiones respondendum. Nam etiamsi haud temere quisquam dubitabit, quin cantus ad poesin, vox cantu expers ad prosam orationem pertineat, erunt tamen fortasse, qui id usui magis et consuetudini, quam necessitati cuidam tribuendum esse existiment. Hi igitur neque cur prosa oratio semper et ubique cantum adspernari, neque cur poesis non esse sine cantu debeat, intelligere sese fatebuntur. De utraque re nos aliter sentimus. Atque a prosa quidem oratione cantum abesse debere hoc facilius vicerimus, quod id vel suus quemque sensus docet. Cantus

enim non est naturalis vox, sed arte composita, neque ad res significandas, sed ad pulcritudinem conformata, neque ad negotia vitamque apta, sed in lusu posita. Quare qui cantu uteretur ad hunc finem, ut cogitata sua aliis nota 5 redderet, is non solum alienum adhiberet adminiculum, quippe quod a cognitione rerum ad sensum pulcritudinis avocaret animos, sed etiam suo ipsius consilio repugnaret, qui rem seriam in ludum, veritatem in oblectationem, vitae negotia in otiosam contemplationem verteret. Similis est poeseos sine cantu recitatae ratio. Quamquam enim, si sententiae, si dictio satis ad pulcritudinem elaboratae sunt, cantus videtur omitti posse, praesertim quum etiam in iis carminibus, quae tacite legimus, absit: est tamen quaedam non levis caussa, quare eum in carminum recitatione necessarium iudicemus. Etenim in pulcris artibus omnia, quae carent pulcritudine, quum eam admittant, non solum non augent vim affectumque artium, sed, quia pulcritudo desideratur, turbant eum atque impediunt. Itaque quemadmodum poesis, a qua metrum abest, poesis quidem est, sed minus perfecta, quia pulcritudinem sententiarum dictionisque detractio pulcritudinis numerorum laedit, ita cantu omisso offensionem facit hoc, quod, quum caetera sint ad pulcritudinis sensum conformata, sola vox a fine poeseos recedat, et cognitionem magis quam voluptatem curare videatur. Hic quoque optima ad veritatem dux natura est. Vna enim cum cantu orta poesis, cantoresque dicti primitus, qui postea, divisis artium officiis, discriminatim poetae vocabantur.

Secundo loco in iis rebus, quibus prosa elocutio a poetica differt, modulationem vocis posuimus. Ea appellatione sic utimur, ut comparationem syllabarum in quovis vocabulo, quam Graeci vocant prosodiam, intelligamus. Atque huius duae sunt formae. Nam in pronunciandis vocabulis aut solam syllabarum mensuram notamus, aut praeter mensurae significationem etiam accentum adiicimus. Vtra harum sit formarum ad poesin, utra ad prosam orationem accommodata, non potest obscurum esse. Accentus enim non modo hanc vim atque hunc

usum habet, ut significationes vocabulorum discernat, et qua quidque potestate dicatur indicet, sed etiam tali temperamento cum mensura confunditur, ut severitatem mensurae at-
6 que accuratam proportionem minuat. Itaque quum ex una parte ad cognitionem rerum atque intelligentiam spectet, ex altera parte autem pulcritudine illa, quae in mensurarum aptis comparationibus est, careat, prosae orationis, non poeseos est. Mensura vero non solum quod accentu, qui verborum significationis demonstratio est, caret, sed etiam quia durationem sonorum certis proportionibus indicat, a cognitione eorum, quae verbis denotantur, ad ipsam vocis considerationem, et contemplationem pulcritudinis, quae est in iusta temporis dimensione, animos avocat. Inde propria poeseos ea pronunciatio est, quae mensuram neglecto accentu exprimit. Confirmantur ea, quae diximus, experientia exemplisque linguarum. Ac Graecos quidem Latinosque in prosa oratione accentum, in poesi solam mensuram sequutos constat. Quorum de Latinis certior foret clariorque disputatio, nisi in perpaucis tantum vocabulis accentus, quo in communi fermone utebantur, vel e grammaticorum testimoniis notus esset, vel probabili coniectura posset exputari. Vt *exinde*, de quo Servii habemus auctoritatem, et infinitivi praeteritorum activorum, qui contractionem admittunt, ut *amavisse*, quorum accentum e contractione divinare licet. In Graeca vero lingua certa res est: quae simulatque in duas formas divisa est, poeticam et prosam, prosa accentum conservavit, poetica plane reiecit. Antiquissimis enim temporibus, nondum illo discrimine constituto, accentus etiam in poesi aliquam dominationem habebat: quod in Homero et Hesiodo plurimis potest et luculentissimis documentis cognosci. Inde vero multae verborum conformationes, in quibus mensura propter accentum neglecta esset, deinde ut legitimae manserunt atque in epicum sermonem receptae sunt. De his in libro primo de metris poetarum Graecorum et Romanorum explicatum est. Eadem, quae tum fuit Graecae linguae ratio, nunc Germanicae est. Sequimur enim fere accentum etiam in poesi: sed veniet ali-

quando, si recte auguror, tempus, quum certior mensura negligere accentum, et poeticam quamdam pronunciationem constituere docebit. Initia certe huius rei quaedam videre iam nunc licet, ut apud Klopstockium,

> *weisst du auch, Gleim, noch, wie, o undurstigster von allen Sängern:*

quod ineptus foret, qui ob neglectum accentum reprehenderet.

Tertia prosae et poeticae elocutionis differentia posita est in numeris. Atque hoc quidem in promptu est, neque indiget demonstrationis, metrum poeseos esse, numerum metro solutum prosae orationis. Sed quid sit, quo metrum ab oratoriis numeris differat, nondum quisquam ex tot tamque praeclaris rhetoricae artis doctoribus satis videtur explanasse. Nam quae e Graecis Aristoteles, Demetrius, Dionysius Halicarnassensis, Longinus, aliique, ex Romanis autem inprimis Cicero et Quinctilianus de hac re disputarunt, iis vereor ne perturbaverint magis hunc locum, quam expediverint. Depromam quaedam ex his. Atque Aristoteles ita de numero oratorio scribit: *τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄῤῥυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον· πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ, καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησι· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ πότε πάλιν ἥξει· τὸ δὲ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον. δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δέ· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον. περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά. διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται· ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι του ᾖ.* Apertum est, alia in his falsa, alia ambigua esse. Ac falsum est, quod metrum dicit illum esse numerum, qui recurrat. Hoc enim ut fiat in versibus heroicis, in anapaestis, in iambis, in carminibus antistrophicis, at num etiam in iis metris, quae vocantur *ἀπολελυμένα*? In quibus quum versus omnes inter se sint dissimillimi, omnique repetitione numerorum destituti, oratorios existimare hos numeros, ex Aristotelis quidem

sententia, non poeticos oportebit. Deinde quam hoc est ambiguum, quod numeros oratorios esse quidem numeros, verum non plane, sed quadamtenus contendit. Id quidem ut velit intelligi, nusquam significavit. Mox vero alio modo sibi repugnat, ubi quum heroicos numeros, et iambicos, et trochaicos in prosa oratione improbasset, ita scribit: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ* 8 *διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων· ὥστε μάλιστα λανθάνειν.* Atqui, ut paeonici neque sint dactylici, neque iambici, neque trochaici numeri, metrum tamen constituent, et quidem notissimum et usitatissimum, atque ex iis metris, quae continua perpetuitate iterari solent. Quare Demosthenis illud, *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις,* comparatum est a Dionysio Halicarnassensi p. **238.** cum hoc versu,

Κρησίοις ἐν ῥυθμοῖς παῖδα μελψώμεθα.

Ita hic versus legendus videtur, non,

Κρησίοις ἐν ῥυθμοῖς παῖδα μέλψωμεν.

Addit enim Dionysius, *ἔξω γὰρ τοῦ τελευταίου ποδός, τά γε ἄλλα ἐν πᾶσιν ἴσα ὥρισται.* Itaque si nota et usitata metra in prosa oratione vitanda sunt, laudatissimus ille Demosthenis locus non minus reprehendi debebit, ac si versum heroicum admisisset. Fortasse tamen Aristoteles non voluit pedem paeonem primum vel quartum constanter servari, ut est in exemplis, quibus utitur,

χρυσεοκόμα ἕκατε, παῖ Διός,
μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ἠφάνισε νύξ,

sed mixtos inter se, ita ut in eodem membro uterque esset, usurpandos censuit. Ita certe mentem eius cepisse videtur Demetrius sect. XXXVIII. XXXIX., qui hoc exemplum e Thucydide affert: *ἤρξατο δὲ τὸ κακὸν ἐξ Αἰθιοπίας.* Paullo propius verum accessisse videtur Longinus: quamquam hic quoque ita perplexe loquitur, ut magis obscuro quodam sensu, quam clara intelligentia rem videatur comprehendisse. Demosthenis locus est hic: *τοῦτο τὸ*

ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει περιστάντα κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥςπερ νέφος. Eum Longinus sect. XXXIX. dactylicis numeris compositum dicit, de qua re nota est inepta disputatio Clarkii ad Iliad. II. 537. Neque enim hoc voluit Longinus, solo pede dactylo hunc omnem locum decurrere, sed regnare in eo et primarium esse dactylum, si quis non mensuram, sed pronunciationem accentu temperatam spectaret. Quamquam, si ultima verba, *ὥςπερ* 9 *νέφος*, pro Ionico a maiori, ut videtur, habuit, falsus est simili errore, ac Dionysius Halicarnassensis, qui ubique, nulla accentus ratione habita, mensuras syllabarum respicit. Cuius ad exemplum si Thucydidis verba, quae p. 136. affert, ita dimetiri aliquis volet, *ἐπαινοῦ | σι τὸν προς | θέντα τῷ | νόμῳ τὸν | λόγον τόν | δε*, quis hic, obsecro, numerus erit? Neque rectius in hoc genere versatus est Cicero, qui in lib. III. de oratore cap. 47. et 48. quum Aristotelis sententiam commemorasset, a paeonico numero exorsum dicit Fannium, *si, Quirites, minas illius*, qui quidem in prosa oratione non magis sunt numeri paeonici, atque hi sunt heroici, *urbem Romam a principio reges habuere.* Sed Cicero quoque verum sensit, modo explicare scivisset. Nam *ego*, inquit, *illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere.* Scilicet non est mirum, si artis rhetoricae doctores, qui ad accentum non attenderent, prosae orationis numeros a poeticis non potuerunt satis accurate distinguere. Poeticus numerus hic est, qui, neglecto accentu, mensurae quibusdam varietatibus continetur. Huius lex et ratio certis durationibus, certoque ordine sonorum comprehensa est. Neque is cognitioni, sed oblectationi inservit: unde initia, fines, intercapedines non pro verborum atque orationis distinctionibus, sed pro ipsa mensurarum commoda distributione constitutas habet. Eaque ratio metrum vocatur. In prosa autem oratione numeri accentu reguntur, qui quum nec tollere plane syllabarum mensuram, neque ab ea ipse tolli possit, numeros efficit e duplici numerorum genere, mensura ac-

centuque, constantes, in quibus potiorem locum accentus, secundarium mensura tenet. Itaque imminuta mensurae severitate, unde oratorium numerum Cicero remissiorem, Aristoteles *ῥυθμὸν μέχρι τοῦ* vocat, quod de pulcritudine metrici numeri detrahitur, rependit vis accentuum, aucta vocabulorum significationis potestate, et eo decursu verborum instituto, qui ad sententiae intelligentiam est potentissimus. Quamobrem distinctiones non habet alias, nisi quae orationis quoque divisiones sunt. Ita iam explicare
10 licebit Longini de illo Demosthenis loco sententiam, in qua etiam Klopstockius a vero aberravit. Nimirum dactylici sunt isti numeri maximam partem, si quidem metricorum numerorum nominibus in hoc genere uti licet: *τοῦτο τὸ* | *ψήφισμα* | *τὸν τότε τῇ* | *πόλει* | *περιστάντα* | *κίνδυνον* | *παρελθεῖν ἐ* | *ποίησεν* | *ὥσπερ* | *νέφος.* Indicabo horum rationem numerorum iis signis, quibus in metrica arte utimur, sed accentu prosae orationis, non metrico, notato:

–́⏑⏑ | –́–⏑ | –́⏑́⏑– | ⏑́– | ⏑⏑–́⏑ | –́–⏑ | ⏑––́⏑ | –́–⏑ |
–́– | ⏑́⏑

Ita haec, *si, Quirites, minas illius*, hunc habent nu merum:

–́ | ⏑–́– | ⏑́– | –́–⏑

et haec, *urbem Romam a principio reges habuere*, hunc:

–́– | –́⏑ | ––⏑́⏑– | –́– | ⏑⏑–́⏑

Propemodum intelligi ex his potest, quid sibi velit illud, quod in prosa oratione verba ita collocari vetant, ut aut integri versus, aut partes certe versuum nasci videantur. Primum enim hoc non nisi de usitatissimis metris accipiendum est, quae quoniam ita sunt nota, ut neminem lateant, non sunt propterea vitanda, quia numeri isti ad prosam orationem non sint apti, sed quod ob frequentem in poesi

usum etiam cogunt auditorem poeseos recordari. Deinde vero sic tantum vitiosi sunt hi numeri, si etiam consentiente accentu poetici sunt. Nam si accentus facit, ut ne audiri quidem metrum, quod in mensura syllabarum est, possit, quemadmodum in isto Fannii exordio, vel Taciti, aut hoc T. Livii, *facturusne operae pretium sim*, ita metrum et numeri poetici occultantur, ut vix tenuissima eorum vestigia maneant. Quodsi etiam accentus ad poeticos numeros ducit, ut in illo Ciceronis de oratore I. 10. *instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum scire negaret*, ea negligentia scriptoris est, non satis a poeseos contagione sibi caventis. Caeterum uterque numerus suas habet leges, non sane quod ad vim et pulcritudinem attinet, (nam hae utriusque communes sunt) sed si vocabulorum conditionem, orationis complexiones, usum denique et consuetudinem spectes. Vt in quibusdam versibus, maxime in anapaesticis, nihil offensionis habent plura contigua verba eiusdem longitudinis et mensurae: 11

φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες.

In prosa autem oratione si plura verba parem et longitudinem et accentum habentia continuantur, ut haec ipsa Euripidis, intolerabilia sunt, praesertim in fine sententiae. Quare ibi si ponuntur, videndum, ut vim quamdam hic numerus habeat, quae non est in aliis numeris. Vt in Demosthenico illo, *ὥςπερ νέφος*. Id recte observat Longinus nusquam potuisse melius, quam in fine, collocari; nec perinde esse, utrum *ὡς νέφος*, vel *ὡςπερεὶ νέφος* dicatur. Ex his numeris melior certe esset hic, *ὡςπερεὶ νέφος*, quia etiam in antispastico exitu aliquod robur est; multo deterior alter, *ὡς νέφος*, qui paene ad mollitiem amphibrachi accedit. Sed fortissimus omnium is est, quo usus est Demosthenes, ut asperrimus maximeque praeruptus. Similis fere ratio in verborum complexionibus obtinet, in quibus cavendum, ne vel inter se nimis sint similes, vel membrorum pari conformatione lectorem defatigent. Contra in poesi haec similitudo numerorum sive

in membris periodorum, sive in ipsis periodis fere legitima est. Porro numeri oratorii lex est, ne ultra spiritum et latera producatur: eaque lex ad periodos, earumque membra spectat. In poesi eadem sane, sed tantum in versuum longitudine, non etiam in complexionibus verborum, lex est. Denique usus et in oratoriis numeris et in poeticis, non ille quidem temere, sed ob aliquam virtutem numerorum, certas quasdam consuetudines stabilivit. De qua re in oratoriis numeris perobscura quaestio est, maximeque indigens vivae atque in ore hominum versantis linguae. Certiores poeticorum sunt numerorum consuetudines. Hi enim quia multo minorem habent, quam prosae orationis numeri, varietatem, eamque ipsam certa 12 ratione in quaedam genera divisam, aliquanto facilius poterit, qui aurem lectione poetarum adsuefecerit, usitata ab insolentibus, ea quae potuerint usurpari ab iis quae non potuerint, discernere. Quod qui fecerit, negabit is, puto, huiusmodi versum a quoque tragico factum:

τᾶς δυστάνου Κολχίδος,

nedum ut reponat usquam. Alia huiusmodi exempla in chori carmine, quod est in Euripidis Oreste v. 310. seqq. reperiuntur. Eiusdem generis quaedam versuum caesurae sunt. Vt in illo Aeschyli,

καὶ μὴν φίλοις ἐλεεινὸς εἰςορᾶν ἐγώ.

etiamsi ita legatur,

καὶ μὴν φίλοις ἐλεινὸς εἰςορᾶν ἐγώ,

erit tamen quod usitatam caesuram esse neglectam mireris. Quanto enim elegantius scripsisset,

καὶ μὴν ἐλεινὸς εἰςορᾶν φίλοις ἐγώ.

Cur ergo non hoc reponimus? Scilicet praetenditur caesura, quae vocatur *ἑφθημιμερής*, multum illa, ut putant, usitata. Atqui si haec caesura ne est quidem omnino caesura, quid tum? Equidem certe Aeschylum, quum posset legitimam caesuram levissima ordinis verborum mutatione consequi, non arbitror id eum

non fuisse facturum. Verum, nisi fallor, alio modo caesuram illam conservavit. Nam quum in duobus codicibus *φίλοισιν* legatur, ita eum scripsisse veri simillimum est:

καὶ μὴν φίλοισιν οἰκτρὸς εἰσορᾶν ἐγώ.

Sed satis dictum de numeris. Reliquum est, ut de ultima prosae et poeticae elocutionis differentia explicetur. Ea vero posita est in vi, quam vox pro diversis prosae et poeticae orationis finibus ad animos hominum habet. Ac quoniam prosae orationis hic est finis, ut rerum cognitionem atque intelligentiam afferat, id in primis curari in elocutione debet, ut clara sit vox atque distincta. 13 Poesis autem quum ad sensum pulcritudinis referatur, atque ipsa quoque elocutione animos commovere studeat, operam dare poterit, ut, etiam si nonnihil impediatur sententiarum intelligentia, vox tamen quantum potest plena, sonora, grandis, coagmentata, et pene tumultuosa ad aurem accidat. Quamobrem prosa oratio assam vocem requirit, quam non modo sic intelligimus, ut symphonia musicorum instrumentorum, sed etiam ut aliarum vocum concentus absit. Confunduntur enim coniunctae voces, neque exaudiri satis cognoscique id, quod quis loquitur, sinunt. Poesis vero, quae non ad cognitionem, sed ad oblectationem apta est, ac saepe cognita iam et omnibus nota canitur, densatis vocibus et symphonia confertam vim in animos hominum effundit.

Sed haec hactenus. Venio nunc ad id, cuius caussa haec altera pars disputationis de prosae et poeticae orationis differentia in lucem emissa est. Indicenda est enim litteratis huius urbis civibus in diem XII. Martii solemnitas publicae orationis, qua demandatum nuper mihi munus Ordinariae Professionis Eloquentiae auspicaturus sum. Cuius muneris ratio quum, his praesertim temporibus, hoc maxime a me videatur exigere, ut studia antiquarum litterarum, nimis illa iam contemni coepta, pro virili parte tueri, suumque iis honorem conservare adnitar oratione illa, quid hoc sit, litteras humaniores colere, quamque vim habeat, conabor ostendere. Sed praeter haec, quae

ipsius muneris caussa mihi dicenda puto, etiam gratias agere oportet iis, quorum id consilio et patrocinio consequutus sum. Ac sive ipsum beneficium respiciam, muneris dignitas, officii gravitas, honoris amplitudo largissimam gratulandi materiam praebent; sive eorum, a quibus tributum est, recorder, FRIDERICI AVGVSTI, Serenissimi 14 Principis, clementia, sapientissimorum eius amicorum auctoritas, amplissimi ordinis philosophorum gratia et commendatio, aliorum denique summorum virorum studium ac voluntas, ita mihi et exoptata et cumulata contigerunt, ut nihil neque ad pietatem sanctius, neque ad animi sensum antiquius gratiis agendis habere me posse arbitrer. Quo magis, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, GRAVISSIMI VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, NOBILISSIMI ET HVMANISSIMI COMMILITONES hanc orationem nostram praesentia sua et frequentia celebrem reddere velint, qua pietate quoque studio decet, rogamus.

OBSERVATIONES DE GRAECAE LINGVAE DIALECTIS.

Graecae linguae cognitio his temporibus paucorum qui- 3
dem, sed eximiorum hominum studiis, eos progressus fe-
cit, ut doctrinae loco haberi posse incipiat. Doctrinam
autem dicimus eiusmodi scientiam, quae et certis funda-
mentis nitatur, et leges quasdam habeat, quibus amplifi-
cari et perpoliri possit. Nam et multa, quae ante dubia
erant, nunc explorata habemus, et alia, de quibus ante
nemo dubitabat, nescire nos scimus: ita ut altera horum
ignorare, altera scire turpe sit. Id quum nonnulli non
videantur intellexisse, horum eos, qui sciunt quae sciri
nequeunt, plerumque nota nescire; illos autem, qui ne-
sciunt nota, scire quae non possunt sciri videas. A qua
levitate, qua nihil litteris est perniciosius, ut dehortarer
tirones, quibus haec destinata est scriptio, visum est
quaedam de Graecae linguae dialectis dicere, non illa qui-
dem ignota, sed multis tamen neglecta. Est autem hic
locus maximi momenti, quod sine accurata eius cognitione
nullus de Graecis scriptoribus ita, ut par est, tractari po-
test. Patet enim latissime, neque in formis quibusdam et
terminationibus vocabulorum consistit, sed in constructione
verborum, in significatione, in colore totius orationis, in
metris et mensura, multisque aliis in partibus versatur, ad
quas animadvertendas illustrandasque diligentissima lectio-
ne, acutissimo iudicio, saepe etiam curiosa antiquitatis et

historiae pervestigatione opus est. Nondum exstitit, qui Graecae linguae dialectos eo studio, quo decebat, explicaret, praeter H. Stephanum, qui quidem soli Atticae dialecto operam adhibuit, sed eam tanta cum cura, tantaque cum eruditione, ut nihil postea, quod cum illo libro comparari posset, in hoc genere editum sit. Quamquam quae hic scripsit, non leviter aucta sunt quum aliorum, tum Dawesii diligentia: cuius verstigia, sed nimis religiose, sectatus est Brunckius: nostra autem aetate plurimas contulit atque egregias observationes R. Porsonus. Reliquas dialectos qui accurate persequeretur, nemo inventus est. Nam praeter quasdam Hemsterhusii et Valckenarii adnotationes, Koenius ad Gregorii libellum, more gentis suae, multas formulas congerere satis habuit, nihil generatim disserens; Maittairius autem operoso labore, sed sine iudicio, promiscue bona mala collegit.

Qui de Graecae linguae dialectis dicere instituebant, initium disputationis, mea sententia, ab ea lingua repetere debebant, ex qua istae diversitates, quae dialecti vocantur, ortae sunt. Enimvero qualis fuerit ista lingua nescimus. Fateor: verumtamen formis, quibus dialecti inter se differunt, colligendis et comparandis non modo hoc efficitur, ut, quae sint antiquiores, quae recentiores, appareat, sed etiam ratio intelligitur, qua quaeque dialectus in mutandis verborum formis usa sit. Sic vero ea quoque, quae prima specie levia esse videntur, idoneis indiciis, quid antiquissimum fuerit, aperiunt. Est autem interdum non parvi momenti, scire, quid commune fuerit Graecae linguae, antequam temporum locorumque mutationibus in varias formas distraheretur. Celebre exemplum afferamus, digamma Aeolicum, quod alii in Homeri Hesiodique scriptis usurpatum contendunt, alii ab his scriptoribus abiudicant. Abhorret, inquiunt hi, ab Homero, scriptore Ionico, Aeolicae litterae usus. Id qui primus dixit, per iocum, opinor, dixit: sed arripuerunt alii, et vel conviciis pro ea opinione pugnant. Quid vero? Multis argumentis cognoscitur, ista littera non solos usos esse Aeolenses, sed Dorienses omnes, et esse hunc usum

adeo antiquum, ut initio universae Graeciae communis fuisse videatur. Quid ergo mirum, si hanc litteram etiam Iones antiquissimis temporibus usurpabant, donec ea paullatim ex usu et ore hominum emigraret? Nihil huic coniecturae nisi nomen obstat. At quis non videt, quum Dorienses rudes essent litterarum, ii autem, qui Ioniam et insulas Aeolicas tenebant, primi ad artes et poesin animum adiicerent, nomen litterae Aeolicae non ad sonum, sed ad solam spectare notam, qua Aeoles sonum ab antiquis acceptum scribendo indicaverint. Dorienses si prius scriptis inclaruissent, Dorica vocata esset littera, qua Arcades etiam ante natam in caelo lunam usi fuerant. Igitur quum soli Aeolenses digamma singulari nota indicarent, reliqui Graeci, apud quos haec nota non erat in usu, alias litteras, ubi digamma scribendum esset, adhibebant. Et quum digamma proprie triplici sono significando videatur inserviisse, uni labiali, qui apud latinos *v*, apud nos *w* est; alii, qui pene ad vocalem *u* accedit, ut Britannorum *w*; tertio gutturali, qui nunc asperior et plenior erat quam *χ*, nunc propemodum ut *gu* vel *ng* proferebatur: hi soni, et qui ex iis orti sunt, per *β*, per *ο*, per *υ*, per *γ*, per spiritum asperum, per *σ*, per *ϱ*, et apud Romanos per *qu* indicabantur. De litteris *β*, *υ*, *γ*, et spiritu aspero apud omnes constat. Cur reliquas addiderim, intelligent, qui similia consideraverint, ut *οἶκος*, *Ὀϊλεύς*, *Μοῦσα*, *aurarum*, *quoi*, *quem*: in quibus vocibus digammi vestigia aperiunt hae formae, *vicus*, *Ἰλεύς*, *Μῶἁ*, *αὐϱάων*, *οἷ*, *ἕ*. Quoniam genitivi *aurarum* mentionem feci, qui manifesto Graecam originem habet, non abs re esse puto, etiam secundae Latinorum declinationis genitivum tetigisse. Qui quum indicio sit, vetustissimos Graecos *οἰκώϱων* et similia dixisse, et inde *οἰκώων* et *οἴκων* exstitisse, dubitari poterit, an Homeri *ἐάων* et Hesiodi *βλεφάϱων ἀπὸ κυανεάων*, et quae horum exemplo recentiores poetae finxerunt, solis debeantur grammaticis. 5

Ex antiquissima illa Graecorum lingua duas alias, Doricam et Ionicam, et harum ex Dorica Aeolicam, ex Ionica Atticam ortas esse, communis est opinio, nec falsa

illa, si recte intelligatur. Proxima enim veterrimae Graecorum linguae erat Dorica. Ex hac maiore cultu exstitit Aeolica, in universum tamen tenacissima antiquitatis. Dorica lingua utebantur etiam Iones, qui quum Athenas tenerent, partemque Asiae minoris occupassent, ii, qui in Asia erant, mitissima caeli temperie invitante, antiquam asperitatem paullatim exuentes, molliore lingua uti coeperunt, alii tamen aliter: hinc quattuor formas linguae Ionum enumerat Herodotus I, 142. Athenienses autem, quod is populus plurimarum gentium commercio utebatur, 6 ex omnibus pene linguae formis aliquid contrahebat: de qua re disseruit Piersonus ad Moeridem p. 349. Mox quum Iones, qui erant in Asia, poesin et studia litterarum colere coepissent, ab his eruditio migravit Athenas, eaque re factum est, ut Atheniensium sermo, is certe, quo in scribendo utebantur, ad Ionum imitationem conformaretur. Paullo post, quum primatum in Graecia tenerent Athenienses, ad communem usum magis sese accommodarunt scriptores.

Vel e brevissima hac descriptione intelligitur, Graecae linguae dialectorum tractationem esse difficillimam. Augetur autem haec difficultas eo, quod non modo ad temporum locorumque diversitatem, sed etiam ad scribendi genus, quo quisque scriptor usus est, respici debet. Ita non idem est, utrum historicus, an orator, an philosophus loquatur. Quamquam in his hoc tamen commodum accidit, quod quisque eius gentis, ex qua ipse est, lingua, eaque pura, utitur. Quod longe aliter est, ubi ad poetas animum adieceris. Qui quum nulla cuiusquam gentis dialecto pura utantur, neque iudicari ex illis dialectis, neque ubique idonea pro iis testimonia praebere possunt. Vt breviter dicam, praeter illas gentium singularum linguas etiam poeseos generum diversae dialecti sunt, quas quidem neque solas sine gentium linguis, neque has, neglecta poetarum diversitate, recte tractaveris.

Vetustissima omnium epica poesis est, cuius origo in ea tempora incidit, quibus formari incipiebat dialectus Ionica. Quare qui primi exstiterunt epici carminis aucto-

res, etsi propius accedunt ad eam linguam, quae postea vocabatur Ionica, plurima tamen habent, quae Doricus, vel, ut rectius dicam, communis veterum Graecorum sermo usurpabat. Nondum enim penitus apud Iones obmutuerat Dorismus. Praeterea iidem poetae, metri maxime commoditatem spectantes, alia, quae communis usus iam adspernabatur, conservabant, alia etiam nova introducebant. Ita sermo quidam exstitit proprius poetarum: (poetae enim omnes erant epici) qui sermo quum esset Homeri exemplo nobilitatus, non licebat epico poetae alia lingua uti, quam quae ad Homeri exemplum esset conformata. Sic epica dialectus exstitit, servata illa per omnes aetates, licet paullatim vel ex aliis poeseos generibus, vel 7 e grammaticorum disputationibus, vel denique poetarum negligentia aliquid labis contraheret. Quamobrem epicae quoque dialecti diversae formae sunt, quarum aliquas ipsa Homeri carmina, plures scripta reliquorum continent epicorum. Has igitur formas nisi quis diligenter distinxerit, neque sentire recte de epicis poetis, neque tuto emendationem aggredi poterit.

Epicam poesin consequuta est lyrica, quae initio modeste ab epica digrediens, mox, relicto epicorum exemplo, singularum gentium linguis sese applicuit, ita tamen, ut quaedam ab epicis, tamquam universae poeseos communia, derivaret. Nullum est enim genus poeseos, quod non aliquid certe ab epicis acceperit. Ac lyricae quidem poeseos tres maxime formae sunt, antiquissima, quae Ionismum epicorum sectata est, tum Aeolica ac Dorica, denique communis quaedam. Etenim quum Ionica non sat dignitatis habere videretur, Aeolica autem ac Dorica, quod paucarum gentium propriae essent, apud reliquas gentes nimis peregrinae haberentur, alia inventa est forma, quae neque Dorismi granditate careret, neque notam haberet peregrinitatis. Haec igitur e moderato Dorismi usu et epico sermone conflata est, unde communem vocant grammatici. Eius illustre exemplum in Pindari carminibus exstat.

Insequuta est tragoedia, quae in iambis quidem et

trochaeis Attica lingua utitur, sed ea et veteri et admixtis quibusdam Doricis atque epicis formis; in melicis autem carminibus communem lyricorum orationem sectatur, Dorismo tamen magis temperato, multisque exclusis epicorum licentiis; denique mediam quamdam inter chori et diverbiorum dialectos rationem usurpat in magna parte anapaestorum.

Comoedia, ut consentaneum erat, communem populi sermonem imitabatur, apud Siculos Doricum, Athenis Atticum. Atque Atticus quidem comicorum sermo quantum a tragico distet, notum est: sed ipse quoque temporum successu aliquantum immutari coepit, ut non perinde sit, utrum Aristophanem an Menandrum auctorem se-
8 quare, quando ne in ipsius quidem Aristophanis fabulis eadem est dictionis ratio. Caeterum etiam apud comicos chori carmina certis conditionibus Dorismum admittunt.

Post illa tempora, quibus apud Athenienses floruerat poesis, quum illa genera, quorum iam exempla exstabant, colebantur, tum alia quaedam nova sunt inventa, quae maxime ex epico et Dorico genere composita sunt. Haec quoque temperatio leges suas finesque habet, de quibus operae pretium foret quaerere curiosius.

Quae quum ita sint, facile intelligitur, poeticam dialectum, quam quidam commenti sunt, aut omnino e dialectorum numero tollendam esse, aut, si servanda est ea appellatio, ad illa tantum restringi debere, quae poetae omnes communia habent. Haec vero perpauca sunt. Nec tamen inutile foret, ea omnia colligere, quo clarius perspici posset, quibus rebus poeticus sermo a prosa oratione diversus fuerit. Apertum est enim, haec, quae poetae in omni genere scribendi, caeteri autem scriptores in nullo usurpant, primariam continere utriusque sermonis differentiam.

Descripsi haec primis tantum lineis. Nam singula persequi nec possum, nec, si possem, nunc quidem vellem. Illud planum est, has dialectos, quas non immerito poeticas appellaveris, et latius patere illis, quae in prosa oratione inveniuntur, et plures habere difficultates. Ac

latius patent, quia in poetis metrum accedit, quod ipsum vel pro generibus poeseos, vel pro aetatibus diversas leges habet: difficiliores autem sunt, quod fastidioso quodam temperamento e variis dialectis mixtae sunt, ut, nisi multam in hoc genere diligentiam adhibueris, proclivis via ad errorem sit. Quo magis adolescentes, qui Graecas litteras tractant, monendi sunt, ne putent quidquam adeo leve esse, ut nulla inde percipi possit utilitas. Minutissimae enim istae res radices sunt artis, quas qui parvi pendunt, pariter reprehensionem merentur, ut illi, qui in his rebus solis haerent, quem ad finem eae res tractentur obliti. Volo haec exemplis quibusdam illustrare; eaque talia expromam, ad quae alios attendisse non noverim.

Aeschylus, Sophocles, atque Euripides, quum et in eodem genere scribendi elaboraverint, et aetate pene sint aequales, plurima communia habeant necesse est. Sunt tamen, quibus unusquisque horum ab reliquis discedat: neque solum inter se hi scriptores valde differunt, verum etiam, Sophocles saltem atque Euripides, haud parum ab se ipsis discrepant. Vt luculento exemplo utar, quanta cum diligentia in quibusdam horum tragoediis versus elaborati sunt, tantam in aliarum versibus fabularum negligentiam invenias Quod non est casu factum. Nam quum Sophoclis atque Euripidis aetate, quum quidem iam diu mortuus esset Aeschylus, furiose tragoediis delectarentur Athenienses, orta sunt illa 9

μειρακύλλια,
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μυρία,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα·

qui homines quum non possent non corrumpere artem tragicam, ne meliores quidem poetae, quoniam istos quoque placere populo animadvertebant, illud studium, illamque diligentiam, qua ante erant usi, retinuerunt. Quae mutatio facta est Olympiade XC. et XCI. *). Ita-

*) Vide praefationem meam ad Eurip. Suppl. p. 4. Elem.

que graviter erraret, qui, si quid Sophocles in Philocteta, Euripides in Phoenissis, in Oreste, in Iphigenia Aulidensi negligenter scripserunt, idem eos sibi indulgere potuisse in Antigona, in Medea, in Heraclidis crederet. Immo criticus, antequam ad harum fabularum emendationem accedet, quo quaeque tempore scripta sit, et proinde, quantum in quaque aut studii aut incuriae ferri possit, investigabit. Patet vero, vicissim e diligentia poetae vel negligentia aetatem fabulae elucescere. Sic ante Olympiadem XC. graviter improbatus fuisset tragicus, qui talem versum fecisset:

ὡς πόλυν ἀπῆσθα χρόνον ἐν Αὐλίδος μυχοῖς.

Non possum, quin hic Rhesi mentionem faciam, de cuius fabulae scriptore diversissimae exstant doctorum hominum sententiae. Valckenario, summo viro, non absurda videbatur Delrii suspicio, hanc fabulam ab illo Euripide scri-
10 ptam esse, qui nobili tragico e fratre nepos erat *). Recentiorem esse fabulam his, quas ab Euripide Mnesarchi f. scriptas habemus, non est dubium: quamquam, si trimetros consideres, florentissimis tragicae artis temporibus factam credas. Neque enim credibile est, quum extrema aetate Euripidis adeo inclinata esset tragoedia, tam bonos versus a suppari poeta esse conditos. Haec res mirum quantum labefactat opinionem Delrii. Sed haec ipsa versuum elegantia, si reliqua quoque, quae in isto carmine singularia sunt, bene perpensa fuissent, monstrare poterant, neque Athenis eam fabulam scriptam esse, nec tam brevi intervallo contingere aetatem Euripidis. Similiter epica poesis, quae pene iam interierat, feliciter restaurata fuit ab Nonno.

---

doctr. metr. II. 14, 15. p. 123. seq. Elmsleium ad Eurip. Med. p. 70. (55. ed. Lips.) et quae in adnotationibus ad eum librum dixi p. 329.

*) Hanc sententiam tueri studuit Boeckhius in libro quem scripsit de tragicis Graecis p. 228. seqq.

Transeo ad aliam rem. Constat in Graecorum poetarum scriptis versus quosdam reperiri, quorum ultima syllaba, quod sequens versus a vocali incipiat, elidatur. Haec res natura sua eorum versuum, qui systematis comprehensi sunt, propria est; aliena autem ab his carminibus, quae *κατὰ στίχον* composita a grammaticis vocantur. Abhorret igitur ab epica poesi; abhorret ab iambis tragicorum. Apud Homerum tamen ter, nisi fallor, occurrit *εὐρύοπα Ζῆν'* in fine versus positum, quod doctiores grammatici sic scribebant, ut litteram *ν* sequenti versui adderent, falso quidem, quum poetis aliter visum esse aliunde clarum sit. Sed de illo quidem nomine recte sensisse hos puto, qui sine elisione *Ζῆν* scribebant. Multa sunt enim nomina, quorum breviores quaedam formae, sive audacia quadam, sive quod antiquitas iis usa esset, a poetis usurpantur, quae nomina plerumque sedem sibi in extremo versu vindicant. Exempla quaedam commemoravit Strabo p. **560.** (**364.**) Certiora elisionis in fine versus exempla in tragicorum trimetris exstant, nullum quidem apud Aeschylum, sed unum, si recte memini, in Euripideis fabulis, plura in Sophocleis. Et Sophocles quidem primus hoc facere ausus est, teste Athenaeo lib. X. p. **453.**, cuius locum, quod valde memorabilis est, post aliorum curas emendatum adscribam: *ὁ δὲ Ἀθηναῖος Καλλίας (ἐζητοῦμεν γὰρ ἔτι πρότερον περὶ αὐτοῦ) μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενος τοῖς χρόνοις Στράττιδος, ἐποίησε τὴν καλουμένην γραμματικὴν θεωρίαν, οὕτω διατάξας· πρόλογος μὲν αὐτῆς* **11** *ἐστὶν ἐκ τῶν στοιχείων, ὃν χρὴ λέγειν τὰ τῶν στοιχείων διαιροῦντα κατὰ τὰς παραγραφάς, καὶ τὴν τελευτὴν καταστροφικῶς ποιουμένους εἰς τὸ ω̄·*

> *ἔστ' ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρ' ει̅,*
> *ζῆτ', ἧτα, θῆτ', ἰῶτα, κάππα, λάμβδα, μῦ,*
> *νῦ, ξῦ, τὸ ο̅υ̅, πῖ, ῥῶ, τὸ σάν, ταῦ, υ̅ παρόν,*
> *φῖ, χῖ τε, τῷ ψῖ εἰς τὸ ω̄.*

ὁ χορὸς δὲ γυναικῶν ἐκ τῶν σύνδυο πεποιημένος αὐτῷ ἐστὶν ἔμμετρος ἅμα καὶ μεμελοπεποιημένος τόνδε τὸν τρόπον· βῆτα ἄλφα, βῆτα ει̅, βῆτα ἧτα, βῆτα ἰῶτα,

βῆτα ου, βῆτα υ, βῆτα ω; καὶ πάλιν ἐν ἀντιστρόφῳ τοῦ μέλους καὶ τοῦ μέτρου, γάμμα ἄλφα, γάμμα ει, γάμμα ἦτα, γάμμα ἰῶτα, γάμμα ου, γάμμα υ, γάμμα ω̃· καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συλλαβῶν ὁμοίως ἑκάστων τό τε μέτρον καὶ τὸ μέλος ἐν ἀντιστρόφοις ἔχουσι πᾶσαι ταυτόν· ὥστε τὸν Εὐριπίδην μὴ μόνον ὑπονοεῖσθαι τὴν Μήδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλος αὐτὸ μετενηνοχότα φανερὸν εἶναι· τὸν δὲ Σοφοκλέα διελεῖν φασὶν ἀποτολμῆσαι τὸ ποίημα τῷ μέτρῳ, τοῦτ᾽ ἀκούσαντα, καὶ ποιῆσαι ἐν τῷ Οἰδίποδι οὕτως·

> *ἐγὼ οὔτ᾽ ἐμαυτὸν οὔτε σ᾽ ἀλγυνῶ· τί ταῦτ᾽*
> *ἄλλως ἐλέγχεις;*

διόπερ οἱ λοιποὶ τὰς ἀντιστρόφους ἀπὸ τούτου παρεδέχοντο πάντες, ὡς ἔοικεν, εἰς τὰς τραγῳδίας. καὶ μετὰ τὸν χορὸν εἰσάγει πάλιν ἐκ τῶν φωνηέντων ῥῆσιν, οὕτως, ἣν δεῖ κατὰ τὰς παραγραφὰς ὁμοίως τοῖς πρόσθεν λέγοντα διαιρεῖν, ἵνα ἡ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν·

> *Α. ἄλφα μόνον, ὦ γυναῖκες, ει τε δεύτερον*
> *μόνον λέγειν χρή, καὶ τρίτον μόνον γ᾽ ἐρεῖς.*
> *Π. ἦτ᾽ ἄρα φήσω; Α. τό τε τέταρτόν γ᾽ αὖ μόνον*
> *ἰῶτα· πέμπτον ου· τό θ᾽ ἕκτον υ μόνον*
> *λέγε. Ω. λοίσθιον δ᾽ ἐγὼ τί φωνῶ σοι; Α. τὸ ω̃*
> *τῶν ἑπτὰ φωνῶν· ἑπτὰ δ᾽ ἐν μέτροις μόνον.*
> *καὶ τοῦτο λέξασ᾽, εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει.*

Multos hic locus interpretes frustra exercuit, in iisque eum quoque, qui novissime de fragmentis poetarum ab Athenaeo servatis mereri studuit in Ephemer. Ienens. a. 12 cIↃIↃCCCVI. mense Octobri, fol. 247—251., quae censura, si recte coniicio, a viro iuvene scripta est, qui impenso metrorum studio captus, nihil prius habuit, quam ubique metra restituere. At in hoc genere nemo recte versabitur, antequam tragicos et comicos cognoverit. Et quid metra prosunt, si sensum, si dialectos, si grammaticam, si prosodiam, si metra denique ipsa leviter cures?

Omnino qui sat multi nuper eo consilio ad Athenaeum convolarunt, ut poetarum testimonia, quibus is utitur, metris suis restituerent, quae res ut in Athenaei libro non est ultima, ita ne prima quidem est, vellem reputasseut, esse in hoc genere multa, quae emendare non posse magis dedecori, quam emendasse laudi esset. Callias iste, non diversus fortasse a comico eius nominis, in fabula illa, quam, ut alibi refert Athenaeus, grammaticam tragoediam nominaverat, quum universe *τραγικὸν λῆρον*, ut Aristophanis verbis utar, tum nimium in versibus exaequandis artificium videtur perstringere voluisse. Eam rem ita instituit, ut mulieres, quibus litterarum nomina imposuerat, elementa discere faceret. Quam his mulieribus additam fuisse magistram putant interpretes, ea, quantum colligere licet, harum fuit ipsarum mulierum vel ordine prima, vel natu maxima, quae Alpha nominabatur. In prologo singulae mulieres litteras omnes eodem modo recitabant, ita ut, quum Alpha, cuius verba adscripsit Athenaeus, finem fecisset, subiiceret Beta,

— — — — — ἔστ' ἄλφα, βῆ-
τα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρ' ει, ζῆτ', ἦτα,
θῆτ',

et quae sequuntur. Ternae horum verborum repetitiones undecim plenos versus efficiunt: quo numero octies repetito prologus habebat octoginta et octo trimetros. Illud, ordine haec ab singulis XXIV. mulieribus pronunciari, indicare videtur Athenaeus verbo *καταστροφικῶς*, quod est *paullatim perveniendo ad exitum.* Male hoc vocabulum, quod vix alibi reperietur, H. Stephanus et qui deinde lexica scripsere, explicuerunt. Similis lusus, ut in prologo, etiam in colloquio Vocalium est. Ibi unaquaeque Vocalis iubetur eam litteram solam, a qua nomen habeat, pronunciare, ita ut haec recitatio septem versibus absolvatur. Huius carminis primus versus talis erat, 13

α, ει, η, ι, ου, υ, ω, α, ει, η, ι, ου.

Et griphus (nam de griphis disserens haec scribit Athe-

naeus) in eo positus est, quod, si singulae vocales ordine pronunciantur, non ante vocalis ω, quae ultima est, in finem versus incidit, quam in versu septimo, i. e. omnibus vocalibus duodecies repetitis. In his septem versibus hoc quoque notabile est, quod nullus pes eidem pedi in reliquis versibus similis est, et quotumcumque pedem per omnes septem versus consideres, in eo omnes septem vocales bis scriptae reperiuntur. In ista recitatione cur dicat Athenaeus distinguendas esse personas, *ἵνα ἡ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν*, nunc clarum est. Nam etsi plerumque facile est, in recitandis colloquiis, si *παραγραφαί*, i. e. notae personarum, adscriptae sunt, distinguere personas, est tamen hoc difficillimum, ubi singulae personae singulas syllabas pronunciant. Quare quod dicit Athenaeus *κατὰ τὴν δύναμιν*, quod aliter inepte addidisset, necessario adiiciendum erat. Obiter observamus, quae Alpha, magistra, apud Calliam de ista recitatione praecipiens dicit, *καὶ τοῦτο λέξασ᾽, εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει*, his verbis moneri mulieres, ut peracta recitatione secum recordentur, quae didicerint. Nam *ἑαυτῷ λαλεῖν* de iis dicitur, qui secum aliquid reputant, ut apud Lucianum in Scytha. 6. T. I. p. 866.

Progredior nunc ad chorum, qui erat in Calliae fabula. Qui chorus non potuit, ut quibusdam visum est, *βῆτ᾽ ἄλφα βα, βῆτ᾽ ει βε*, et sic reliqua, canere. Nam ne quid dicam de turpississimis versibus, qui ex his vocibus prodeunt, quomodo tandem, quod factum testatur Athenaeus, omnes strophae eodem metro fuissent, quum litterae ζ, ξ, ψ produci postulent syllabas, quas reliquae corripi iubent? Vna tantum ratio erat, qua metra ubique exaequari poterant, si vocales sono, non nominibus, indicarentur, veluti *βῆτ᾽ α βα, βῆτ᾽ ει βει*. Sed sic quoque versus exstitissent turpissimi, neque Athenaeus bis dixisset, idem esse metrum in strophis omnibus, si id sponte patuisset. Accedit quod syllabae *βα, βε*, et reliquae in primae tantum strophae expositione adiectae sunt, non etiam in secundae. Quare has syllabas ab librario

aliquo in margine adscriptas puto, quo is rationem, qua personae consociatae erant, quam brevissime indicaret. Quod satis erat in prima stropha fecisse. Ab imperitis deinde hae syllabae insertae sunt verbis Athenaei. Callias ita personas coniunxerat, ut singulas strophas singulae Consonantes totas canerent, accinentibus ordine singulis Vocalibus. Veluti si strophae e septem versibus constabant, primam stropham totam canebat Beta, in primo autem versu accinebat Alpha, in secundo E, et sic in singulis versibus reliquae Vocales. Hanc rationem imitatus erat in Medea Euripides: de quo quae hic scribit Athenaeus, alio eiusdem scriptoris loco illustrantur, qui est in principio libri septimi, ubi haec refert de Clearcho: *καὶ γὰρ Καλλίαν ἱστορεῖ τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ᾽ ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ, καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν.* Vtrumque Athenaei locum consideranti non potest dubium esse, de solis choris agi, qui quod primaria tragoediae pars habebantur, *τὴν Μήδειαν πᾶσαν* dicere potuit Athenaeus. In his choris *μέλη*, de quibus iudicari nunc non potest, et *διάθεσιν*, quae est personarum descriptio, a Callia Euripides sumserat. Ea personarum descriptio, si fides est Athenaeo, in omnibus chori carminibus, quae sunt in Medea, ad Calliae exemplum facta esse debuit. Quod quidem fieri potuisse non negabit, qui Euripidem choros in universum quidem ad Calliae rationem, sed, uti decebat, aliis in locis aliter conformasse sibi persuaserit. Quamquam in singulis locis hanc imitationem aperire difficile est. Vnum tamen in Medea carmen est chori, quod non solum percommode ad Calliae exemplum constitui potest, sed etiam ista personarum descriptione multo fit praestabilius, quum personis ita per vices ista dicentibus maius chori studium, maiorque motus declaretur. Stropham, quae est a v. 149. adscribam.

BA. *Ἄϊες, ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς,*
ἰαχάν, οἵαν ἁ δύστανος
μέλπει νύμφα;
BE. *τίς σοί ποτε τᾶς ἀπλάστου*

κοίτας ἔρος, ὦ ματαία,
15 *σπεύσει θανάτου τελευτάν;*
μηδὲν τόδε λίσσου.
BH. *εἰ δὲ σὸς πόσις*
καινὰ λέχη σεβίζει,
κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου.
BI. *Ζεύς σοι τάδε συνδικάσει.*
μὴ λίαν τάκου,
δυρομένα σὸν εὐνάταν.

Indicavi personas iisdem litteris, quibus Callias usus fuerat. Vt hanc stropham totam canit Beta, accinentibus ordine Alpha, E, Eta, et Iota, ita iisdem accinentibus antistropham totam canit Gamma. Illud sponte intelligitur, incertum esse, utrum singulis litteris apud Euripidem singulae personae, an plures coniunctae significentur. Obiter moneo, quod circa finem antistrophae est, *φίλα καὶ τάδ' αὔδα*, in quibus verbis quum *φίλα* singularis numeri esse putaretur, critici versum strophicum sollicitarunt, hunc sensum habere: *dic etiam, bene ei nos velle.*

Postquam de Medea Euripidis dixerat Athenaeus, obiter, turbato narrationis ordine, qui mos est huius scriptoris, Sophoclis facit mentionem, quem dicit, quum audivisset, Euripidem aliquid e Calliae fabula hausisse, in Oedipo, sibi idem licere ratum, alia ratione Calliam esse imitatum, et vocabulum in fine versus divisisse. Fecit hoc Sophocles, ut censebat Clearchus, ad imitationem prologi, qui erat in Calliae fabula: in quo prologo verba sic dividi supra ostendimus. Statim deinde Athenaeus ad antistrophas redit his verbis: *διόπερ οἱ λοιποὶ τὰς ἀντιστρόφους ἀπὸ τούτου* (i. e. ex eo tempore) *παρεδέχοντο πάντες, ὡς ἔοικεν, εἰς τὰς τραγῳδίας.* Ex his verbis colligimus, tragicos, quum ante editam Euripidis Medeam hic illic parcius usi essent antistrophis, posteaquam ille novam earum rationem et liberiorem prodidisset, ibi quoque antistrophas adhibuisse, ubi ante usus earum fuerat incommodus. Non sum nescius, quantae dubitationes hanc Athenaei narrationem premant; sed de his non ante

poterit recte explicari, quam quum maiores progressus fecerit tragicorum emendatio, quae nulla in parte magis, quam in hac, iacet.

Redeo nunc ad elisam in fine trimetri syllabam. Eam 16 igitur elisionem, Athenaeo auctore, abiudicare debemus ab omnibus tragicorum fabulis, quae ante Sophoclis Oedipum editae sunt. Nec tamen hoc satis est. Nam nec Sophocles, neque qui eum sequuti sunt tragici, ubique, ut equidem puto, sed certa quadam conditione, istam elisionem admiserunt. Ostendent hoc exempla, quae haec sunt: in Oedipo Rege v. 29.

ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον, μέλας δ'
Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται.

v. 332.

ἐγὼ οὔτ' ἐμαυτὸν, οὔτε σ' ἀλγυνῶ. τί ταῦτ'
ἄλλως ἐλέγχεις;

v. 785.

κἀγὼ τὰ μὲν κείνοιν ἐτερπόμην· ὅμως δ'
ἔκνιζέ μ' αἰεὶ τοῦθ'· ὑφεῖρπε γὰρ πολύ.

v. 1184.

ὅστις πέφασμαι φύς τ' ἀφ' ὧν οὐ χρῆν, ξὺν οἷς τ'
οὐ χρῆν μ' ὁμιλῶν, οὕς τέ μ' οὐκ ἔδει κτανών.

v. 1224.

οἷ' ἔργ' ἀκούσεσθ', οἷα δ' εἰσόψεσθ', ὅσον δ'
ἀρεῖσθε πένθος.

In Electra v. 1017.

ἀπροσδόκητον οὐδὲν εἴρηκας· καλῶς δ'
ᾔδη σ' ἀποῤῥίψουσαν ἁπηγγελλόμην.

In Oedipo Coloneo v. 16.

χῶρος δ' ὅδ' ἱρός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
ἔσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες.

v. 1164.

σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν, ἀπελθεῖν τ' ἀσφαλῶς τῆς δεῦρ' ὁδοῦ.

Denique in Iphig. Taur. v. 968.

ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην τ'
ἔστην.

17 Ex his locis, si ab uno discesseris, hac tantum conditione syllabam in fine trimetri elidi discimus, si proxime praegressa sit interpunctio, quae quod pausam in pronunciando fieri iubet, ea, quae deinde sequuntur, arctius coniungi postulat. Nam Graecos neque solius metri rationem in recitandis versibus habuisse, neque, ut nostrum multi solent, quum versus legunt, metrum neglexisse, reconditis quibusdam, sed certis argumentis possumus colligere. Ex quo genere illud est, quod de longa syllaba, qua interdum vox ante arsin quinti pedis trimetrorum finitur, in praefatione ad Orphica scripsi. Alia huiusmodi, quae addere possem, omitto. Quod si quis versus illos, quos adscripsimus, recte pronunciare sciat, is intelligat necesse est, elisiones istas in extremis versibus non modo esse duras, sed aliquid etiam habere suavitatis. Vnus tamen in his locus est, qui quum nullam ab interpunctione habeat excusationem, de vitio suspectus est:

σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν.

Vauvillersius, probante, ut videtur, Wyttenbachio, in Bibl. crit. II. 2, 51. *μολόντ'* in *μόνον* mutabat. Agnoscit tamen hoc participium scholiastes, ita scribens: *τὸ ἑξῆς, φασὶν αὐτὸν μολόντα αἰτεῖν εἰς λόγους σοὶ ἐλθεῖν.* Equidem non credo dividere Sophoclem vocabulum voluisse, quum scribere posset,

σοὶ φασὶν ἐλθόντ' αὐτὸν ἐς λόγους μολεῖν
αἰτεῖν,

vel,

σοὶ φασὶν ἐλθεῖν ἐς λόγους μολόντα νιν
αἰτεῖν.

Prior ratio defendi potest eo, quod saepius error in terminationibus similium vel oppositorum admissus invenitur. Ac similis locutio in eadem Sophoclis fabula est v. 1297.

οὔτ᾽ εἰς ἔλεγχον χειρὸς οὔτ᾽ ἔργον μολών.

Alteram tamen rationem praetulerim, tum quod scholiastes infinitivum ἐλθεῖν pariter ac participium μολόντα tuetur, tum quod non rari sunt errores, quos αὐτὸν pro νὶν repositum peperit *).

Sed haec hactenus. Indicenda est enim solemnis 18 doctorum philosophiae creatio, quae hoc quidem anno cum iucundissima coniuncta est gratulatione, qua duo nobis prosequendi sunt eximii viri, quos ex iis, qui ante hos L. annos artium magistri ab Ordine nostro creati sunt, superstites esse gaudemus,

GEORGIVS STEPHANVS WIESAND

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE A CONSILIIS PROVOCATIONVM, FACVLTATIS IVRIDICAE IN ACADEMIA VITEBERGENSI ORDINARIVS

et

CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNE

POTENTISSIMO BRITANNIAE REGI AB SECRETIS REI IVDICIARIAE CONSILIIS, ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSOR IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA,

quibus viris, qui meritis adeptam nominis claritatem etiam senes indefesso studio, quo civibus suis ac litteris prosunt, tuentur, diuturnos contingere optamus hilaris senectutis fructus. Vtinam hoc voto etiam Fridericum Volgangum Reizium possemus comprehendere, qui eodem anno cum his artium magister factus, iam diu ex vivis abiit, indelebili nobis, atque ante alios mihi, relicto desiderio. Die igitur XII. Febr. h. X. in Auditorio maiore anniversaria instituetur solemnitas, in qua primo ii, qui iam tabulis publice propositis Philosophiae Doctores ac Liberalium Artium Magistri declarati sunt, renunciabuntur:

*) Vide Elem. d. metr. I. 8, 10. p. 36.

LIBORIVS DE BERGMANN

PASTOR PRIMARIVS ECCLESIAE RIGENSIS, AD AED. D. PETRI RIGAE PASTOR, CONSISTORII ASSESSOR, COLLEGII VTRIVSQVE, ET QVOD SCHOLASTICAS, ET QVOD PAVPERVM RES CVRAT, COLLEGA,

FRIDERICVS ADOLPHVS KRETSCHMANN

LIPSIENSIS

IVR. VTR. BACCAL. ET NOT. PVBL.

19 CHRISTIANVS GVILIELMVS WIESAND

VITEBERGENSIS

IVR. VTR. BACCAL. ET CAVSSAR PATRONVS SAX.

Antiquo deinde ritu creabuntur hi:

IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS SEIDLER

OSTERFELDA MISN.

EDVARDVS PLATNER

LIPSIENSIS

IVR. VTR. BACCAL.

CHRISTIANVS GODOFREDVS SCHMIDT

SCHOENFELDIA MISN.

GEORGIVS GVILIELMVS ROSSTAEVSCHER

SCHLEVSINGA FRANCVS

REV. MIN. CAND.

HENRICVS THEOPHILVS KREVSSLER

LIPSIENSIS

IOANNES TRAVGOTT TRABERT

CÖLLEDA THVRINGVS

CAROLVS FRIDERICVS ADLER

MÖCKERNA MISN.

Hanc ergo solemnitatem ut **VOS**, **MAGNIFICE RECTOR**, **CELSISSIME PRINCEPS SCHOENBVRGICE**, **ILLVSTRISSIMI COMITES**, **GRAVISSIMI PROCERES** ac **FAVTORES ACADEMIAE**, **GENEROSISSIMI** denique atque **HVMANISSIMI COMMILITONES**, praesentia **VESTRA** ornare celebrioremque reddere velitis, Ordinis, meo, candidatorumque nomine, qua decet observantia a **VOBIS** peto. **P. P.** in Vniversitate Litterarum Lipsiensi Dominica Estomihi a. cIↃIↃcccvii.

DISSERTATIO DE ELLIPSI ET PLEONASMO IN GRAECA LINGVA *).

I. Quid sit ellipsis et pleonasmus.

97 Nulla res plus damni intulit litteris, quam inertiae filia credulitas. Nam sicut in omni negotiorum genere quaedam reperiuntur inveteratae opiniones, quas alii ab aliis acceptas servant religioseque tuentur, parum solliciti, qui fontes sint, aut quae rationes harum opinionum: ita etiam in litteris, quarum tamen propria est veritatis pervestigatio, plerique, quoniam multa discendo doctrinae laudem parari putant, magis quid ante se alii dixerint, quam illi an id recte dixerint, student cognoscere. Quo fit, ut, dum toti tractandis aliorum commentis se dedunt, denique longa consuetudine ad credendum inducantur, mirantes ac pene stupentes, si quis aliter sentire audeat. Et quo clariores saepe viros haec tenet socordia, eo latius hoc malum serpit, plerisque auctoritatem, tutam scilicet, aliquamdiu certe, proprii laboris periculosae difficultati praeferentibus. Luculentum huius rei documentum praebent 98 ea quae ab his, qui philologi vocantur, de ellipsi et

*) Edita est in F. A. Wolfii et Ph. Buttmanni Museo antiquitatis studiorum Berolini a. 1808.

pleonasmo Graecae linguae tradita sunt. Quas disputationes qui accuratius consideret, is propemodum eo redigatur necesse est, ut dubitet, utrum ellipsis sit, ubi non est pleonasmus, an pleonasmus, ubi non est ellipsis. Adeo ne nunc quidem certum est atque exploratum, quae sit horum nominum vis et significatio. Atque ut fit, quum difficiliora sint ea, quae iusto brevius, quam quae cum quadam orationis abundantia dicuntur, primo de ellipsi quaesitum est, comparatis inter se veterum scriptorum locis, qui plenam viderentur, quique mancam orationem habere. Visa haec res est pulcre procedere: itaque praeter alios maxime Lambertus Bosius, insignem hunc ratus explicandae Graecae linguae fontem esse, tanto studio ad investigandas ellipses excitatus est, ut fere quidquid Graeca lingua difficultatis haberet, aliqua ellipsi adhibenda putaret expediendum esse. Cuius viri nomen, invitante etiam rei facilitate, alios movit plurimos, ut eodem ipsi quoque operam conferrent suam, donec nuper Godofr. Henr. Schaeferus, vir doctissimus, caecos eorum impetus plurimis in locis compescuit et ad saniorem rationem revocavit. Qui vir quum, qua est Graecae linguae peritia, multa, quae ab istis per ellipsin explicata fuerant, ab omni ellipsi vacua esse intelligeret, vellem tamen non hic illic in singulis erroribus notandis operam impendisset, sed, quod caput est rei, in universum ostendisset, quid esset 99 ellipsis, et quousque usus eius pateret. Quod ille si fecisset, non modo longe facilius superiorum errores potuisset aperire, sed ipse etiam sibi cavisset, ne, quod interdum ab eo est factum, aut nullam esse contenderet ellipsin, quae vere ellipsis est, aut eam, quae nulla est, admittendam censeret. Eodem modo res acta est in pleonasmo. Quod optaverat Wyttenbachius p. 415 ad Eclogas historicas, ut hos quoque, quemadmodum Bosius ellipses, aliquis pertractaret, id facere tandem conatus est Beni. Weiskius, vir subtilis iudicii, edito libro de Graecae linguae pleonasmis. Hic vero quum latissime patere nomen pleonasmi animadvertisset, callide eam posuit definitionem, quae hos tantum, qui iniuria pleonasmi haberentur, comprehende-

ret; quo factum est, ut hos, qui vere sunt pleonasmi, praeteriret. Ita singulari profecto casu accidit, ut Lamberti Bosii liber de ellipsi maximam partem sit pleonasmus, Weiskii de pleonasmo ellipsis.

Quae quum ita sint, tantum abest, ut, naturam ellipseos ac pleonasmi explicare aggredientes, actum acturi simus, ut magis id facere instituamus, quod quum ante omnia fieri debuisset, nondum est a quoquam factum. 100 Parum est enim dicere, quod quisque videt, ellipsin esse omissionem verbi necessarii, pleonasmum adiectionem verbi non necessarii. Nam quid est in hoc genere necessarium? aut quo id modulo metiendum est? et quae ratio est, si quod verbum nunc additum nunc omissum reperitur, ex qua colligi possit, utrum additum abundet, omissum desideretur, an nec, si adsit, superfluum, nec, si absit, intelligendum videatur? denique qui finis est, quo ista pleonasmi atque ellipseos licentia terminetur, ne pleonastica habeatur oratio, si quis omnia bis terve dicat, elliptica, si omnia omittens prorsus taceat? Nimirum ab usu atque experientia, quod hactenus factum est, haec repeti nequeunt, quia usus, quid fiat, docet, non quid debeat fieri, aut fieri non possit: sed in illud est inquirendum, in quo natura posita est omnis orationis, quod solum, quia aeternum est et immutabile, certas firmasque potest orationis leges continere. Servabimus autem nos quidem vulgares istas definitiones, quas modo commemoravimus. Nam sunt illae quidem verae, sed, nisi iusta explicatio accedat, eaedem, id quod factum est, plurimos gignant et maximos errores necesse est. Qui ellipsin atque pleonasmum in omissione verbi necessarii et adiectione non necessarii ponunt, necessarium fere solent id 101 vocare, quod ad integritatem orationis requiritur. At haec ipsa orationis integritas nisi accuratius definiatur, nihil habet, quo quis recte uti possit. Nam et brevis integra est oratio, et copiosa, nec magis, qui brevitati in dicendo studet, quidquam omittit, quam superflua adiungit, qui copiae. Quod si quis integram orationem vocandam censeret eam, quae pro consilio eius, qui loque-

retur aut scriberet, nunc concisior esset, nunc explicatior, is pleonasmum cum copia, ellipsin cum brevitate confunderet. Ac multi hunc errorem admiserunt, maxime in pleonasmo, quum abundare crederent, quae in iisdem dicendi formulis aliis in locis omissa essent, non reputantes, e contrario, ubi ista posita sunt ab antiquis scriptoribus, desideratum iri, si non essent posita; ubi autem omissa, omissa fuisse propterea, quod ibi posita superflua fuissent. Nec raro idem error circa ellipsin invenitur, non animadvertentibus, qui de his scripserunt, in breviore dicendi modo nihil esse supplendum, quia in ampliore, ut prorsus diverso, nihil est, quod omitti possit. Clarum vero est, quum de ellipsi et pleonasmo quaeritur, integritatem orationis non posse aliam intelligi, quam grammaticam, quae in eo est posita, ut omnia dicantur, quae quis cogitari velit. Itaque si recte definire volumus, ellipsis est omissio vocabuli, quod etsi non dictum, cogitatur tamen; pleonasmus autem adiectio vocabuli, quod 102 etsi additum, tamen non cogitatur. Sed ne hae quidem definitiones quidquam utilitatis habent, nisi ostendatur, quale sit hoc, aut possit esse, quod non dictum cogitari, aut dictum non cogitari queat.

II. Quid non sit ellipsis.

Ordiamur ab ellipsi. Atque ante omnia cavendum est, ne ellipsis confundatur cum duobus aliis dicendi modis, quorum in altero id omittitur, quod e praecedentibus vel sequentibus verbis intelligendum est, in altero propter varias caussas aliquid inchoatum abrumpitur, quae figura aposiopesis vocatur. Prioris generis exempla haec sunto:

ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς,
ὅσονπερ εὖ ποτ᾽.

ubi quum manifesto intelligatur *ἔπρασσες*, non est ea tamen vera ellipsis putanda, quia praecessit verbum *πράσ-*

σεις. Nec vera ellipsis est in talibus locis, ut in hoc Aeschyli, Agam. 1393.

> *παίω δέ νιν δίς· κἀν δυοῖν οἰμώγμασιν*
> *μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι*
> *τρίτην ἐπενδίδωμι.*

Latet enim nomen *πληγὴν* in verbo *παίω*. Et ubi sequitur verbum, ut in eadem Aeschyli fabula v. 579.

103 *τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν,*
τὸν ζῶντα δ' ἀλγεῖν χρὴ τύχης παλιγκότου;

quem locum propterea attuli, quod Lamberti Bosii error in novissima editione non est notatus. Nam priore tantum versu allato p. 661. ellipsin fingit, quae addito altero versu nulla est. Par error est Ferd. Stoschii p. 25. in v. *ἄκοιτις*. Alter modus multiplex est, quum nunc animi quodam motu cohibiti aliquid reticeamus, ut apud Homerum:

> *εἴποτε δ' αὖτε*
> *χρειὼ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι*
> *τοῖς ἄλλοις· —*

nunc vereamur aliquid ut impium aut male ominatum dicere, ut in Aeschyli Agamemnone v. 505.

> *ὃς οὔτ' ἄναυδος, οὔτε σοι δαίων φλόγα*
> *ὕλης ὀρείας, σημανεῖ καπνῷ πυρός,*
> *ἀλλ' ἢ τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάξει λέγων, —*
> *τὸν ἀντίον δὲ τοῖσδ' ἀποστέργω λόγον.*

nunc denique alterum, quae omittimus, ipsum addere velimus, ut apud Aristophanem in Ranis:

> *ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ', — Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι.*

quod genus in primis frequens est in proverbiis: unde in libro isto de ellipsi haud raro inter ellipses commemorari videas, quae, ut aposiopesis, omitti debebant, ut in v. *βινεῖν, διδάσκειν, ἐπάγεσθαι, καταισχύνειν, λακτίζειν, πέμπειν.* Nihil horum recte ad ellipsin referetur.

104 Nam illud genus, in quo e praecedentibus vel sequentibus verbis aliquid intelligendum est, eo ab ellipsi differt,

quod in vera ellipsi id, quod intelligi debet, nusquam dicitur: aposiopesis autem eo quidem cum ellipsi convenit, quod in utraque aliquid prorsus omittitur, sed diversa est ab ellipsi eo, quod in ellipsi aliquid ob rationem grammaticam, in aposiopesi ob rhetoricam rationem abest. Dicimus vero grammaticam rationem, qua aliquid sic ad sententiam deest, ut oratio ad usum linguae integra habeatur; rhetoricam autem, qua sic, ut ne ad grammaticum quidem usum oratio integra sit. Hinc intelligitur, aposiopesin, ubi usu omissio sic probata fuerit, ut ad grammaticas leges nihil desiderari existimetur, in ellipsin verti, veluti in formula εἰ δ' ἄγε, in qua explicanda nollem Schaeferus, quod toties eum fecisse dolemus, lectores veram rei rationem doceri cupidos destituisset; nollem etiam Heynium reprehendisset, verissime de hac formula iudicantem.

III. Quid per ellipsin omitti possit.

Quod si ellipseos propria est ratio grammatica, quae posita est in eo, ut oratio, etiamsi aliquid omissum sit, integra esse censeatur, quia id, quod omissum est, necessario tamen intelligi debeat, ut quo non intellecto sententia nulla futura sit: videndum est, quid hoc sit, quod 105 in quaque sententia neque ita sit necessarium, ut non possit omitti, neque ita superfluum, ut omissum non desideretur. In tali caussa qui statim ad usum et consuetudinem confugiunt, non vident, etiam usum quibusdam adstrictum esse legibus: quas ille quum violare nequeat, liber est tamen in his, quae per illas leges licita sunt. Hoc dico, quum quaedam sint, in quibus ellipsis non possit esse, in his tamen, in quibus admitti potest, alias ellipses usu probatas reperiri, alias repudiatas. Nos quidem non de his, quae non receptae sunt, hic dicendum putamus, sed de illis, quas nullus potuit usus adsciscere.

Vis omnis et copia orationis in eo expromitur, ut enunciationes formentur, quas alio nomine sententias appellamus. Harum valde simplex natura est. Constant

enim omnes, ut logicorum appellationibus utamur, e subiecto, et praedicato, et copula. Esse enim debet et de quo quid dicatur, et quod de eo dicatur, et denique etiam dici re vera aliquid de aliquo necesse est. Iam si quaerimus, quid horum possit omitti, prima se offert copula. Posito enim et de quo quid praedicetur, et quod de illo praedicetur, id, quod reliquum est, praedicari alterum vere de altero, sponte intelligitur. Continetur 106 autem copula verbo eo, quod et omnium verborum maxime necessarium est, et in omni alio verbo latet, quia, si verum dicere volumus, solum est verbum, id est verbo, quo *esse* significatur. Quare haec usitatissima omnium ellipsis est, qua hoc verbum omittitur.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Deinde etiam subiectum omitti potest, sed, ut sponte intelligitur, non aliter, quam quum de eo sermo est, quod aut ubique possit et in omni sententia subiectum esse, aut in certa quadam re necessarium sit subiectum. Aliter enim non posset cognosci, de quonam subiecto sermo esset. Hoc, quod ubique subiectum esse potest, est pronomen *τίς*:

ἄνδρα δ᾽ ὠφελεῖν ἀφ᾽ ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνων.
ὡς ἐπ᾽ ἐξόδῳ κλύω
τῶν ἔνδοθεν χωροῦντος.

Illud, quod in certa re necessarium est subiectum, ex illa re, quid sit, cognosci debet, ut quum *ὕει* vel *βροντᾷ* dicitur, quod de Iove est intelligendum. Commemoravi eiusmodi exempla, in quibus oratio omni subiecto caret. Sed est etiam alia quaedam ratio, qua subiectum non totum sed ex parte omittitur, ut in huiuscemodi exemplis, *ὁ τὴν κιθάραν, ἡ αὔριον, τὸ ἐμβατήριον*: quorum similis est ratio, ut illorum, in quibus subiectum necessarium omittitur. Nam quia posita descriptione, qualis est *τὴν* 107 *κιθάραν, αὔριον, ἐμβατήριον,* vix potest aliud quidquam ad explendam sententiam desiderari, quam *ἔχων, ἡμέρα, μέλος,* haec omnia, ut quae nemo non esset

mente substituturus, omitti coeperunt. Sed cavendum est in hac re magnopere, ne quis, quod multi fecerunt, ibi quoque de ellipsi cogitet, ubi ellipsis nulla est. Certi enim in hoc genere, minimeque dubii sunt fines ellipseos, si quis recte animum advertat. Ellipsis est, ubicumque in his, quae describendae rei caussa posita sunt, necessaria descriptionis pars deest. Deesse autem talem descriptionis partem nunc res ipsa arguit, ut in hoc, *τὸ ἐμβατήριον*, quia hoc cognito nondum constat, quae res ita describatur; nunc grammatica ratio ostendit, ut in his *ὁ τὴν κιθάραν, ἡ αὔριον*, quorum in priore exemplo desideratur nomen, quod casum, qui hic positus est, regat; in altero, quum femininum, non neutrum genus adhibitum sit, certum intelligi substantivum, idque generis feminini, apparet. Caeterum hoc quoque clarum est, hanc necessariam descriptionis partem, in cuius omissione ellipsis versatur, non posse aliam esse, quam ipsum subiectum. Nam quia subiectum intelligi per se et cogitari potest, nemo, commemorato subiecto, desiderabit praedicatum: contra praedicato posito, quia praedicatum non potest per se intelligi, necessario desideramus subiectum. Non est ergo ellipsis, ubi id nomen, in quo est rei descriptio, licet formam ha- 108 beat adiectivi, id est praedicati, re tamen pro subiecto, id est instar substantivi, habetur, sive ex usu, ut in his, *ὁ ἐρώμενος, ἡ ἐρωμένη*, sive ex rei natura, ut *ὁ δίκαιος, τὸ καλόν*. Nam in his plane nihil intelligitur, praeter id ipsum, quod his verbis continetur, in quibus genus personae satis ipsa nominum forma indicatur. Frequentissima haec ratio est, in genere neutro, in quo qui ubique *μέρος, πρᾶγμα, χρῆμα* intelligunt, non minus inepti sunt, quam qui *γαμεῖν* et *γαμεῖσθαι* per ellipsin dici putant pro *γαμεῖν γυναῖκα, γαμεῖσθαι ἀνδρί*. Et hi qua tandem ellipsi talia explicabunt, ut *τὸ εὖ, τὸ χαίρειν*? Immo genus neutrum in Graeca lingua, ut in aliis linguis omnibus, rei indicandae inservit, quam aut nolumus, aut non possumus clarius describere. Quod si interdum *μέρος, πρᾶγμα, χρῆμα* addita reperiuntur, id non est argumento, ubi haec nomina absint, omissa esse, sed magis osten-

dit, alias prorsus esse locutiones, ubi iis additis res certius describitur, alias, ubi non positis minus definita est oratio. Nam haud raro ne potest quidem aut horum nominum intelligi ullum, aut aliud, veluti in hoc, τὸ σῶφρον, quod est ὅ τι σῶφρόν ἐστιν.

Dictum est de copula et subiecto. Accedimus nunc 109 ad praedicatum. Hoc vero per ellipsin omitti nullo pacto potest. Nam quum omnis sententia hunc finem habeat, ut praedicetur aliquid de aliqua re, apertum est, eam nullam prorsus futuram esse sententiam, qua de aliqua re nihil praedicaretur. Itaque in tanta multitudine nominum, quae per ellipsin aut vere omittuntur, aut omitti posse multis visa sunt, mirum est tamen, quam pauca adiectiva vel ab his, qui ubique ellipsin commenti sunt, in hunc numerum referri potuerint. Quorum adiectivorum non est nisi unum, in quo agnoscenda esset ellipsis, nisi hoc quoque non ab ipsis scriptoribus, sed ab librariis omissum esset, ἁπαλὸν dico in formula ἐξ ὀνύχων, quam formulam res ipsa docet absurdam esse, nisi disertim adiectivum addatur. Quod si haec vera sunt, sponte intelligitur, non modo adiectivi vel quaecumque nomina praedicati officio funguntur, sed ne adverbii quidem, aut praepositionis, aut coniunctionis ellipsin esse ullam. Etenim quid aliud sunt, quae particulae vocantur, quam voculae, quibus praedicata quaedam et rerum inter se cogitationumque variae rationes significentur? Sed in hac re, si in ulla alia, plerosque omnes mihi adversarios fore video, quum nulla usitatior esse, quam particularum, maximeque praepositionum ellipsis credatur. His vero respondebitur, posteaquam inceptum semel cursum istuc deduxerimus.

110 Reliquum est aliud genus ellipseos, quod non in una harum partium, ex quibus quaeque enunciatio constat, sed in omissione plurium positum est. Cuius rei simile quid Lambertus quoque Bosius commemoravit, quamquam non maiore cum iudicio, quam cum quo totus iste liber compositus est. Quum enim Bosius non potestatem, sed formas verborum spectaret, ubi nominum, verborum, par-

ticularum ellipses enumeraverat, addidit etiam ellipses quasdam plurium verborum. Atqui hoc temere esse et sine certo consilio factum, ex eo intelligitur, quod nunc in pluribus verbis una tantum notio inest, nunc uno verbo plures notiones, ac saepe integra aliqua sententia continetur. Quare nos, posteaquam de omissione singularum partium, ex quibus quaeque sententia composita est, diximus, nunc etiam de omissione plurium ex his partibus quaerendum existimamus. Est autem hoc genus duplex. Nam partes istae quum sint numero tres, aut duae tantum omittuntur, aut omnes.

Ac duae quum omittuntur, has videmus praedicatum et copulam esse, quae eadem est, quam verbi ellipsin vulgo vocant. Omne enim verbum, praeter verbum *esse*, nisi ubi id *exstare* significat, ex praedicato et copula compositum est. At, inquiet aliquis, si praedicati nulla est ellipsis, multo minus praedicatum simul cum copula omitti 111 poterit. Enimvero nisi singularis quaedam ratio accederet, verissime hoc obiiceretur. Verum istae verborum ellipses omnes in uno genere versantur, quod eiusmodi est, ut praedicati omissio idoneam defensionem inveniat. Neque enim universum praedicatum, sed pars eius talis omittitur, quae qualis sit, ex ea parte, quae commemoratur, facile intelligi possit. Vtar primo Latina locutione, *quid hoc ad me:* in qua *hoc* subiectum est, praedicati pars *quid ad me;* iam quod intelligitur, *attinet*, in eo et copula invenitur, *est*, et reliqua pars praedicati, *attinens*, quae quum per se nihil sit, satis clarum est, eam intelligi, altera parte posita, *aliquid ad me.* Graeci eadem locutione utuntur, sed simplicius: qui quum dicunt, *τί τοῦτο πρὸς ἐμέ;* intelligi quidem posset *προσήκει*, sed quum iidem simpliciter *τὸ πρός τι* de eo, quo aliquid spectat, dicere soleant, consentaneum est, solam intelligere copulam, ut quum dicunt *τί ἐμοὶ τοῦτ᾽ ἐστίν;* Eadem ratio, quam in Latino isto exemplo demonstravimus, in aliis obtinet formulis etiam apud Graecos. Ita quum dicunt *ἑνὶ λόγῳ*, quod plene dicendum esset *ἑνὶ λόγῳ εἰπεῖν.* In qua locutione ne quis putet etiam subiectum per ellipsin

omitti, hanc omissionem moneo ex illo genere esse, quod supra ab ellipsi seclusimus, quia e praegressis vel sequen-
112 tibus verbis τοῦτο intelligitur. Sed contradicit in hac formula nobis Schaeferus, non magis in Graecis verbis *ἑνὶ λόγῳ*, quam in Germanicis *mit einem Worte*, ellipsin esse contendens. Quod quo argumento dixerit vir doctissimus, equidem non assequor. Nimirum nulla est ellipsis, quum Graece dicimus, *τοῦτ' ἐστὶν ἑνὶ λόγῳ ἁμαρτάνειν*, quod iisdem verbis Germani dicunt, sed qui dicit, sive Graeco utatur, sive Germanico sermone, *οὗτος ἑνὶ λόγῳ ἁμαρτάνει*, is si plene loqui existimandus esset, profecto non diceret, *hic nihil aliud quam errat*, sed, *hic uno in dicto vel verbo errat*. Huius generis aliae multae sunt ellipses, ut quae sunt in exsecrationibus, *ἐς κόρακας*, *ἐς φθόρον*, *εἰς ὄλεθρον*, verbo omisso; aut in precibus, *μὴ πρός σε γονάτων*, quod in primis perspicuum est exemplum: nam quis intellecturus esset, si quis in eamdem sententiam diceret, *μή σε* non additis *πρὸς γονάτων*, id est ea parte praedicati, ex qua altera pars, *ἱκετεύων*, una cum copula *εἰμὶ* sponte intelligeretur? Vnum addam. Hoc genus ellipseos qui, ut vulgo solitum est, iis verbis explendum censent, quae in quibusdam locis addita reperiuntur, multum videntur ab recta ratione aberrare. Vt qui propterea, quod apud Homerum est, *χρειὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτός*, in his *οὔτι με ταύτης χρεὼ τιμῆς*, intelligen-
113 dum putant *ἱκάνεται*. Nam sicut ubique, ita hic quoque ea verior est ratio, quae omnium maxime simplex est. Quare rectius *ἔχει* intelliges.

Venio ad ea exempla, in quibus omnes simul enunciationis partes, id est integra sententia, omittuntur. Atque ex illis, quae supra universe de ellipsi dicta sunt, sponte intelligitur, non posse de eiusmodi sententia sermonem esse, quae sola per se constet, quod huius omissio ad brevitatem in dicendo pertinet, sed necessario talem intelligi quae cum aliorum constructione verborum cohaereat. Est enim ellipsis oratio non integra, quae usu integra habetur. Sic plena oratione dicitur, *μὴ δρᾶ τάδε*,

elliptica, μὴ δράσῃς τάδε, quod clarius est etiam, ubi ὅπως adiicitur: ὅπως δὲ μηδὲν εἴπῃς μηδενί. Intelligitur enim in his ὅρα, quo verbo haec tria continentur omnia, quibus ad integram sententiam opus est, σὺ ὁρῶν ἴσθι. Quamquam non repugnem, si quis mavult intelligi, λέγω σε ὁρᾷν. Nam fere totum hoc genus ellipseos in huiusmodi sententiis versatur, quibus nos velle aliquid, vel cupere, vel desiderare, vel probare significamus: veluti εἰ γένοιτο· ἀλλ᾽ εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί. Cuiusmodi formulas is demum, meo iudicio, recte explicabit, qui non certum quoddam verbum, sed universe sententiam, qualis requiritur, censebit intelligendam esse. Obscure enim talia cogitari solent, et, quum clare enun- 114 ciantur, inter plures formulas libera optio est.

IV. De ellipsi nominis.

Iam posteaquam universe de ellipsi expositum est, accommodabimus disputationem nostram ad ea, quae Bosius iique scripserunt, qui librum Bosianum additamentis auxere. Quorum commenta faciunt, ne satis esse videatur naturam ellipseos in universum declarasse, nisi etiam fontes indicentur errorum, quos ille venandarum ellipsium furor progenuit. Ac quum tres sint Bosiani libri partes, quarum prima de nominis, secunda de verbi, tertia de particularum ellipsi est, nemo qui accuratiore imbutus sit Graecae linguae cognitione, non intelliget, plerasque ellipses, quae quidem hoc nomine dignae sint, in secunda parte inveniri, quae est de verbo; in prima autem parte nominum ellipses plerasque omnes, quippe ad trecentas, incredibili inscitia temere fictas esse; in tertia denique parte, quae est de particulis, ellipsin, si vera sunt, quae supra disputavimus, non reperiri ullam.

Dicatur primo de ellipsi nominis. Et quum supra ostensum sit, praedicati nullam ellipsin esse, apertum est, quae sint nominum ellipses, eas in hisce tantum nominibus versari, quae sive substantiva, sive adiectiva, sive par- 115 ticipia sint, subiecti instar, id est pro substantivis, habean-

tur. Quorum omnino, quemadmodum indicavimus, duplex ratio est. Nam aut totum deest subiecti nomen, quum non potest dubium esse, de qua re sermo sit, aut pars omittitur subiecti, ubi ex ea parte, quae posita est, altera sponte intelligitur. In priore quidem genere, in quo totum abest subiectum, nihil difficultatis est. Quamquam fuerunt, qui ne hic quidem ab errore sibi caverent, ut qui *εἴδωλον* intelligendum censuit in hoc Hesiodi loco:

> *αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσεν κλυτὸς Ἀμφιγυήεις*
> *παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον·*

ubi nemo sanus aliud quam *τὶ* intelligi volet. Alterum vero genus, quod aliquanto impeditius est, plurimas fecit fraudes iis, qui nimio ellipsium studio ferebantur. Quorum quidam errores plane pudendi sunt, ut quum inter ellipses diversitatem appellationum retulerunt, ad *ἄστυ* intelligentes *Ἀθῆναι*, ad *τὼ θεώ*, *Διοσκοῦροι* vel *Δημήτηρ καὶ κόρη*, ad *θεὰ* vel *Μοῦσα*, *Καλλιόπη*. Nec magis ad ellipses pertinet, quum verbum intelligitur ante aut postea positum, ut *πολλὴ τῆς χώρας*, quo quidem Schaeferus non debebat p. 274. hoc Sophocleum referre, *προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους*, quia poetae non hac forma, sed neutro genere utuntur, ut Euripides in Oreste v. 441.

116 *ὦ μέλεος, ἥκεις ξυμφορᾶς εἰς τοὔσχατον.*

Caeteri errores in fingenda nominis ellipsi, qui aliquam apud imperitos verisimilitudinis speciem habere possunt, e diversissimis fontibus manarunt.

Ac primum saepe ellipsin videmus ad auxilium vocatam esse, ubi nihil prorsus erat, quod desiderari posset. Id quum alibi factum est, tum p. 267., ubi ad *φρονεῖν* intelligunt *μέγα*, quod iure improbavit Schaeferus, qui vellem idem fecisset p. 138., ubi *τοῦ μηνός*, *τῆς ἡμέρας*, et similia sic dici existimantibus, ut *ἑκάστου* et *ἑκάστης* omissum sit, accedit. At Graeci hic non magis quidquam omittunt, quam qui prorsus eodem modo loquimur Germani, aut qui similiter certe loquuti sunt, Romani.

Aliquis enim mensis, aliquis dies exempli instar est, ad quod caeteri menses ac dies comparentur.

Alius, isque latissime patens falso inventarum ellipsium fons in eo positus est, quod saepe nomen substantivum, sed formam habens adiectivi, pro adiectivo habitum est. Ex quo genere multos errores iam Schaeferus notavit. Exempla qui desiderat, abunde, quod miretur, inveniet in his, quae de ellipsi nominum *ἀνὴρ* et *ἄνθρωπος* congesta sunt.

Non rarius peccatum est in eo, quod certum nomen intelligi debere visum est, ubi aut incertum, aut nullum esset intelligendum. Incertum dico, ut *τὶ* vel *τοῦτο*, quo 117 ne ipso quidem opus est in iis locis, in quibus quid significetur, statim adiectum est, ut in exemplo, quod p. 148. allatum est: *εἰςῄει αὐτούς, ὅπως ἂν καὶ ἔχοντές τι οἴκαδε ἀφίκωνται*: ubi si aliquid omissum est, non *ἔννοια*, sed *τοῦτο* debet intelligi; aut in Sophoclis Electra v. 495.

> *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει,*
> *μήποτε, μήποθ' ἡμῖν*
> *ἀψεγὲς πελᾶν τέρας*
> *τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν·*

ubi minime, ut scholiastis visum, *ἐλπὶς* vel *θάρσος* intelligitur, sed aut *τοῦτο* satis est, aut, quod etiam verius videtur, iis, quae sequuntur, teneri se dicit chorus. Illarum vero locutionum, in quibus apertissime nullum nomen omissum est, largissimam copiam inter ellipticas videmus relatas esse, praesertim ubi nomen generis neutrius intelligi volunt. Talia quidem, qualia sunt *ὁ δίκαιος*, *οἱ μαθηματικοί*, sine ulla ellipsi dicta esse, neminem latebit, qui reputaverit, alterum horum nominum hoc denotare, *ὅστις δίκαιός ἐστιν*, alterum autem usu in substantivum vertisse. Eadem vero in neutris ratio est, non omnibus, sed plerisque. In qua re subacto opus est iudicio. Nam ubi nihil caussae est, quare certum nomen intelligas, satius est intelligere nihil, ut in hoc, *πολλὰ λοιδορεῖσθαι, παῦρα λέγειν*: quia in his non verba, sed 118 universe, quod multum aut parum est, spectatur: unde

etiam per adverbium talia proferri possunt, quemadmodum Homerus utrumque iunxit:

παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως.

Sed quum certum quid designari res ipsa postulat, ne fugienda quidem ellipsis est. Exemplo utar valde perspicuo. *Τὰ δεξιά, τὰ ἀριστερὰ* saepe sine ellipsi dicuntur, quum significatur, quidquid dextrum aut sinistrum est: sed in re militari *τὸ δεξιὸν* et *τὸ ἀριστερὸν* cum ellipsi dicitur, quod hac in re nihil aliud quam *κέρας* significari potest. Eodem modo masculini, et maxime feminini generis adiectiva ellipsin plerumque efflagitant. Nam ubicumque per hanc circumscriptionem, *ὅστις τοιοῦτός ἐστιν, ἥτις τοιαύτη ἐστίν,* explicari nequeunt, ibi, ipso genere nominis indicante, certum vocabulum intelligi necesse est. Quare satis mirari nequeo, quod Schaeferus Musgravii miram opinionem, quam p. **43.** affert, talia, ut *δι' ὀρθῆς, ἐξ ἰθείας,* sine ellipsi per enallagen generis dici existimantis, probare non dubitaverit, quod ille facit saepius, ut p. **67. 216. 392. 430. 500. 511. 534. 571.**

Denique nescio an nullam ob caussam plures excogitatae ellipses fuerint, quam quod loquendi rationes quaedam, quae propriae sunt Graecae linguae, a multis non fuerunt intellectae.

119 In his primam posuerim eam, quae attractio a quibusdam vocatur. Nam quis exempli caussa *οὗτος* ante *ὅς, τοῖος* ante *οἷος, τοσοῦτον* ante *ὅσον,* et quae sunt similia, omissa censebit, qui reputaverit, etiam sic loqui Graecos,

οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὧν οὔ σοι φίλον.

Neque ulla pronominis ellipsis est in talibus locis,

τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν,

ubi qui *αὐτὴν* omissum putaret, non rectius faceret, quam si quis in his versibus,

αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἥβης ἐρικυδέος ἵκετο μέτρον,
αὐτοῦ μιν κατέρυκε, δίδου δ' ὅγε θυγατέρα ἥν,

ellipsin fingeret pronominum ἐκεῖνος et οὗτος et οἷ. Eodem modo praepositiones omnes ubi abverbiorum loco sunt, aperte repudiant ellipsin.

Diversus ab hoc genere alius est falsarum ellipsium fons, quamquam ille valde speciosus: hunc dico, qui est in articuli usu nunc cum genitivo, intellectis, ut putatur, nominibus ἀδελφός, ἀνήρ, γυνή, διδάσκαλος, δοῦλος, θυγατήρ, μαθητής, μήτηρ, οἰκεῖος, πατήρ, στρατηγός, υἱός, item verbo ἀνάκειμαι; nunc cum praepositione, qualia sunt τὰ πρὸς πόλεμον, τὸ εἰς ἐμέ, τὸ κατά τινα, ὁ παρά τινος, ὁ ἐπί τινος, ὁ ὑπό τινα, οἱ ἔκ τινος, v. p. 32. 277. 379. 467. 519. nunc cum adverbio, ut ὁ πάνυ, οἱ ἔνδον, οἱ ἄνω: in quibus exemplis omnibus vereor, ne, quae existimatur ellipsis esse, nulla sit. Et- 120 enim quod ad genitivum attinet, is casus quum etiam solus per se rem significet, cuius aliud quid accessorium est, quid impedit, quominus omnia ista exempla sic interpretemur, ut ellipsi carere possimus? Ac ne id meo magis arbitrio, quam idoneis argumentis fretus dicere videar, locupletissimo utar et antiquissimo auctore, Homero: a cuius sermone quum istiusmodi nominum ellipsis prorsus aliena sit, non ille tamen dubitavit dicere Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας, quod non magis elliptice dictum est, quam illud Virgilii,

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?

aut haec Sophoclis in Aiace v. 172.

ἦ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις,

et v. 401.

ἀλλά μ' ἁ Διὸς
ἀλκίμα θεός.

In his enim locis Aiax et Andromacha et Diana et Minerva non secus Oilei et Hectoris et Iovis esse dicuntur, quam quaecumque alia res dici potuit, quae horum propria esset. Nec puto fore, qui aliam contendant illorum esse locorum rationem, in quibus additur articulus. Nihil enim mutat articulus, qui cum initio his quoque in formulis pronomen

esset, perinde erat, nomen ipsum, an pronomen poneretur. 121 *Ἀλέξανδρος Φιλίππου* est *Alexander Philippi, non alius cuiuspiam. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου* quum dicitur, primo simpliciter nominatur Alexander, deinde, ut ab aliis distinguatur, adiicitur, *ille Philippi*, quod num est aliud, quam si repetito nomine dicatur, *Ἀλέξανδρος, Ἀλέξανδρος Φιλίππου?*

Eiusdem generis esse etiam reliqua puto, quae supra commemoravi, sive articulus cum praepositione iungatur, ut *τὰ πρὸς πόλεμον, οἱ ἀμφὶ Πλάτωνα,* sive cum adverbio, ut *οἱ ἔνδον, ὁ πάνυ.* Nam in his quoque locutionibus articulus initio pronomen fuit, quo quum aliquid demonstraretur, explicatio addi coepta est quam fieri posset brevissime, v. c. *οἵ, ἀμφὶ Πλάτωνα· οἵ, ἔνδον. isti, nempe circa Platonem: hi, nempe intus.* Et confirmat hanc explicationem lingua Germanica, cuius tanta est cum Graeco sermone et cognatio et similitudo, ut par utilitas ex earum comparatione ad utriusque explanationem redundet. Nos igitur nulla prorsus cum ellipsi dicimus, *die mit dem Plato, die von der bürgerschaft, die im hause, der im himmel, die am meere, die hinter dem berge, die drinnen, die oben:* quin etiam, quod pariter faciunt Graeci, cum substantivo: *der herr im hause, das volk in der stadt, der mann mit der lanze, die sonne am himmel, die fische im wasser, die saat auf dem felde.*

122 Obiter hic illorum notabimus errorem, qui in hoc, *ὁ πάνυ*, ellipsin comminiscuntur. Ac Bosius quum *περιβόητος* intelligendum putaret, Schaeferus rectius a Zeunio *περίβλεπτος* vel *ἔνδοξος* substitui dicens, non tamen repugnaturum se indicat, si quis nihil prorsus subaudiendum existimet. Id vellem confidentius dixisset, quandoquidem locutio ista non aliter usurpatur, quam ut *πάνυ* ad ipsum illud nomen, cui additum est, spectet. Etenim *ὁ πάνυ Περικλῆς* est is, qui re vera ac plane Pericles est, id est, genuinus Pericles, non spurius quispiam, eoque nomine indignus. Ex quo apertum est, ne posse quidem hic adiectivum intelligi.

Attingamus nunc alium, eumque uberrimum fontem

temere fictarum ellipsium, ad quem etiam infra non semel redeundum nobis erit, confusionem dico duarum locutionum. Cuius quum in omnibus linguis non pauca exempla inveniuntur, tum in Graeca lingua haec ratio tam late diffusa est, ut magis ubi non appareat, quam ubi appareat, quaerendum videatur. Nec mirum, Graecos in tanta ingenii mobilitate ac celeritate ab una notione ad aliam transsilire, et sic diversissima in brevius cogere solitos fuisse. Quo magis, antequam ad ellipsin aliquis confugiat, videndum est, ne duarum locutionum confusione, quae iusto brevius dicta videantur, commode explicari possint. Sic *ἥδεσθαί τι, ἀλγεῖν τι,* et quae sunt similia, 123 de quibus apud Bosium est p. **25**. et **199**., recte quidem Schaeferus ellipsi carere dicit, sed obscurum tamen maneat necesse est, quomodo accusativus cum his verbis construi possit, nisi memineris, eum e talibus verbis, ut *στέργειν* et *ἀποστέργειν* pendere, pro quibus illa, *ἥδεσθαι* et *ἀλγεῖν,* ut re ipsa eodem redeuntia, sed significatu fortiora, substituantur. Simillima ratio est huius, *κατέχειν τινός,* quod pariter Schaeferus p. **44**. e numero ellipsium recte eximit, sed non explicuit tamen. Non rectius hoc, si propriam verbi constructionem spectes, dicitur, quam *κρατεῖν τινός*: sed et illud est *κράτος τινὸς ἔχειν,* et hoc *κάτοχόν τινος εἶναι.* Vellem Schaeferus etiam p. **392**. et **443**. non satis habuisset, *τρύχεσθαι τινός* et *στεφανοῦν πίτυος,* vel quae similia sunt, Graecae linguae proprias constructiones appellare. Nam quid aliud etiam ellipses sunt? Immo id requirebatur, ut declararetur, quam rationem hae constructiones haberent, quo tirones non tam eas ediscerent, quam intelligerent. Est vero hic quoque illa duarum locutionum commutatio adhibenda, quum *τρύχεσθαι, καίεσθαι, ἀλῶναί τινός, στεφανοῦν πίτυος*, inde dicantur, quod pro hisce verbis mens substituit alia verba, veluti *πόθον, ἔρωτα ἔχειν τινός, στέφανον ἐπιτιθέναι πίτυος.* Minus etiam satisfacit Schaeferus p. **122**., ubi verba *ἢ ποδῶν ἔχει*, de qui- 124 bus miras alii coniecturas protulerant, sic explicat, ut nondum tamen, unde genitivus venerit, clarum esse vi-

deatur. Atqui re vera res ita cogitatur: *οἵαν ποιότητα ποδῶν ἔχει*: ut quum Latini dicunt, *ubi gentium*, *eo temeritatis*: quod quid est aliud quam *quo in loco gentium, ad quem gradum temeritatis?* Sic nos quoque: *woher des landes?* Non est tamen sic intelligendus Euripides in Electra v. 1294.

Ἀχαΐδος γῆς οἴκαδ' εἰςπορευέτω,

sed ibi *Ἀχαΐδος γῆς* pertinet ad *εἰςπορευέτω*, quod est *πορευέτω εἴσω Ἀχαΐδος γῆς, οἴκαδε.* Vide quae Schwebelius attulit p. 760. Illud vero maxime omnium miror, quod quum tot falsas ellipses expulerit Schaeferus, ipse tamen participium *λέγων* p. 246. intelligendum censuerit, ubi nulla prorsus ellipsi opus est, si usitatissimam illam constructionis mutationem adhibeas. Sed nimirum Brunckii eum atque aliorum movit auctoritas, cui vereor ne vir modestissimus saepe nimium tribuat. Videamus locos, quos affert. Sophocles in Aiace v. 726.

εἶτ' ὀνείδεσιν
ἤρασσον ἔνθεν κἄνθεν, οὔτις ἔσθ' ὃς οὔ,
τὸν τοῦ μανέντος κἀπιβουλευτοῦ στρατοῦ
ξύναιμον ἀποκαλοῦντες, ὡς οὐκ ἀρκέσοι
τὸ μὴ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν.

125 Hic vero verba *ὡς οὐκ ἀρκέσοι* non cum praecedente participio *ἀποκαλοῦντες*, ut Schaeferus putasse videtur, sed cum verbis *ὀνείδεσιν ἤρασσον* iungenda sunt: quorum quum non alius sit sensus, quam *ὀνειδίζοντες ἔλεγον,* quid opus est ad ellipsin confugere? Non alia est Euripidei loci constructio:

ἀνῇξε δ' ὀρθὸς λαὸς εἰς ἔριν λόγων,
ἡμεῖς μέν, ὡς νικῶντα δεσπότην ἐμόν,
οἵ δ', ὡς ἐκεῖνον.

Nam quid aliud priore versu continetur, quam *ἐρίζοντες ἔλεγον?* quibus verbis cogitatione substitutis omnia integra sunt. Ei loco geminus est alius in eadem fabula, in quo ellipsin male adhibuerunt p. 633.

ἦν δ' ἔρις στρατηλάταις,
οἳ μέν, πατάξαι πρόσθε Πολυνείκην δορί,
οἳ δ', ὡς θανόντων οὐδαμοῦ νίκη πέλοι.

Denique Diodori verba, *ἔπεμψεν ἀγγελιαφόρον μὴ θορυβεῖσθαι αὐτόν*, nihil aliud significant, quam *δι' ἀγγελιαφόρου ἐκέλευσε*, quemadmodum saepissime *πέμπειν* et quae similia sunt, pro his dici solent, quae istiusmodi verbis comprehensa cogitantur. Rectius attulisset Schaeferus hunc Sophoclis locum, in Oed. R. 536.

φέρ' εἰπὲ πρὸς θεῶν, δειλίαν ἢ μωρίαν
ἰδών τιν' ἐν ἐμοί, ταῦτ' ἐβουλεύσω ποιεῖν;
ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωρίσοιμί σου τόδε
δόλῳ προςέρπον, κοὐκ ἀλεξοίμην μαθών;

Quamquam hic quoque verius *ὑπολαβὼν* vel *ἐλπίζων*, 126 quod Brunckius intelligendum dicit, in praegresso *ἰδὼν* latere iudicabis: quo non praegresso non poterat *ὡς οὐ γνωρίσοιμι* subiici. Finem non invenirem, si istam Graecorum consuetudinem, verba ad id magis, quod cogitatum, quam quod dictum erat, accommodandi, enumeratione formarum, in quibus hic usus invenitur, illustrare vellem. Satis nunc sit, duo diversi generis exempla attulisse. Sophocles in Trach. 259.

ἔρχεται πόλιν
τὴν Εὐρυτείαν· τόνδε γὰρ μεταίτιον
μόνον βροτῶν ἔφασκε τοῦδ' εἶναι πάθους.

Idem in Oedipo Rege v. 236.

τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς
τῆςδ', ἧς ἐγὼ κράτος τε καὶ θρόνους νέμω,
μήτ' εἰςδέχεσθαι, μήτε προςφωνεῖν τινά,
μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν·
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας.

Alia infra plurima se offerent.

Invenitur denique etiam aliud genus locutionum, quod eodem iure et ellipticum et non ellipticum dicere

possis, veluti νυκτός, χειμῶνος, νηνεμίης, atque omnino ubi genitivi, quos absolutos vocant, reperiuntur. In quo genere qui ellipsin repudiant, quod Schaeferus facit p. 374. 574. non habent, quo genitivi usum, qui satis mirus 127 est, explicent. Equidem existimo has locutiones omnes ex quadam constructionis mutatione ortas esse, quum abrupta prorsus priore constructione, reliqua per se sine nexu cum praecedentibus proferrentur. Sic, quod dicendum erat *θεοῦ θέλοντός ἐστιν, οὐδὲν ἰσχύειν φθόνον,* abrupta oratione, quae inchoata fuerat, brevius dicebatur, *θεοῦ θέλοντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος.* Qui modus loquendi sic deinde in usum venit, ut legitimus haberetur, neque quisquam, qui eo uteretur, se orationem abrupisse sentiret. Accedit, quod eadem plane caeterorum est absolutorum casuum ratio. Ex hoc igitur genere quaedam multo usu pene in adverbium mutata sunt, ut ista *ἡμέρας, νυκτός.* Quod in Germanica quoque lingua factum est, atque adeo contra leges grammaticas, ut in hoc, *des nachts*, quod quum femininum esse deberet, masculinum est, quoniam caetera huiusmodi adverbia e masculinis nominibus orta sunt.

Sed satis iam videtur dictum esse de fontibus, ex quibus falsae nominum ellipses promanarunt. Illud unum adiiciendum duxi, quod vix est credibile, interdum etiam huiusmodi ellipses, quae sano homini in mentem venire nequeant, a doctissimis viris excogitatas esse. Exemplo sit Brunckii adnotatio ad Euripidis Phoeniss. v. 333., quam Schaeferus p. 523. attulit. Verba poetae haec sunt: *ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι δακρυόεσσαν ἱεῖσα* 128 *πενθήρη κόμαν.* Vbi Brunckius, pronior ille alias ad emendandum, inauditam neque ullo pacto ferendam comminiscitur ellipsin nominis *φωνή.* Qui rectissime vidit, locum corruptum esse, Porsonus, reperisset etiam, quod sponte se offert, lenissimum remedium, nisi, quod toties accidisse dolemus, antistrophae eum latuissent. Scripserat Euripides:

ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι,
δακρυόεσσ' ἰὰν
ἱεῖσα πενθήρη, κόμαν.

V. De ellipsi verborum.

Ab nominum ellipsi ad ellipsin verborum accedimus, in quo genere, ut supra significavimus, multo rarius peccatum est. Sed quum hic quoque non unus errorum fons reperiatur, videamus quae in hoc genere potissima sunt.

Ac primo saepe viri docti non, uti decebat, illius verbi ellipsin adhibuerunt, quod ante alia simplex esset, sed remotius quiddam et exquisitius commenti sunt, quod ob id ipsum, quia nimis singulare est, ab ellipseos natura abhorret. Eiusmodi errorem notavit Schaeferus p. 599. in verbis *τί ἐμοὶ τοῦτο* intelligendum esse *ἐστὶ* monens. Aliud exemplum est p. 585., ubi cur ad haec, *ὡς εὐτυχῶς, ὅτι οὐκ ἐλήφθην,* aliquis *ἀπηλλάχθην,* quam *ἐγένετο* intelligi malit, nihil caussae est. Nam quod Schaeferus ad eum locum iudicat, in huiusmodi exclamationibus nihil subaudiendum esse, id vereor ut cuiquam probaturus sit, quandoquidem nullum adverbium, nisi verbum accedat, per se aliquem sensum praebet. Immo vix ulla mihi videtur manifestior esse ellipsis. 129

Aliae verborum ellipses excogitatae fuerunt, ubi duae locutiones confusae sunt, vel, quod propemodum idem est, ubi aliquid ad id, quod mente cogitatur, non ad id, quod verba per se significant, refertur. Cuiusmodi est, quod p. 612. commemoratum est:

ἐγὼ μὲν οὖν ἐς τὸ βαλανεῖον βούλομαι,

quod nos prorsus eodem modo dicimus, nihil supprimentes. Commutatio enim verborum est, quum *velle* dicimus pro *tendere.* Neque enim quidquam omissum est in hoc, *ἱέμενοι πολεμόνδε.* Sic etiam in hoc Homeri:

ἡνίοχος δ' ἵμασεν καλλίτριχας ἵππους
νῆας ἐπὶ γλαφυράς.

Nihil diversa est ratio Sophoclei loci in Antigona v. 857.

ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας,
πατρὸς τριπόλιστον οἶκτον
τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου πότμου
κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν.

In quo loco non satis perite Brunckius λέγω intelligit. Quod si cum Schaefero, recte quidem οἶκτον praeferente, 130 post πατρὸς interpungas, ut verba τριπόλιστον οἶκτον accusativi absoluti sint, non modo multum de poetica virtute huius loci peribit, sed illud etiam quaerendum relinquetur, quid sint accusativi absoluti. Quae appellatio vereor ne nihil sit, nisi perfugium, quod consectentur, qui quomodo rem expediant non inveniunt. Accedit in Sophoclis loco iactatum a Brunckio schema Colophonium, non dissimile inventum ut casus isti absoluti, quod schema hic quidem perineptum est. Nihil in toto loco difficultatis est. Ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας poeta dicit genitivo casu, in mente habens ἔλεξας: inde statim accusativum, qui ab hoc verbo regatur, infert. Reliqua sic iungenda sunt: *πατρὸς τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου γένους οἶκτον, τριπόλιστον κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν: patris et universi generis nostri complorationem, multum iterandam claris Labdacidis.* Nec magis quidquam supprimitur in illis exemplis, quae p. **652**. allata sunt, ut,

καί οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ,
ἤνις, ἠκέστας, ἱερευσέμεν, αἴκ' ἐλεήσῃ
ἄστυ τε καὶ Τρώων ἀλόχους καὶ νήπια τέκνα.

Nam si nihil omissum est, ubi πειρᾶσθαι isti αἴκεν iungitur, qui magis aliquid omissum censeatur, ubi pro verbo isto πειρᾶσθαι id ipsum ponitur, per quod quis aliquid efficere experitur? Multo minus probari poterit Brunc-131 kius, qui, ut p. **645**. observatum est, in hoc Euripidis dicto,

τὰ δ' ὑπερβάλλοντ'
οὐδένα καιρὸν δύναται θνητοῖς,

παρέχειν subaudiendum putat. Immo *δύναται*, ut saepissime, idem significat, quod *δυνατά ἐστιν*. Et quoniam recte dicitur *οὐδὲν δύνασθαι*, poeta pro *οὐδὲν καίριον δύναται* dixit *οὐδένα καιρὸν δύναται*. Vellem sane, Schaeferus huiusmodi observationes doctorum virorum non sic nudas attulisset, quo ne tirones et quicumque non

possunt ipsi iudicare, tacentem assentire rati, falsa pro veris probarent.

Sed antequam verborum ellipsin mittamus, de infinitivo iubentis vel orantis exponendum est, de quo est p. **600. 620. 636.** Quem infinitivum quum alii, tum Schaeferus p. **620.** ab antiquissimis sine ulla ellipsi nunc pro imperativo, nunc pro optativo usurpatum, eumque usum deinde mansisse putat. Quae res mihi quidem parum veri similis videtur. Nam etsi eamdem simplicitatem quotidie in puerorum sermone animadvertimus, nihil est ea tamen nisi infantia, neque illa loquentium, sed balbutientium puerorum. Quam cur in Graeco sermone, aliis in rebus omnibus cultissimo, servatam existimabimus? et repugnante quidem ipsa infinitivi natura, qui modus non per se constantis, sed aliunde pendentis est orationis. Quin etiam con- **132** structionis varietas, quae est in isto infinitivi usu, satis arguit, aliam eius originem esse. Nam ubi nomen infinitivo iunctum personae est, quam alloquimur, nominativus adhibetur:

θαρσῶν νῦν, Διόμηδες, ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι·

ubi autem alius personae est, accusativus:

νύμφαι πετραῖαι, πολλάκις με βουθυτεῖν.

Infinitivus igitur in istis locutionibus quid caussae est cur non per ellipsin aliquam explicetur, quum nulla neque frequentior sit ellipsis, nec faciliorem veniam habeat, quam quae in verbo est, aliquod studium, aliquam voluntatem aut animi affectionem indicante? Cuiusmodi verba hoc facilius omittuntur, quod ipsa loquentis vox in huiuscemodi formulis ita conformatur, ut, quid aliquis dicere velit, minime possit obscurum esse. Sed ab illa infinitivi constructione, quam modo tetigimus, nimium recedunt duo Homericorum carminum loci, quam ut eos praetermittere hic debeamus. Vnus Iliad. XVI. 99. *νῶϊν δ᾽ ἐκδῦμεν ὄλεθρον*, ubi, quamvis deterioribus numeris, optativus infinitivo praeferendus videtur, *νῶϊ δ᾽ ἐκδυῖμεν**)

---

*) Graviter reprehendit hanc optativi scripturam Buttmannus

ὄλεθρον. Alter Odyss. XXIV, 376. interpretatione adiuvandus:

> αἲ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
> οἷος Νήρικον εἷλον, ἐΰκτίμενον πτολίεθρον,
> ἀκτὴν ἠπείροιο, Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων,
> 133 τοῖος ἐὼν τοι χθιζὸς ἐν ἡμετέροισι δόμοισιν,
> τεύχε' ἔχων ὤμοισιν, ἐφεστάμεναι καὶ ἀμύνειν
> ἄνδρας μνηστῆρας· τῷ κεν σφέων γούνατ' ἔλυσα
> πολλῶν ἐν μεγάροισι, σὺ δὲ φρένας ἔνδον ἰάνθης.

In quo loco nihil difficultatis est, si aposiopesin adhibeas, infinitivis e verbis τοῖος ἐὼν pendentibus: *utinam talis ad auxilium heri ferendum* —.

VI. De ellipsi praepositionum.

Perventum est denique ad ellipses particularum, quae pars huius doctrinae ut speciem veri admirabilem, ita, quod iure verum dicere possis, nihil plane continet. Nam si recte supra contendimus, praedicata rerum, quod sponte intelligi nequeant, non posse omitti, consentaneum est, particulas omnes, in quibus variae rerum cogitationumque inter se rationes indicentur, ita esse necessarias,

---

in Lexilogo I. p. 56. et in gramm. Gr. mai. I. p. 539. Negabant enim veteres grammatici υι ante consonantem dici: v. Etym. M. p. 72, 26. 775, 23. Eustath. p. 938, 43. 1047, 54. 1224, 58. ita ut, quoniam propter istam regulam passivi optativus sit ζευγνύμην, ne in activo quidem ζευγνυίην, sed ζευγνύην scribendum putarent: vide Bekkeri Anecd. p. 1292. Rectene illi an sola raritate exemplorum adducti υι ante consonantem ferendum esse negent, fortasse antiquarum inscriptionum fide aliquando patebit. Pronunciari a Graecis illam diphthongum sequente consonante potuisse, non solum ἀμφὶ νέκυι κατατεθνηῶτι Iliad. π. 526. 565. et ἀμφὶ νέκυι καὶ Ἀχιλλῆϊ Iliad. ω. 108. atque alia huiusmodi, sed certius etiam Aeolica illa docent, τυίδε, τυί, μέσυι, ἴντυι. De quibus vide Theognostum in Bekkeri Anecd. p. 1425. praecipue autem qui de pronunciatione dixit Priscianum I. p. 555. (36. ed. Krehl.) Τυίδ' illud Theocrito V. 30. restitutum a Volgero probare videtur Schaeferus ad Greg. Cor. p. 897.

ut, ubi omissae videantur, res aliter prorsus describi existimanda sit. Longum foret et plenum taedii opus, de singulis locutionibus secundum ordinem particularum, ut in Bosii libro factum est, disserere. Quare faciam, quod supra feci: quidquid hic corrigendum videtur, ad quaedam capita revocabo, indicatis errorum fontibus. Ac primo dicendum est de praepositionibus, iisque adverbiis, quae casum aliquem regunt. Nam haec quoque praepositiones existimanda sunt esse, quem- 134 admodum praepositiones omnes, quod satis Homericus sermo arguit, initio adverbia fuere. Est autem in praepositionum ellipsi assumenda duplex maxime error commissus; unus quod confusio illa diversarum locutionum a plerisque neglecta est; alter, quod non est animadversum, ex hac ipsa permixtione paullatim casibus quibusdam significationes quasdam adhaesisse, quae deinde latius extendi, atque alio, quam quo proprie debuissent, transferri coeperint.

Sed ut ordine ac via procedat haec disputatio, quid tandem sibi volunt illi, qui ellipsin praepositionum admittunt? Nam unde sciunt, omissam esse praepositionem? E casu nominis, inquiunt, qui ea praepositione regitur. Audio: sed quid hoc est, quod regi vocant? Hoc, opinor, dicunt, praepositioni deberi, quod hic, neque alius casus adhibeatur. At in ea re vehementer falluntur. Nam si ita esset, qui tandem fieri posset, ut una praepositio diversos casus regeret? Id scilicet e diverso praepositionis significatu repetunt. At, obsecro, quisquis ita iudicas, cur tu diversas istas significationes praepositioni, quae ubique eadem est, imputare, quam e casu nominis, qui pro his significationibus alius atque alius est, derivare mavis? Nam quid respondebis, si quis significatum praepositionis a casu nominis, qui ei adiunctus est, regi dicat? Quod 135 profecto multo consideratius diceretur. Nam qui potest omnino fieri, ut praepositio certa quadam significatione certum casum regat, nisi in illo ipso casu aliquid sit, quod ad hanc significationem, non ad aliam trahi possit? Quod quid est aliud, quam significationem eam in casu

non minus, quam in praepositione inesse? Nam si esset in sola praepositione, aut nullo casu opus esset, aut usus casuum esset promiscuus. Quod contra, si in casu inest, praepositio non tam mutabit significatum suum pro diversitate casuum, quam conciliabitur eius significatio cum ea significatione, quae est in casu. Exemplo utar plano et perspicuo. *Παρὰ* est *apud*, eaque significatio manet, sive *παρὰ σοί*, sive *παρὰ σέ*, sive *παρὰ σοῦ* dicatur: sed casuum diversitas facit, ut *παρὰ σοὶ* habeatur id, quod est apud te; *παρὰ σέ*, quod accedat ad te; *παρὰ σοῦ*, quod veniat a te: id quod simili modo Galli dicunt, *de chez toi.* Itaque si casus non pendet e praepositione, cur ellipsin praepositionis adhibeamus, ubi casus est sine praepositione? Nimirum, qui praepositionum ellipsin comminiscuntur, hoc uti solent argumento, quod quum multae locutiones inveniantur idem significantes, sive adsit praepositio sive absit, absentia praepositio-136nis non possit non per ellipsin explicari. Mirum vero, eos non sentire, quam hoc ineptum sit argumentum. Quid enim, si quis obiiciat, ubi omittatur praepositio, non per ellipsin omitti, sed, ubi addita inveniatur, additam esse per pleonasmum? Sed ne videamur magis inscitia adversariorum, quam idoneis rationibus vincere, hoc eos dicere faciamus, ideo adhibendam esse ellipsin praepositionis, quod in solo casu, quem quaeque praepositio regit, non insit haec vis, quae propria est praepositionis; ea autem vi et significatione locos illos, in quibus ipsi ellipsin admittant, carere non posse. Hoc argumentum ut refutetur, primo videndum est, quae sit cuiusque casus vis, ob quam regi a praepositionibus quibusdam dicatur; deinde an eadem vis sit in his locis, in quibus nulla adiecta est praepositio. Hoc enim si effecerimus, sponte intelligetur, ellipsi nihil opus esse.

VII. De usu genitivi.

Ac primus commemorabitur genitivus, quo in casu mirum in modum luxuriatur lingua Graecorum. Quare,

quod sciam, nondum repertus est, qui omnem illam locutionum copiam et varietatem, in quibus hic casus dominatur, sic explicaret, ut ea explicatio vel aliquo modo rei satisfacere videatur. Illud quidem alio loco ab nobis demonstratum est, genitivum proprie rem indicare, cuius aliquid accidens sit. Latissime autem patet accidentis no- 137 tio, mutabilis illa pro ratione, qua rem consideres. Sic filius patris et pater filii, sic amor dicitur alicuius, sive amare eum sive amari intelligamus. Exempla quaedam huiusmodi vide apud Schaeferum p. 735. Quod nisi temere omnia miscuisse et perturbasse Graecos statuimus, in omni usu genitivi ad primam illam significationem redeundum erit, videndumque, quomodo hic casus ad tam diversos tamque dissimiles res adhiberi potuerit. In qua re illud tamen bene tenendum est, pleraque in linguarum conformatione obscuro sensu regi, cuius si modo initia teneamus, reliquum eius cursum persequi non esse difficile. Nam qui primi aliquam notionem alio deflexerunt, hos in ea re aliquid iudicii adhibuisse necesse est: ab his reliqui ista pene nescientes accepere, quos non mirum est ea dein latius extendisse, quam fortasse debebant, quippe verae rationis sibi non conscios.

Igitur genitivus quum rem indicet, cuius aliud quid accidens sit, id in paucis tantum praepositionibus, quae cum hoc casu construuntur, paullo obscurius est; in plerisque primo adspectu, cur genitivum sibi adiungant, apparet. Nam quum in his, quae rerum accidentia a philosophis vocantur, etiam partes cuiusque rei numerentur, haec partis significatio, quae pene ubique genitivum comi- 138 tatur, in harum praepositionum constructione manifestissima est. Sic *ἀπό, παρά, πρός, ὑπό, ἔξ,* proprie id significant, quod cuiuspiam rei pars est, sed ea talis, quae ab hac re proficiscatur, eoque ab ea separetur. Deinde *διά, ἐπί, κατά, ὑπέρ,* id indicant, quod est vel fit in aliqua rei cuiuspiam parte: ut

διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος.

Neque alia ratio est praepositionum *ἀμφὶ* et *περί,* qua-

rum altera id, quod ab utraque parte, altera, quod ab omni parte est, significat. Proximae his sunt *ἀντὶ* et *πρό*, quarum *ἀντὶ* vix potest dubium esse, quin significatum eodem modo ex *ἄντα* deflexerit, ut utraque notio in praepositione *πρὸ* inest:

ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.

Vtraque ergo praepositio proprie notabat, quod ante aliquam rei cuiuspiam partem esset. Denique *μετὰ* designat, quam proprie participationem, id est communionem partis dicimus: quo a praepositione *σὺν* differt, quae quod totius rei cum alia re coniunctionem significat, non construitur cum genitivo: quae res clara erit verba *μετέχειν* et *συνέχειν*, aliaque horum similia comparanti. Quum ergo genitivus in omnibus his constructionibus parti indicandae inserviat, facile est intelligere, qui factum sit, ut prae-
139positiones istae, quae, ut omnes praepositiones, natura sua nihil nisi adverbia sunt, genitivum sibi vindicarent. Nam, ut ista exempla repetam, quae supra attuli, *δι' ἀσπίδος ἦλθεν ἔγχος* quid est aliud, quam *ἔγχος ἦλθεν ἀσπίδος ποι*, id est, venit ad aliquam clipei partem, et ibi quidem *διά*, id est, sic ut penetraret. Ita *ἄντα παρειάων σχομένη κρήδεμνα* nihil est, nisi *κρήδεμνα σχομένη παρειάων πού*, et quidem *ἄντα*, quod aliter dicas *παρειάων ἐν τῷ ἄντα*. Ex his facile poterit intelligi, non diversam esse caeterorum adverbiorum conditionem, quae cum genitivo construuntur. Sed clarum est etiam ex hac explicatione, adverbii, quo nomine hic praepositiones quoque comprehendimus, non esse aliud officium, quam ut modum, locum, tempus, vel quidquid adverbii cuiusque significatione continetur, adiiciat, non autem genitivum sine adverbio nihil plane significare. Haec si vera sunt, quid opus erit praepositionis omissionem ad auxilium vocare, ubi verba ipsa cum genitivo coniuncta satis indicent, quae sit genitivi significatio? Hoc igitur an ita sit, nunc videndum est. Quod sic faciemus, ut diversos usus, quos habet genitivus, ordine enumeremus, simulque, quomodo alius ex alio ortus sit, ostendamus.

VIII. De genitivo nomini iuncto.

Atque in illam genitivi notionem quam saepius iam tetigimus intuenti planum sit necesse est, duobus modis 140 genitivum usurpari posse; primo sic, ut, quod alicuius rei est, quid sit huius rei dicatur; altero, ut universe dicatur aliquid alicuius rei esse, non definito, utrum pars, an proprietas, an effectus, an quidquid demum sit. Explicemus primo de priore isto loquendi modo, quo genitivus nomen adiunctum habet. Atque hic duae se offerunt genitivi significationes, quas considerare operae pretium sit, una derivationis, altera commutationis. Vtramque frustra per ellipsin explicare quidam conati sunt, quod planum erit rem recte consideranti. Quod apud Homerum est Iliad. XI. 124.

χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένος,

tria potest significare, unum, quod omnium primum, maximeque simplex est, *aurum Alexandri accipiens;* secundum, quod hic dicere poeta voluit, *aurum ab Alexandro accipiens;* ut Iliad. I. 596.

μειδήσασα δὲ, παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον,

in cuius versus explicatione Schaeferus ad Euripidis Hecubam p. 45. a Vossio se decipi passus est; tertium, *aurum pro Alexandro accipiens*, ut Odyss. XI. 326.

ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα.

Vnde haec diversitas? Si ab ellipsi, quod volunt, qui nunc παρά, nunc ἀντὶ vel ὑπὲρ intelligunt, nihil lucri fecimus advocanda praepositione, quae non modo an sit 141 adhibenda, sed etiam utrum haec, an alia, incertum est. Sin ab ipsa genitivi significatione, lucrum non est exiguum, quia sic neque alieno opus est adminiculo, et fontem, unde hi significatus venerint, aperiri necesse est. Hoc igitur agamus. Nec profecto quidquam planius est. Aurum Alexandri est, quod habet Alexander: qui autem aliquid ab alio accipit, is accipit id, quod habebat is, a quo accipit. Itaque pauper adhuc et rudis sermo dicebat

χρυσὸν Ἀλεξάνδρου δέχεσθαι, non modo quum aurum, quod esset Alexandri, sed etiam quum id ab Alexandro accipi dicere vellet. Mansit progrediente cultu antiqua forma, sed sic, ut qui ab Alexandro accipi diceret, iam non *χρυσὸν Ἀλεξάνδρου* cogitatione iungeret, sed *Ἀλεξάνδρου δέχεσθαι*. Iam quum semel genitivo haec derivationis ac separationis notio adhaesisset, latius ea extendi coepta est: unde talia sunt, ut *ἀκούειν τινός, ex aliquo audire, λείπεσθαι, ἁμαρτάνειν τινός*. Cuius constructionis mentione facta, breviter tangam locum Thucydidis I. **33.** *μηδὲ δυεῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν, ἢ κακῶσαι ἡμᾶς, ἢ σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι;* ubi non capio, qui Schaeferus p. **184.** *ἐν* post *δυεῖν* ab librariis neglectum suspicari potuerit; quo addito prorsus perturbatur constructio, multoque minus intelligi locus potest. Sana sunt omnia: sed historicus, ne repetito verbo dicendum esset, 142 *ἢ τοῦ φθάσαι ἡμᾶς κακῶσαι, ἢ τοῦ φθάσαι σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι*, insolentiore structura dixit, *δυεῖν ἁμάρτωσι, φθάσαι*: i. e. *duabus rebus ad praevertendum exciderent* *). Sed redeo in viam. Vt *ἁμαρτάνειν τινός*, sic *γυμνόν, ξένον, καθαρὸν εἶναί τινος, γῆς ἐλαύνειν, ἀμύνειν, θεῶν μιᾶς ἔφυσε Μαῖαν*, et illud Euripidis in Electra v. **1215.**

> *κατεῖδες, οἷον ἁ τάλαιν' ἑῶν πέπλων*
> *ἔβαλεν, ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναῖσιν,*

quod exemplum cum aliis allatum est in his, quae p. **670. 673. 674. 693. 695. 734.** commemorantur. Nescio an eodem referri debeat hoc Sophoclis in Electra v. **78.**

> *καὶ μὴν θυρῶν ἔδοξα προσπόλων τινὸς*
> *ὑποστενούσης ἔνδον αἰσθέσθαι, τέκνον;*

ubi durius certe *θυρῶν ἔνδον* cum scholiasta iunxeris. Sed cave ne hunc usum eo traducas, quo non amplius licet: quod ego Schaefero quidem non imputaverim, qui p. **750.**, ut solet, aliorum verba ponit, ipse a dicenda sen-

---

*) Vide quae adnotavi ad Sophocl. Electr. 1312.

tentia abstinens: sed hi, quorum ille verba attulit, Brunckius et Porsonus, non ante ad suam me sententiam traducent, quam ubi alicuius saltem praepositionis ellipsin certis argumentis demonstratam videro. Contendunt illi per ellipsin praepositionis Euripidem dixisse in Oreste v. 491. ed. Pors.

πληγεὶς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπὲρ κάρα, 143

et in Electra v. 123.

κεῖσαι σᾶς ἀλόχου σφαγείς,
Αἰγίσθου τ', Ἀγάμεμνον.

Quorum locorum quum neuter mihi sanus esse videatur, priorem etiam ob mirum illud parumque aptum *ὑπὲρ κάρα* suspectum habeo. Quo minus dubito, quin scribendum sit:

πληγεὶς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπαὶ κάρα,

et,

κεῖσαι σᾶς ἀλόχου σφαγαῖς,
Αἰγίσθου τ' Ἀγάμεμνον *).

Sed revertor ad illud, *χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο*: quae verba quum non modo aurum significent, quod possidebat Alexander, sed etiam illud, quod quocumque alio modo ad Alexandrum spectabat, facile est intelligere, qui factum sit, ut etiam aurum, quod pro Alexandro daretur, ita appellari posset. Restant adhuc in Homericis carminibus certa huius interpretationis vestigia: ut Iliad. I. 111.

οὕνεκ' ἐγὼ κούρης Βρισηΐδος ἀγλά' ἄποινα
οὐκ ἔθελον δέξασθαι.

V. 265.

τῆς γάρ τοι γενεῆς, ἧς Τρωΐ περ εὐρύοπα Ζεὺς
δῶχ', υἷος ποινὴν Γανυμήδεος.

XIII. 659.

ποινὴ δ' οὔτις παιδὸς ἐγίγνετο τεθνηῶτος.

---

*) Hodie non ausim librorum scripturam in his locis mutare. Vide quae ad utrumque adnotavit Matthiae.

144 Et omnino haec nomina, ubicumque apud Homerum inveniuntur genitivo iuncta, simplicem habent constructionem, ut *pretium Ganymedis*, non *pretium pro Ganymede* dixisse existimandus sit. Sed talia quum usu frequentari coepissent, genitivus paullatim etiam eius rei significationem accepit, pro qua quid daretur vel acciperetur. Vnde dixit poeta,

ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα,

neque *χρυσὸν ἀνδρὸς*, neque *ἀνδρὸς ἐδέξατο* iungens, sed nudo usus genitivo, is ut esset *pro viro*. Ex his cognosci potest, quid statuendum sit de ellipsi praepositionum *ἀντὶ* et *πρὸ* et *ὑπέρ*, qua quid iam est, quod nos commode carere prohibeat? Obiter observo, Schaeferum in Aeliani loco, qui est Var. hist. III. 10. Perizonii aliorumque auctoritate praeter necessitatem de vitio cogitasse: quem revocare poterat vel Theocriti versus, eadem pagina allatus. Sic etiam Aeschylus in Agam. 358.

πολλῶν γὰρ ἐσθλῶν τήνδ᾽ ὄνησιν εἱλόμην.

Neque in Euripidei Erechthei loco Schaeferi emendationem amplectar, quae mihi quidem enervare orationem videtur. Scribendum puto:

μισῶ γυναῖκας, αἵτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παῖδας εἵλονθ᾽, ὅτι παρήνεσαν κακά.

Venio denique ad alias genitivi constructiones, in quibus nemo de ellipsi praepositionis cogitaturus fuisset, nisi nomen, ad quod genitivus refertur, saepius delitesce-
145 ret. Sed qui semel admonitus usitatam illam duarum locutionum permixtionem meminerit, sponte, opinor, ineptas istas ellipses et ex parte prorsus invito linguae ingenio excogitatas spernere incipiet. Huiusmodi sunt p. 669. *φείδεσθαι*, 671. *ἐνδεής*, *κενός*, *ἀθῶος*, *ἄπειρος*, *πλησίος*, *ἄγχι*, 672. *ἄρχεσθαι*, *λήγειν*, 690. *παύεσθαι*, *ἀναπνεῖν*, 705. *κατηγορεῖν*, *ὀργίζεσθαι*, 706. *ἄγασθαι*, *εὐδαιμονίζειν*, ubi Schaeferus male interpretatus est Sophoclis locum in Trachiniis v. 305., quem rectius intellexit Brunckius ad Oed. R. 534. porro p. 732. *μιμνήσκεσθαι*,

λανθάνεσθαι, **733.** *σπλαγχνίζεσθαι*, *ἀπορεῖν*, *καταφρονεῖν*, *ἐπιμελεῖσθαι*, *φροντίζειν*, **739.** *τυφλός*, **748.** *ἐνεχυράζεσθαι*, **750.** *ἀνερεθίζεσθαι*, **751.** *πείθεσθαι*: quibus infinita copia similium exemplorum adiici posset. In his omnibus formulis nulla ex praepositione pendet genitivus, sed ex eo, quod pro substantivo genitivum sibi postulante verbum vel nomen ponitur, in quo, si sensum spectes, istud nomen, quod genitivo adhibendo occasionem dederat, inest. Sic *ἄχαλκος ἀσπίδων* quid est aliud, quam *ἄνευ χαλκοῦ ἀσπίδων*? sic *κενός τινος* est *κένωμα ἔχων τινός*. Similiter quomodo *μιμνήσκεσθαί τινος* intelligi debeat, declarat Sophocles in Oed. R. **1246.**

μνήμην παλαιῶν σπερμάτων ἔχουσ'·

et in Electra v. **392.**

βίου δὲ τοῦ παρόντος οὐ μνείαν ἔχεις;

et idem, quomodo *χολοῦσθαί τινος*, in Aiace **41.** **146**

χόλῳ βαρυνθεὶς τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων,

et in Philocteta v. **327.**

τίνος γὰρ ὧδε τὸν μέγαν
χόλον κατ' αὐτῶν ἐγκαλῶν ἐλήλυθας;

pariterque Euripides in Electra v. **1270.**

μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων.

Sed hi ipsi Sophoclis atque Euripidis versus ad bonam nos observationem ducent. Nam quid est, cur in tragicorum sermone *χόλον ὅπλων* et *μῆνιν νυμφευμάτων* non aliter iungenda videantur, quam *μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος*; apud Homerum autem, longe antiquiorem poetam, ideoque originibus formularum, quas supra tetigimus, propiorem, repudianda sit haec constructio? Iliad. VIII. **316.**

Ἕκτορα δ' αἰνὸν ἄχος πύκασεν φρένας ἡνιόχοιο,

et IV. **169.**

ἀλλά μοι αἰνὸν ἄχος σέθεν ἔσσεται, ὦ Μενέλαε.

quem locum priori adiunxit Schaeferus p. 707. Sic etiam XVI. 581.

Πατρόκλῳ δ' ἄρ' ἄχος γένετο φθιμένου ἑτάροιο.

XVII. 538.

ἦ δὴ μὰν ὀλίγον γε Μενοιτιάδαο θανόντος
κῆρ ἄχεος μεθέηκα.

XX. 293.

ὢ πόποι, ἦ μοι ἄχος μεγαλήτορος Αἰνείαο.

Odyss. IV. 108.

ἐμοὶ δ' ἄχος αἰὲν ἄλαστον
κείνου.

147 Ib. XVII. 489.

Τηλέμαχος δ' ἐν μὲν κραδίῃ μέγα πένθος ἄεξεν
βλημένου.

XVIII. 323.

ἀλλ' οὐδ' ὣς ἔχε πένθος ἐνὶ φρεσὶ Πηνελοπείης.

A qua tamen ratione diversum est, quod Iliad. XIII. 417. XIV. 458. 486. legitur,

Ἀργείοισι δ' ἄχος γένετ' εὐξαμένοιο,

in quibus locis genitivus temporis habet, non, ut in superioribus exemplis, caussae notationem. Aliis in locis uterque modus admitti potest, ut Iliad. XI. 249.

κρατερόν ῥά ἑ πένθος
ὀφθαλμοὺς ἐκάλυψε κασιγνήτοιο πεσόντος.

XVIII. 88.

νῦν δ', ἵνα καὶ σοὶ πένθος ἐνὶ φρεσὶ μυρίον εἴη
παιδὸς ἀποφθιμένοιο.

Igitur ut ad propositam quaestionem respondeamus, sic est tenendum. Quum Graeci quadam commutatione verborum pro *μνήμην ἔχειν τινὸς* dicerent *μιμνήσκεσθαί τινος,* et quae sunt similia, multo usu hae loquendi formae ita se in eorum sermonem insinuarunt, ut iam, quod accidere solet iis, qui linguas usu discunt, nemo cogitaret, unde

essent hi genitivi, sed eos tamquam legitimam constructionem usurparent. Itaque in multis locutionibus, quales exempli caussa sunt *ὀργίζεσθαι, χολοῦσθαι, θαυμάζειν, μακαρίζειν τινός*, genitivus non poterat non videri id in- 148 dicare, cuius caussa aliquid fieret. Hinc sicubi ad pristinam dicendi rationem redibant, non construebant, ut initio factum fuerat, *ὀργήν τινος ἔχειν*, sed *ὀργὴν ἔχειν*, tamquam *ὀργίζεσθαι* cogitantes, et genitivum sic nude addentes, quo id, cuius caussa quis irasceretur, indicarent. Id manifesto docet Homerus Odyss. XXIV. 423.

παιδὸς γάρ οἱ ἄλαστον ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔκειτο,
Ἀντινόου, τὸν πρῶτον ἐνήρατο δῖος Ὀδυσσεύς·
τοῦ ὅγε δακρυχέων, ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.

Ita factum est, ut genitivus etiam solus per se poneretur, ubi, propter quod aliquid fieret, significandum erat. Quod quidem non est ubique factum, sed in quibusdam dumtaxat loquendi modis, ut apud Sophoclem in Trachiniis v. 666.

ΔΗ. οὐκ οἶδ'· ἀθυμῶ δ', εἰ φανήσομαι τάχα
κακὸν μέγ' ἐκπράξασ' ἀπ' ἐλπίδος καλῆς.
ΧΟ. οὐ δή τι τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων;

Hinc nihil mirum, si tragici, multa illi novantes et ubique insolentiorem captantes sermonis formam, tamquam novum quid dixerunt *χόλον ὅπλων, μῆνιν νυμφευμάτων*, qui re vera omnium fuerat antiquissimus usus. Quae quum ita sint, quis iam ad ellipsin praepositionis *ἕνεκα* confugiendum putabit in exemplis p. 705. 708. 748. commemoratis? Quod nollem etiam Schaeferus fecisset, quem ob id quoque hic non probo, quod p. 705., ubi Dor- 149 villii verba adscripsit, nihil admonuit lectorem de Platonico illo in Apolog. Socr. c. 9. *καὶ φαίνεται τούτου λέγειν τὸν Σωκράτην:* in cuiusmodi locutione quum *τούτου* nullo pacto *ob id* significare possit, quod virum doctissimum non potuit fugere, non modo improbari, tironum caussa, debebat Dorvillii sententia, sed adnotari etiam verissima et merito ab Heindorfio recepta Fr. Aug. Wolfii emenda-

tio, *καὶ φαίνεται τοῦτ᾽ οὐ λέγειν τὸν Σωκράτην*, in quibus verbis praeterea notabilis est etiam trimeter iambicus.

IX. *De usu genitivi omisso nomine.*

Genitivi constructionem supra diximus duas habere formas, unam, qua, quod alicuius rei sit, quid sit huius rei dicatur: quod genus tractavimus; alteram, qua aliquid universe dicatur alicuius rei esse, non addito, quid eius rei sit. Hanc formam nunc videamus. Est ea autem duplex. Nam aut adiectivum additur genitivo, aut ne hoc quidem.

Adiectivum adiicitur, ut in hoc, *οἱ χαρίεντες τῶν ἀνθρώπων*, quod incredibile esset, nisi factum videremus, per omissionem particulae *ἐξ* explicari potuisse. Talia quidem mittamus: dicamus vero de constructione genitivi cum comparativo, quae ad hoc genus pertinet. 150 Quae constructio quum non possit non mira ac difficilis explicatu videri, ab his, qui ubique ellipses quaerunt, facillimo sane modo explanaretur, nisi omissio particulae *ἀντὶ* vel *πρὸ* tam absurda esset, ea ut nisi prorsus occaecato ad sanae rationis lucem homini non posset in mentem venire. Nam nisi usu iam constaret, genitivum comparationi inservire, numquam de ista ellipsi quisquam cogitasset. Quam Graeci si adhibuissent, poterant profecto etiam accusativum nomini comparativo iungere, *παρὰ* intelligentes: quod quis nunc non portenti instar habiturus esset? Planissima vero est, neque ullo indiget alieno adminiculo ista constructio. Nam sicut Graeci dicunt *δῖα θεάων, ἔξοχος ἄλλων, ἀριδείκετος ἀνδρῶν, ἄριστος Ἀχαιῶν*, ita etiam comparativo nomine usi sunt, *προφερέστερος ἁπάντων* dicentes, quum eum vellent indicare, qui inter alios esset praestantior. At, inquiet aliquis, non modo plurali numero, sed etiam singulari genitivus iungitur: *ἐπεὶ οὐ ἔθεν ἐστὶ χερείων:* ubi ista explicatio cadat necesse est. Enimvero proprie quidem singularis numeri nomen non poterat iungi comparativo, sed quum per eas

locutiones, in quibus pluralis est, ista constructio tritissima facta esset, mox, transitum a plurali ad singularem facientibus nominibus collectivis, ut

δήμου τε προὔχουσιν,

non attendebatur amplius ad constructionis istius originem, 151 sed simpliciter genitivus comparativo iunctus eamdem vim habebat, ac si particula ἢ adhiberetur: quare quod pluralis numeri proprium fuerat, paullatim etiam ad singularem traductum est. Inde ingens promanavit aliarum locutionum copia, quae omnes facile carebunt auxilio ellipseos, veluti *ὑστερεῖν, νικᾶσθαί τινος,* quod est *ὕστερον, ἥττονά τινος εἶναι*: in quibus formulis quas ellipses finxerint, cognosci potest e p. **664. 670. 749.**

Alter genitivi nomine carentis usus hic est, in quo ne adiectivum quidem nomen adiicitur. Quod genus eiusmodi est, ut, quod alicuius esse dicitur, plerumque possit per adiectivum vel adverbium exprimi. Vt, *σοῦ τόδ' ἐστίν,* id est *σόν ἐστι· πολλοῦ ποιεῖσθαι,* id est *μέγα ποιεῖσθαι.* Aeschylus in Supplicibus v. **592.**

φυσίζοον γένος, τὸ δὴ
Ζηνός ἐστιν ἀληθῶς.

Sophocles in Electra v. **199.**

εἴτ' οὖν θεός, εἴτε βροτῶν
ἦν ὁ ταῦτα πράσσων·

et in Antigona v. **114.**

λευκῆς χιόνος πτέρυγι στεγανός,

id est, *Δῖον, βρότειος, χιονέῃ.* Homerus Odyss. III. **251.**

ἢ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιϊκοῦ;

quod exemplum bene adhibuit Musgravius ad Sophoclis Electr. **909.** id est *Ἀργόθι.* Sic *οὗ* et *αὐτοῦ*, *ubi*, *ibi* 152 significantia, intelligi debent. Fraudem fecit haec constructio etiam summis viris, ut ad ellipsin confugiendum putarent, ut Musgravio et Porsono, a Schaefero p. **691.** seq. ita commemoratis, ut ipse quoque eorum sententiam

probare videatur. Quid vero *τᾶςδε γᾶς πόσις*, vel *ὅς ἂν δύνηται πόλεος* aliud est, quam *ἐγχώριος πόσις*, et *ὅς ἂν πολίτης δυνατὸς ᾖ*? Ad eumdem usum talia pertinent, ut *πολλοῦ χρόνου*, *τίνος χρόνου*, quorum exempla vide p. 675. 723. Homerus Iliad. XI. 690.

ἐλθὼν γάρ ῥ' ἐκάκωσε βίη Ἡρακληείη
τῶν προτέρων ἐτέων.

Vix opus est, ut moneamus, non diversa esse, quae p. 694. commemorantur, *τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ*, *Ἀτρέως δὲ Ἀγαμέμνων ἔφυ· τοῦ δὲ Λάβδακον φῦναι λέγουσιν*, item p. 749. *κρατίστου πατρὸς Ἑλλήνων τραφείς*, in quibus locis omnibus poetica *φῦναι* et *τραφῆναι* pro simplici *εἶναι* dicta sunt. In primis autem huc referendi sunt genitivi absoluti, de quibus quae p. 692. 709, 751. traduntur, vel hoc nomine falsa sunt, quod non nisi in quibusdam locis et locutionibus admitti possunt: quod contra explicatio, quam supra iam attigimus, nullo in loco fallit.

Omnino latissime patet hic locus: quo recte intellecto, quae reliquae sunt praepositionum cum genitivo construi solitarum ellipses, submoventur omnes. Sed an-153tequam in eo explicando progrediamur, occurremus iis, qui his, *οὗ* et *αὐτοῦ*, et Homerico isto *Ἄργεος Ἀχαιϊκοῦ* male uti possint. Id quod accidit Musgravio, qui ad Sophoclis Electram v. 906. *νεὼς ἄγοντα*, quod est in Philocteta v. 630., pro *ἐπὶ νεὼς* dictum putavit. Nam hoc fieri nequit, neque ista verba aliud significare possunt, quam *ducentem ab navi*, genitivo remotionem significante, de qua re supra dictum est. Quo magis miror, Schaeferum p. 710. in eumdem cum Musgravio errorem incidisse. Revocare eos potuisset, quod in eadem fabula paullo ante scriptum est v. 614.

ἄγοιντο νήσου τῆςδ', ἐφ' ἧς ναίει τανῦν.

Omnino ista Schaefero infelix pagina fuisse videtur, qui ibidem praeter hunc locum tres alios eiusdem fabulae locos secus, ac debebat, interpretatus fuerit: v. 1178., ubi *ἴωμεν ναὸς* *eamus in navi* significare vult, quod fieri non

potest. Audire debebat, cuius auctoritati plurimum tribuere solet, Brunckium, ita interpungentem, *ἴωμεν, ναὸς ἵν' ἡμῖν τέτακται.* Deinde v. 643. 154

τί τοῦθ', ὃ μὴ νεώς γε τῆς ἐμῆς ἔνι;

ubi *νεὼς* non magis significat *in navi*, quam in superioribus locis: quod quidem Brunckio fieri potuisse videbatur; sed statim ille aliam, eamque multo magis probabilem interpretationem adiecit, e praecedentibus verbis *λαβεῖν* repetens, et *νεὼς τῆς ἐμῆς ex mea navi* intelligens. Denique v. 205.

βάλλει, βάλλει μ' ἐτύμα φθογγά του,
στίβου κατ' ἀνάγκαν
ἕρποντος,

ubi Schaeferus aut *στίβον* cum Triclinio, aut *στίβῳ* legendum putat. At sana sunt omnia, quandoquidem iungi debent haec, *κατ' ἀνάγκαν στίβου,* quae sic quoque dici poterant, *πρὸς βίαν ποδός.* Vt paucis complectar, verba sunt in his locis omnibus motum indicantia, quae ubi genitivo iunguntur, aut motum ex aliquo loco significant, cuius significationis caussam supra aperuimus, aut locum notant, quo aliquid, tamquam ad metam aliquam, tendat, de qua re mox dicemus. Mansionem rei in aliquo loco, seu verius in eius aliqua parte, genitivus non potest aliter denotare, quam verbis aut motus significatione carentibus, aut motum indicantibus ex aliquo loco non egredientem iunctus. Sic Homerus dicere potuisset, *ἦ οὐκ ἐφοίτα Ἄργεος.* Ab huiusmodi igitur formulis omnibus ellipsin removendam iudicamus. Nam si quid loci alicuius vel temporis esse dicitur, id per se planum est sic dici, ut in aliquo loco esse, et fieri tempore aliquo intelligatur. Ex his unumquemque reliqua, quae ad hoc genus pertinent, sponte diiudicaturum speramus.

Redeo in viam. Graeci quum genitivo sic utantur, ut quidquid quocumque modo alicuius rei sit, eo casu 155 significent, saepissime cum verbis *dicere* et *audire* significantibus genitivum coniungunt eius rei, de qua quid dicatur vel audiatur. Exempla in Bosii libro allata sunt

p. **734.**; ubi quidem diversissima miscentur. Pertinent huc talia: *ἐπύθοντο τῆς Πύλου κατειλημμένης, πατρὸς ἀκούσας, κλύουσα παιδός*, quorum hic sensus est, *aliquid de capta Pylo, de patre, de filio audire.* Quae ne quis putet, ut isti volunt, per ellipsin praepositionis *περὶ* explicanda esse, meminerit, quod supra diximus, posse talia plerumque per adiectivum exprimi. Sic *πατρὸς ἀκούσας* potuit etiam dici *πατρῷα ἀκούσας.* Si Homerus Odyss. **XV. 347.** dicit:

εἴπ' ἄγε μοι περὶ μητρὸς Ὀδυσσῆος θείοιο,
πατρός θ', ὃν κατέλειπεν ἰὼν ἐπὶ γήραος οὐδῷ,
εἴ που ἔτι ζώουσιν ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο,
ἦ ἤδη τεθνᾶσι, καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν.

quis inde colligat, *περὶ* omissum esse Odyss. **XI. 174.**

εἰπὲ δέ μοι πατρός τε καὶ υἱέος, ὃν κατέλειπον,
ἦ ἔτι πὰρ κείνοισιν ἐμὸν γέρας, ἠέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλος ἔχει, ἐμὲ δ' οὐκέτι φασὶ νέεσθαι·

neque potius ducat, poetam dicere voluisse, *dic mihi hoc patris*, quod quid sit, statim explicat. Quin statim, quo minus de huius interpretationis veritate dubites, eadem forma orationis, sed addito nomine, pergit:

156 *εἰπὲ δέ μοι μνηστῆς ἀλόχου βουλήν τε νόον τε,*
ἠὲ μένει παρὰ παιδί, καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσει,
ἦ ἤδη μιν ἔγημεν Ἀχαιῶν ὅςτις ἄριστος.

Poterat hic quoque omittere verba *βουλήν τε νόον τε:* quae si omisisset, quid aliud dictum esset, quam *εἰπέ μοι ἀλόχου τὸ ἢ μένειν ἢ γήμασθαι.* Sed quum hic usus invaluisset, ut genitivus in huiusmodi re usurparetur, omisso nomine rei, quae de aliquo diceretur, vel acciperetur, postea saepe ne tum quidem quum nomen indefinitum addebatur, id construi solebat cum genitivo, sed per se solum iungebatur verbo:

εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.

Hic proprie iungi deberent, *τάδε σφῶϊν, haec vestrum,* id est, *haec vestra:* sed poeta non iunxit, usui iam stabi-

lito indulgens, quo *σφῶϊν πυθοίατο* iungebatur. Sic etiam Iliad. XI. 657.

οὐδέ τι οἶδεν
πένθεος, ὅσσον ὄρωρε κατὰ στρατόν.

Tale est etiam illud Aristophanis, in Bosii libro commemoratum, *τοῦ πράγματος ἀκήκοέν τι;* et haec Sophoclis in Trach. 1122.

τῆς μητρὸς ἥκω τῆς ἐμῆς φράσων, ἐν οἷς
νῦν ἐστιν, οἷς θ' ἥμαρτεν οὐχ ἑκουσία.

et in Philocteta v. 439.

ἀναξίου γὰρ φωτὸς ἐξερήσομαι
γλώσσῃ τε δεινοῦ καὶ σοφοῦ, τί νῦν κυρεῖ.

et Euripidis in Phoenissis v. 1351. 157

ὦ δώματ', εἰσακούσατ' Οἰδίπου τάδε
παίδων, ὁμοίαις ξυμφοραῖς ὀλωλότων.

In quibus exemplis omnibus etsi genitivus per se solus positus esse censendus est, quid est tamen, cur ad ellipsin confugere, quam id probare malimus, quod antiquitus in talibus formulis cogitatum fuisse verba ipsa suadeant, *τῆς μητρός, τοῦ φωτὸς τὴν νῦν τύχην, Οἰδίπου παίδων τάδε*? Sic quod est in Sophoclis Electra v. 317.

καὶ δή σ' ἐρωτῶ· τοῦ κασιγνήτου τί φῄς,
ἥξοντος ἢ μέλλοντος;

quid est aliud, quam *τί φῄς ἀδελφικόν*? Rarioris formae hoc est apud eumdem poetam in Trachiniis v. 394.

ὡς ἕρποντος εἰσορᾷς ἐμοῦ.

quod proprie si dicas, erit *ὡς εἰσορᾷς ἐμὸν τόδε, ἕρποντος.* Duo alia exempla, quae in Bosii libro p. 734. commemorata sunt, non huc pertinent, sed ad commutationem illam duarum locutionum, de qua supra exposuimus: *ὡς γνῶ χωομένοιο*, et *ἀεξομένοιο διδάσκει μηνός*: id est *ὡς γνῶσιν ἔσχε χωομένου*, et *διδάσκαλός ἐστι μηνὸς ἀεξομένου.* Neque ad nostram disputationem pertinet Sophoclis locus in Trachiniis v. 927.

κἀγὼ δρομαία βᾶσ', ὅσονπερ ἔσθενον,
τῷ παιδὶ φράζω τῆς κασιγνήτης τάδε·

158 ubi Musgravius male putat genitivum e verbo *φράζω* pendere. Recte eum Erfurdtius cum scholiasta ad *τῷ παιδὶ* refert. Nam si ad *φράζω* pertineret, abesse oporteret articulum *τῆς*.

Superest alius genitivi nomine carentis usus, quo recte intellecto ingens ellipsium numerus removetur. Obtinet enim per omnem Graecam linguam, ut, cuius rei aliqua pars intelligatur, ea res omisso partis nomine casu genitivo cum omni genere verborum, quemcumque ea casum sibi adiungi postulent, construi possit. Cuiusmodi sunt, *ἅπτεσθαι, ἀπολαύειν τινός· ἔρχεσθαι, θεῖν πεδίου· πληροῦν, γέμειν τινός· λοῦσθαι ποταμοῦ·* (vide Bosii librum p. **670. 675. 685. 687. 709.**) et alia innumerabilia. In quibus formulis omnibus non praepositionis ulla ellipsis est, sed nominis indefiniti *τί*. Eodem loquendi modo Germani utuntur, eadem cum ellipsi dicentes, *des weges gehen, des weines trinken,* atque alia. Sed quaedam sunt in hoc genere rariora, ut *κτείνειν λίθων,* commemoratum p. **675.**; quaedam autem difficiliora, ut, quod prorsus neglectum est in libro Bosiano, *ἔρχεσθαι ἀγγελίης*. Quare hoc paucis explicemus. Et quum grammatici quidam nomen *ἀγγελίης* apud Homerum masculini generis esse, eumque, qui nuncius mitteretur, significare credidissent, impugnare hanc opinionem
159 aggressus est Hermannus Tollius in secundo excursu ad Apollonii lexicon Homericum. Qui quum recte sane non aliud nomen, quam femininum *ἀγγελίη* agnoscat, mire tamen fallitur in usu eius nominis expediendo. Ac primus, quo utitur, poetae locus est Iliad. IV. **384.**

ἔνθ' αὖτ' ἀγγελίην ἐπὶ Τυδῆ στεῖλαν Ἀχαιοί.

Vbi cum Eustathio verba sic iungit, *Τυδῆ ἐπ' ἀγγελίην στεῖλαν*: quod ut fieri possit per linguae leges, non est tamen ob versum faciendum, qui sic in duas aequales partes, magno cum suavitatis numerorum dispendio, divide-

retur. Quidni vero hoc dicere poetam putemus, *Τυδῆ ἀγγελίην ἐπέστειλαν?* Deinde Iliad. III. 205.

> *ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεὺς*
> *σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης, σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ.*

Hic vero iterum cum Eustathio sic verba construit, *ἕνεκα ἀγγελίης σεῦ.* Iliad. XIII. 252.

> *ἠέ τευ ἀγγελίης μετ' ἔμ' ἤλυθες;*

cum scholiasta quodam *περὶ* omissum putat; et *εἰς* cum Eustathio Iliad XI. 139.

> *ὅς ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν*
> *ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ*
> *αὖθι κατακτεῖναι.*

Alium Homeri locum, Iliad. XV. 639.

> *ὃς Εὐρυσθῆος ἄνακτος*
> *ἀγγελίης οἴχνεσκε βίῃ Ἡρακληείῃ,*

prorsus praeteriit. Ex Hesiodi Theog. 780. autem hoc 160 protulit exemplum:

> *παῦρα δὲ Θαύμαντος θυγάτηρ, πόδας ὠκέα Ἶρις,*
> *ἀγγελίης πωλεῖται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,*
> *ὁππότ' ἔρις καὶ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρηται·*

quod aut emendatione, aut ellipsi praepositionis indigere dicit. At neque hoc in loco, neque in caeteris aut de ellipsi, aut de emendatione cogitandum. Nam ut alibi apud poetam est, *ἦ ὁδὸν ἐλθέμεναι,* ita cum accusativo dicitur *ἀγγελίην ἔρχεσθαι,* confusione quadam diversarum locutionum, quarum una est *ἔρχεσθαι,* altera *ἀγγελίην φέρειν,* quod fit proficiscendo. Eodem modo Germani dicunt *botschaft gehen.* Iam quum recte dicatur *ἀγγελίης φέρειν,* omisso *τί,* id est, *aliquid nuncii ferre,* coeptum est etiam *ἀγγελίης ἔρχεσθαι* dici, admixta alia locutione, *ἔρχεσθαι.*

Denique paucis attingendus est ille genitivi usus, quo meta indicatur, quam quis consequi studeat. Hic quoque usus paullatim exstitit, leniter deflexa illa genitivi signifi-

catione, quae est rei, cuius partem intelligimus. Nam quum talia iam pervulgata essent, ut, ἅπτεσθαι, ψαύειν τινός, facillimus erat ad ea verba transitus, quibus non 161 ipsa partis cuiuspiam tactio, sed solus tangendi, conatus indicatur. Hinc ῥίπτειν, ἀκοντίζειν, ὀϊστεύειν, τιτύσκεσθαι, ἵεσθαι, et quae similia sunt, genitivo iunguntur, sic ut is rem indicet, cuius quis partem studeat contingere. Exempla vide p. **715.**, in quibus iam ellipsi praepositionis κατὰ facile carebimus.

Sed satis iam de genitivo dictum videtur.

X. De usu dativi.

Accedamus nunc ad dativum, cuius casus perfacilis ratio est. Nam dativus eam rem indicat, in qua cernitur aliqua efficientia; quod quum duobus modis fieri possit, uno activo, altero passivo, duplicem accepit vim dativus. Activa enim, quam voco, efficientiae ratio ea est, qua fieri aliquid per aliquam rem indicatur: qua in significatione ablativi nomen usurpari malo, Romanorum exemplo, apud quos ea significatio suam sibi propriam formam in quibusdam declinationibus vindicavit: passiva autem ratio efficientiae est, quae aliquid fieri in ea re, quae isto casu nominatur, indicat: quae ratio proprie dativi nomine insignitur.

Ablativus ergo quum per se instrumentum denotet, quo aliquid fiat, hoc minus ulla praepositionis ellipsi opus habet, quod ne construitur quidem cum hoc casu in Graeco sermone ulla praepositio. Quare ineptum est, ad talia, πατάσσειν ῥάβδῳ, νοσεῖν νόσῳ, χαίρειν, ἀκμάζειν, 162 πρίασθαί τινι, ὤμοιϊν τεύχεα δῦναι, σίγῃ, σπουδῇ, et quae sunt similia, ἐπὶ vel περὶ vel σὺν intelligere, quod placet his, qui ubique ellipsin odorari solent, p. **701.** seqq. **710. 712. 735. 743.** Eadem res est, ubi ablativus significationem habet caussae, ob quam quid fiat, quod frequens est apud poetas.

Sed ne in dativo quidem ullus est praepositionis usus, quum ἕπεσθαι vel ἀκολουθεῖν τινι dicitur, quod p. **700.**

omisso *μετὰ* fieri putatur. Neque obscurum est, ut *ἴσος* vel *ὅμοιός τινι* dicitur, sic etiam *ὁ αὐτός τινι* dici, quod non rectius per ellipsin explicant p. 747., quam quum ad *ἅμα τινί* p. 744. *σὺν* intelligendum censent.

Sed duplex commemorandus est dativi usus, qui maiorem habet omissae praepositionis speciem. Talia enim, ut *Ἀθήνησι, Σαλαμῖνι, ὑπερῴῳ, θύραισι, τῇδε ἡμέρᾳ,* quum per ablativum explicari nequeant, nihil mirum, si a plerisque elliptica habentur. At ne hic quidem ellipsi opus est, quia dativus etiam sine praepositione sufficit. Nam quod alicui rei esse dicimus, id ne potest quidem aliter dictum accipi, nisi sic, ut ad eam rem referri, et nunc proprie in ea inesse, ut *ἡ Ἀθήνησιν ἀκρόπολις, arx, quae est urbi Athenarum,* sive *quam habent Athenae,* nunc in eius potestate esse significetur, ut *ἔστι μοι δόρυ.* Fallitur ergo Latinorum usu deceptus Bosius, quum p. 696. *Λακεδαίμονι,* et quae sunt huius generis 163 alia, non dativo, sed ablativo casu dici contendit. Quo casu, qui ab hisce exemplis alienissimus est, ne Romani quidem, opinor, nisi quadam pronunciationis negligentia, quum vulgo ablativum male a dativo discernerent, uti coeperunt, recte illi in aliis, sed paucis exemplis veram rationem servantes, ut quum *ruri* et *rure* distinguunt. Apud Graecos quidem si plerumque adiungitur praepositio, id tantum abest, ut, ubi non est adiecta, per ellipsin omissa putari debeat, ut magis, quum addi eam non sit necesse, pèrspicuitatis caussa addatur. Fuit enim antiqua ratio loquendi haec, ut nominis dativo adiungeretur adverbium, *Πυθῶνι, ἔν*: ut in Aristophanis Equit. 1270. quod etiam dicebatur *ἔν, Πυθῶνι,* unde postea, quum adverbia in praepositiones verti inciperent, *ἐν Πυθῶνι* exstitit. Sed quum maxime in locorum nominibus, sive propriis, sive usitatissimis appellativorum, adverbium istud superfluum videretur, ut quo etiam omisso quisque dativum recte intellecturus esset, in his brevior loquendi forma magis frequentata est, in caeteris autem, quae magis ambigua sine praepositione essent, addi explicationem placuit. Sic, ut hoc utar, *οἴκῳ* etiam in adverbium *οἴκοι*

abiit. Eodem modo in citationibus librorum, *Εὔπολις*
164 *Αἰξίν*, et quae sunt similia, grammaticorum sermo frequentavit, ut nihil indigentia adverbio rem accuratius definiente. Magis etiam is usus in designando tempore obtinuit, quod in hoc genere multo minus quidquam oriri ambiguitatis potest. Caeterum in his quoque, quae hic tetigimus, exempla proferri solent a defensoribus ellipseos valde inepta, ut quum p. 711. in his Odyss. XXI. 35.

οὐδὲ τραπέζῃ
γνώτην ἀλλήλων,

ἐπὶ intelligi volunt, ubi *τραπέζῃ* ablativus est, *per mensam*.

Alter dativi usus, qui facile videri potest ellipticus esse, in hac formula est, *αὐτοῖς τοῖς ἵπποις κατακρημνισθῆναι*, quod est *una cum equis*. Qui modus loquendi haberet sane, quod ad ellipsin confugere nos cogeret, nisi commode origo eius posset indicari. Nam, ut paucis complectar, hi non dativi sunt, sed ablativi: quibus vix dubitari potest, quin initio sic usi fuerint, ut recte locus esset ablativo. Ita Homerus Iliad. XXIII. 8.

ἀλλ' αὐτοῖς ἵπποισι καὶ ἅρμασιν ἆσσον ἰόντες
Πάτροκλον κλαίωμεν,

i. e. *ipsis equis et curru accedentes*, ubi equi et currus tamquam instrumenta, quorum auxilio accedendum sit ad rogum, commemorantur. Sed eadem res quum etiam sic
165 mente concipi posset, ac si verba ista *cum equis et curru* significarent, factum est paullatim, ut neglecto discrimine isti ablativi etiam ibi usurparentur, ubi instrumenti notio aliena esset, ut Iliad. VIII. 289.

πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω,
ἢ τρίποδ', ἠὲ δύω ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν.

Sed ad hanc loquendi rationem minime trahenda sunt talia, ut *ἀνεχώρησαν τῷ στρατῷ*, et quae huiuscemodi exempla adiecit Schaeferus p. 746. qui si, quod credo, nullam in his esse ellipsin existimavit, admonere certe ea de re lectorem debebat. Hi quidem aperte sunt

ablativi. Non magis in hoc Aristophanis versu, Nub. 271.

εὖτ' Ὠκεανοῦ πατρὸς ἐν κήποις ἱερὸν χορὸν ἵστατε νύμφαις,

ellipsis est, sed *νύμφαις* nudus est dativus, isque propria sibi significatione: *nymphis*, i. e. *coram nymphis*, *in earumque honorem ducitis choros.*

XI. *De usu accusativi.*

Venimus denique ad accusativum, in quo explicando haud multo pauciores ellipses excogitatae sunt, quam in genitivo. His quoque carere possumus omnibus, idque facillime, quum longe minus difficultatis in accusativo, quam in genitivo sit. Omnis eius usus, qui quidem hic 166 considerandus sit, duas habet formas.

Harum prima in permixtione posita est duarum locutionum, quae ratio patet latissime. Exempla commemorabimus aliquot e Bosii libro: *πηδᾶν πεδία, ἔρχεσθαι κλισίην, ἄλλην χθόνα ἀποίσειν, καιρὸν ἐφήκεις, προπέμπειν ὁδόν, στῆναι πέτραν*: v. p. **676. 678. 679. 680. 683. 718. 720.** In his omnibus accusativus e verbo pendet *occupare* vel *obtinere* significante, pro quo verbum ponitur modum indicans, quo qui locus occupetur. Non diversa sunt ab hoc genere haec exempla: *ἔργα ἀρκέσαι, αἰτιᾶσθαί τινά τι, ἐργάζεσθαί τινα κακά, χρῆσθαί τινί τι, ἃ πόλιν ὕμνησα, τίς ἂν τάδε γηθήσειεν, ἢν τοῦτο νικηθῇς ἐμοῦ, δύο μέρη τι διελεῖν, προτρέπω σε ταῦτα, εἶδος κάλλιστος, πάντ' εὐδαιμονεῖν, τὸ γένος Λαρισσαία ἦν, εἰρήνης γεγονυίας τέτταρας μῆνας, ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν, οὐκ οἶδ' ὅ τι Ζεὺς ἔστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός, ἀλγέω τὴν κεφαλήν, Ἴσθμια στεφανοῦσθαι, ὠφελεῖσθαί τι, σώματος δέρην σφαγεῖσαν, ἀποστερεῖν τινά τι, τὸν δὲ σκότος ὅσσ' ἐκάλυψεν, τί ποιήσεις τοῦτο;* v. p. **676. 680. 681. 682. 683. 711, 717. 719. 720. 722. 723. 740.** Sophocles in Aiace v. **1143.**

ναύτας ἐφορμήσαντα χειμῶνος τὸ πλεῖν.

Et mox:

οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα
167 *σμικροῦ νέφους τάχ᾽ ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας*
χειμὼν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.

Vt unum ex his leviter attingam, *εἶδος κάλλιστος* dicitur pro *εἶδος ἔχων κάλλιστον.* Eodem modo talia, ut *πολλὸν ἄριστος* initio dicebantur, in quibus mox multo usu factum est, ut adiectivum neutrum adverbii instar haberetur: quae ratio deinde latissime diffundi coepit. Quid igitur sibi volunt ellipses istae, ad quas ubique confugiunt? An quia poeta dicit,

χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐϋζώνοιο γυναικός,

χωόμενος κῆρ, quod apud eundem est, pro *χωόμενος κατὰ κῆρ* dictum putabimus? aut quia Iliad. XV. 60. dicit,

λελάθῃ δ᾽ ὀδυνάων,
αἵ νῦν μιν τείρουσι κατὰ φρένας,

Iliad. XI. 273. 400. cum ellipsi praepositionis dixisse,

ἤχθετο γὰρ κῆρ?

Minime vero. Nam ut haec re nihil differant, at diverso tamen modo et cogitantur et dicuntur. Id ex eo intelligitur, quod non ubique *κατὰ* addi potest. In hoc,

τὸν δὲ σκότος ὄσσ᾽ ἐκάλυψεν,

si quis cum Leisnero in praefatione p. 28. *κατὰ* intelligi volet, is videat, ne poetam absurda dicere faciat. Etenim *κατ᾽ ὄσσε* si dixisset, aut in oculis, aut in parte oculorum, aut per oculos caliginem dixisset offusam esse. Quin poe-168 tae fugerunt etiam *κατὰ* dicere, sic, ut ea particula *quod ad aliquid attinet* significaret. Quare perperam scholiastae hoc Sophoclis de Sole in Trach. 102 *).

εἶπ᾽, ὦ κρατιστεύων κατ᾽ ὄμμα,

---

*) De hoc et qui sequitur Oedipi Regis loco mutavi sententiam in editione Trachiniarum.

interpretantur κατὰ τὸ ὀπτικόν. Poeta hoc dicit, *o qui hic in conspectu nostro splendes.* Eodem illi errore decipi se passi sunt in Oedipo Rege v. **1086.**

> εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμί,
> καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις,

ad quem locum adscripserunt: ἔμπειρος κατὰ τὴν γνώμην, συνετός· κατὰ νοῦν ἔμπειρος, φρόνιμος. At hoc poeta sine particula γνώμην ἴδρις dicturus fuisset. Nunc hoc dicit: *si ego vates sum, et ex animi sententia*, id est, quantum cupio, *intelligens.*

Non diversa est omnis passivorum verborum cum accusativo constructio, quorum activa eum casum requirunt: ut πλήττομαι πόδα. Nam quia dicitur πλήττω σε πόδα, mixtum ex his, πλήττω σε, et πλήττω πόδα σοῦ, dici coeptum est etiam πλήττομαι πόδα, quod compositum est ex his, πλήττομαι, et πλήττει τις πόδα μοῦ, sive πόδα πληττόμενον ἔχω. Neque alia ratio est verborum neutrorum, aut eorum, quae aliud praeterea nomen additum habent: ut ἀκμὴν φιλοσοφεῖς. Xenophon. Anab. IV. **3**, **26**. καὶ τὰ μὲν σκευοφόρα τῶν Ἑλλήνων καὶ ὁ ὄχλος ἀκμὴν διέβαινε. Sophocles Antig. **95**. 169

> ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα.

Quae si proprie dicenda fuissent, sic debuissent enunciari: ἀκμὴν εἶχε διαβαίνων: οὐ πρέπει οὐδὲ ἀρχὴν ποιεῖν θηρῶντα τὰ ἀμήχανα. Sed ista in dicendo brevitas ita se in Graecorum sermonem paullatim insinuavit, ut nemo deinde, his formulis utens, unde ortae essent, cogitaret. Quare recte faciunt, qui ἀκμὴν *quum maxime*, et ἀρχὴν *omnino* significare dicunt, modo ne obliviscantur, si opus est, veram harum locutionum originem indicare.

Vnam adhuc classem exemplorum consectabor, quod ea paullo videtur impeditior esse: haec dico, in quibus ὅ, ἅ, τό, ταῦτα, pro δι' ὅ, δι' ἅ, διὰ τοῦτο, διὰ ταῦτα, et similiter etiam ἅπερ, ἅτε, οἷάπερ, οἷά τε dici putant: v. p. **675. 676. 678.** Et sane pronomina ista plerumque adverbiorum loco sunt, sed quaerenti, quo-

modo hoc factum sit, non ellipsis, verum multo planior ratio sese offeret. Initio enim haec quoque pronomina, uti debebant, cum verbo construebantur: ut Iliad. III. 176.

ἀλλὰ τάγ᾽ οὐκ ἐγένοντο· τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα·

id est, *quam ego rem deflens contabesco.* Euripides in Phoen. 268.

170 τὰ μὲν πυλωρῶν κλεῖθρά μ᾽ ἐξεδέξατο
δι᾽ εὐπετείας, τειχέων ἔσω μολεῖν·
ὃ καὶ δέδοικα, μή με δικτύων ἔσω
λαβόντες, οὐ μεθῶσ᾽ ἀναίμακτον χρόα.

id est, *quod ego metuo*, idque iam explicatur, quale sit, sequentibus verbis. Huiusmodi igitur constructionum frequenti usu fieri non potuit, quin pronomen simpliciter *quare* vel *propterea* significare inciperet. Hinc etiam ibi usurpari coepit, ubi verbum cum eo non posset construi: ut apud Theocritum, XIV. 3.

ταῦτ᾽ ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, ἀϋσταλέοι τε κίκιννοι,

in quo loco ἀϋσταλέοι scribendum vidit egregiae indolis iuvenis, Augustus Ferdinandus Naekius.

Caeterum, quod in aliis ellipsium generibus factum vidimus, ut etiam alieni vel corrupti loci ad eas ellipses tuendas adhiberentur, id in hoc quoque genere factum est. Vnum ex his locis, qui Sophoclis est in Philocteta, p. 711. e mala Triclinii emendatione allatum, iam supra explicuimus. In Euripidis Iphig. Aul. 235. p. 719.

καὶ κέρας μὲν ἦν
δεξιὸν πλάτας ἔχων
Φθιώτας, ὁ Μυρμιδόνων Ἄρης,

Musgravii interpretatio, πλάτας pro accusativo habentis, 171 multo certe impeditior est, quam aliorum, qui πλάτας genitivum esse putant. Quos si sequutus esset, Musgravius, neque in Supplic. 659. δεξιὸν τεταγμένους κέρας, neque in Heraclid. 672. λαιὸν ἕστηκεν κέρας per ellipsin praepositionis explicuisset, sed verba τεταγμένους et ἕστηκεν pro simplici verbo ἔχειν vidisset posita esse. Similis,

sed quodammodo tamen diversa permutatio in Rhesi loco est quem adiungit, v. 486.

ἀλλ' εἴτε λαιὸν, εἴτε δεξιὸν κέρας,
εἴτ' ἐν μέσοισι συμμάχοις, πάρεστί σοι
πέλτην ἐρεῖσαι καὶ καταστῆσαι στρατόν,

ubi poeta quum *ἔχειν* vel simile quid in mente habuisset, mox mutat constructionem. Neque Schaeferus p. 680. Sophoclis verba in Aiace v. 516. afferre debebat:

ἡ μοῖρα τὸν φύσαντά με
καθεῖλεν ᾅδου θανασίμους οἰκήτορας,

quomodo nec loquutus quisquam est umquam, nec loqui potuit. Corruptus est iste locus: sed hoc apertum est, verba *θανασίμους οἰκήτορας,* ut alibi docuimus, per appositionem adiecta esse, et de ambobus parentibus dici. Non magis quisquam Graecorum dicere potuit, quod Bosio, cum scholiasta *διὰ* intelligenti, p. 675. dicere visus est Apollonius Rhodius:

ἐπεὶ Φρίξοιο θυηλὰς
στέλλομαι ἀμπλήσων, Ζηνὸς χόλον Αἰολίδῃσιν;

quem locum alia etiam inutili auxit ellipsi Brunckius *ὑπὲρ* 172 ad *Φρίξοιο* intelligendum censens. Interpungi debebat:

ἐπεὶ Φρίξοιο θυηλὰς
στέλλομαι, ἀμπλήσων Ζηνὸς χόλον Αἰολίδῃσιν.

Vulgatam interpunctionem si quis Euripideo versu, qui est in Electra 1270. defensum iret, is graviter falleretur: de quo versu dicetur infra. Peius etiam, si fieri potest, Schwebelius erravit p. 676. ad verba *ἠὲ τόν*, Iliad. XIX. 326. *διὰ* intelligens. Verba poetae haec sunt:

οὐ γάρ κέν τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι,
οὐδ' εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην,
ὅς που νῦν Φθίηφι τέρεν κάτα δάκρυον εἴβει
χήτει τοιοῦδ' υἷος· ὃ δ' ἀλλοδαπῷ ἐνὶ δήμῳ
εἵνεκα ῥιγεδανῆς Ἑλένης Τρωσὶν πολεμίζω·
ἠὲ τόν, ὃς Σκύρῳ μοι ἔνι τρέφεται φίλος υἱός.

Vbi quis non videt, *τὸν* esse positum, quod poeta in mente haberet *ἀποφθίμενον ἀκούσαιμι*?

Ad eamdem classem etiam illa pertinent exempla, quae a quibusdam per appositionem explicantur, quod fecit Matthiae in grammatica Graeca p. 597., quae ratio multo certe verior est et aptior, quam, quo alii utuntur, ellipseos remedium. De ingenti exemplorum, quae congeri possent, copia satis erit pauca considerasse. Homericum illud,

θάνατόν νύ τοι ὅρκι᾽ ἔταμνον,

173 sunt qui omissione praepositionis *εἰς* explicent. At etsi haec cum praepositione dici potuerunt, non est tamen intelligenda praepositio, ubi omissa est: sed diversae prorsus istae locutiones sunt. Recte igitur talia Matthiae sic interpretatur: *ὅρκια ἔταμνον, ἅ ἐστί σοι θάνατος.* Sed dicendum est etiam, qui factum sit, ut sic loquerentur. Clarum vero est, duo in his verbis latere, unum *ὅρκια ἔταμνον,* alterum *θάνατόν σοι κατεσκεύασα,* quod ultimum quia factum erat feriendo foedere, utrumque in unam locutionem confusum est, *θάνατόν τοι ὅρκι᾽ ἔταμνον.* Sic in illo:

οὔτι ψεῦδος ἐμὰς ἄτας κατέλεξας,

id est, *οὔτι ψεῦδος ἔλεξας, ἐμὰς ἄτας καταλέγων.* Aeschylus in Agam. v. 233.

ἔτλα δ᾽ οὖν θυτὴρ γενέσθαι θυγατρός,
γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγάν,
καὶ προτέλεια ναῶν,

id est, *ἔτλα ἀρωγὰν πολέμων καὶ προτέλεια ναῶν παρασκευάσαι, θυτὴρ γενόμενος θυγατρός.* Euripides Hecub. 866.

ἢν δ᾽ ἐξ ᾽Αχαιῶν θόρυβος ἢ ᾽πικουρία,
πάσχοντος ἀνδρὸς Θρῃκὸς οἷα πείσεται,
φανῇ τις, εἶργε, μὴ δοκῶν ἐμὴν χάριν.

Ibidem v. 885.

καλεῖ σ᾽ ἄνασσα δήποτ᾽ ᾽Ιλίου
῾Εκάβη, σὸν οὐκ ἔλασσον ἢ κείνης χρέος.

Ibidem v. 971.

174 *τί χρῆμ᾽ ἐπέμψω τὸν ἐμὸν ἐκ δόμων πόδα;*

Et in Electra v. 1269.

> Ἀλιῤῥόθιον ὅτ' ἔκταν' ὠμόφρων Ἄρης,
> μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων

ubi μῆνιν idem est, quod μήνιμα, ut apud Aeschylum in Eumen. 234. et apud Plutarchum in amatoriis narrationibus p. 773. B. Homerus:

> ὣς οἳ μὲν μάρναντο δέμας πυρὸς αἰθομένοιο.

Eodem modo δίκην usurpatur, et τρόπον et δωρεάν, et προῖκα, et ὄναρ, et τέλος, et πέρας, et aliquot alia nomina, atque apud Latinos nomen *instar*. Paullo alia ratio est loci Sophoclei in Aiace v. 172.

> ἦ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις
> ὥρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας,
> ἤ πού τινος νίκας ἀκάρπωτον χάριν,
> ἦρα κλυτῶν ἐνάρων,
> ψευσθεῖσ', ἀδώροις εἴτ' ἐλαφηβολίαις·
> ὁ χαλκοθώραξ ἤ τιν' Ἐνυάλιος
> μομφὰν ἔχων
> ξυνοῦ δορός, ἐννυχίοις μαχαναῖς
> ἐτίσατο λωβάν;

Ita hic locus scribendus videtur *): male vulgo ἤ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευσθεῖσα δώροις, et ἢ χαλκοθώραξ: quorum ψευσθεῖσ', ἀδώροις emendatio est Musgravii. Sed etiam ἤ ῥα, ut inusitatum, tolli debebat. Ἦρα κλυτῶν ἐνάρων est idem quod χάριν, ut ἦρα φιλοξενίης e Valckenarii emendatione in Callimachi fragm. 41. Johnsonus 175 scribendum putabat ἀκαρπώτου. Ita χάριν dictum esset, ut in locis supra allatis, de praemio, quo Diana Aiacem esset remunerata. Quod servato ἀκάρπωτον fieri nequit, ubi χάριν poeta dicit de praemio ab Aiace non dato Dianae. Nam enallage, quam fingit Musgravius, admitti non potest: quam figuram omnino operae pretium faceret qui arctioribus finibus circumscriberet. Quod si ἦρα κλυ-

---

*) Vide quae in editione Aiacis adnotavi.

τῶν ἐνάρων scribitur, nihil relictum est difficultatis. Iam enim ψευσθεῖσα νίκας ἀκάρπωτον χάριν iungitur, id est, *defraudata fructu victoriae*, et quidem ἦρα κλυτῶν ἐνάρων, *ob spolia ab Aiace auxilio deae relata.* Ita Xenophon Anab. II. 2, 13. ἐπεὶ γὰρ ἡμέρα ἐγένετο, ἐπορεύοντο ἐν δεξιᾷ ἔχοντες τὸν ἥλιον, λογιζόμενοι ἥξειν ἅμα ἡλίῳ δύνοντι εἰς κώμας τῆς Βαβυλωνίας χώρας· καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἐψεύσθησαν. Hic quoque duae locutiones mixtae sunt, una ψευσθεῖσα et οὐκ ἐψεύσθησαν, altera ἐψεύσατο χάριν et οὐκ ἐψεύσαντο τοῦτο.

Iam denique secundam videamus accusativi adhibendi formam, quae non est in commutatione diversarum locutionum, sed in aposiopesi. Huius generis nescio an vix aliud possit exemplum proferri, quam γνώμην ἐμήν, commemoratum p. 719. Aristophanes in Pace v. 232.

> ἀλλ᾽ εἶμι· καὶ γὰρ ἐξιέναι, γνώμην ἐμήν,
> μέλλει.

176 Idem in Ecclesiazusis v. 348.

> A. τί δῆτ᾽ ἂν εἴη; μῶν ἐπ᾽ ἄριστον γυνὴ
> κέκληκεν αὐτὴν τῶν φίλων; B. γνώμην γ᾽ ἐμήν.

Et in Vespis 983.

> ἐγὼ γὰρ ἀπεδάκρυσα νῦν. γνώμην ἐμήν,
> οὐδ᾽ ἄν ποτέ γ᾽ ἀλλ᾽ ἢ τῆς φακῆς πεπλησμένος.

Quid vero? num hanc solam de tot praepositionum ellipsibus, quas ostendimus temere fictas fuisse, admittemus? Immo tantum abest, ut hic commode videatur κατὰ intelligi posse, ut si κατὰ adiiciatur, sensus longe alius evasurus sit: quemadmodum apud Euripidem in Andromacha v. 738.

> ὅταν δὲ τἀκεῖ θῶ κατὰ γνώμην ἐμήν,
> ἥξω.

Quo magis adducor, ut γνώμην ἐμὴν per aposiopesin dici putem pro γνώμην ἐμὴν λέγειν, *ut dicam, quod sentio.* Nam etiam alibi similis invenitur aposiopesis, ut apud Aristophanem in Avibus v. 274.

οὗτος, ὦ σέ τοι.

Et apud Sophoclem in Antigona v. 441.

σὲ δή, σὲ τὴν νεύουσαν ἐς πέδον κάρα,
φής, ἢ καταρνεῖ μὴ δεδρακέναι τάδε;

Erunt fortasse, qui simile perfugium quaerendum putent in participiis *ἐξόν, παρόν, δόξαν, εἰρημένον, ἀρξάμενον*, et quae sunt huiusmodi alia. Haec vero magnopere vereor, ne non accusativo casu, quod Bosio, pessime 177 praepositionem *μετὰ* p. 729. 730. intelligenti, videtur, sed, ut iam ad Vigerium significavi, nominativo dicantur. Nam accusativus neque explicationem habet facilem, nec certa, quod sciam, testimoniorum fide nititur: quod secus est in nominativo. Est enim in hisce locutionibus, ut equidem existimo, non tam permixtio quaedam diversorum loquendi modorum, quam transitio ab alio ad alium, altero abrupto. Euripides Phoen. 290.

μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
μαντεῖα σεμνά, Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας,
ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν.

Volebat poeta dicere, *μέλλων με μέμπειν Οἰδίπου γόνος ἐπεστρατεύθη*, sed abrumpit priorem constructionem, et infert aliam. Sophocles in Oed. Col. 1119.

ὦ ξεῖνε, μὴ θαύμαζε πρὸς τὸ λιπαρές,
τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μηκύνω λόγον·

quum dicere vellet *εἰ τέκνα ἀέλπτως φανέντα μηκύνειν με ποιεῖ λόγον.* Quae ratio loquendi quum coepisset par haberi, ac si *τέκνων φανέντων* diceretur, factum est, ut in quibusdam maxime participiis etiam ubi non posset sic, ut initio, explicari, brevitatis caussa usurparetur. Euripides Heraclid. 6.

ἐγὼ γὰρ αἰδοῖ, καὶ τὸ συγγενὲς σέβων,
ἐξὸν κατ' Ἄργος ἡσυχῶς ναίειν, πόνων
πλείστων μετέσχον εἷς ἀνὴρ Ἡρακλέει.

178 *XII. De ellipsi adverbiorum et coniunctionum.*

Praepositionum ellipses nullas esse vidimus. Dicatur nunc de ellipsi adverbiorum et coniunctionum, in quo genere nescias profecto, quid sentiendum esse dicas de his, qui hic quoque, ubi vel sensus communis ellipsin spernit, tam putidum adminiculum adhibere non dubitaverint. Pleraeque omnes harum ellipsium eiusmodi sunt, ut eas non praeterire me pudeat. Nam nisi factum esset, vix credi posset exstitisse, qui v. c. *πλησιάζειν γυναικί*, aut *Tityre* non putarent dici posse, nisi *ἐρωτικῶς* et *ο* intelligeretur. Qui si cogitassent, adverbia coniunctionesque proprietatibus quibusdam et sententiarum inter se consociationibus ac dissociationibus indicandis inservire, quae nisi disertim verbis expressae vel propterea intelligi nequeant, quod, si ellipsi locus esset, etiam aliena intelligi possent: numquam adeo absonam opinionem essent amplexi, ut voculas, quarum omissio longe aliter quam adiectio sententias conformat, per ellipsin negligi potuisse crederent *). Sunt tamen nonnullae harum particularum, quae quum etiam praestantissimis viris fraudem fecerint, diligentius considerandae videntur. Eas particulas ordine eo, qui est in Bosii libro, commemorabimus.

179 Ac primo quo tandem iure *ἄλλοτε* existimabimus omissum esse in talibus locis, qualis hic est Euripidis versus,

κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ?

Vbi quid impedit, ne quis malit *ἐνίοτε* intelligere, aut ne putet ita dici pro *κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, οὐκ ἀεί, ἀλλ' ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ?* Quod si sapimus, fatebimur nihil esse omissum, sed Polydorum, postquam universe dixerat se proiectum esse in littore, accuratius describendae rei caussa deinde adiicere *ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ.* Neque ulla est lingua, quin eodem modo haec enunciare soleat.

---

*) Vide adnotata ad Sophoclis Ai. 1133.

Non meliora sunt, quae de omissione particulae ἂν traduntur, ex parte iam a Schaefero notata, quem quidem hic maxime speraveram multa e doctrinae suae thesauris largiturum esse. Equidem satis habeo breviter indicasse, quod longioris est disputationis, particulam ἂν ab antiquis sic esse usurpatam, ut nihil ad verbi modum pertineret. Quare sicubi optativus vel coniunctivus vel etiam indicativus invenitur ea particula destitutus, ita est existimandum, hanc particulam non esse additam; non etiam, omissam esse *).

Multo peius ἐὰν etiam cum soloecismo intelligendum putavit Schoetgenius in huiusmodi exemplis: *δοῦλος ἐκλήθης· μή σοι μελέτω*: I. Cor. VII. 21. ubi recte quidem monet Schaeferus, non opus esse ellipsi, si priora verba 180 per interrogationem dicta accipiantur: sed ne hoc quidem necesse est, quia etiam quum sine interrogatione proferuntur, statim apparet, rem sumi tantummodo ut actam, non ut re vera actam referri. Atque hic quoque usus communis est omnium linguarum.

Ob aliam caussam e numero ellipsium eximendum est hoc, *γόνυ κνήμης*, ubi *ἔγγιον* non per ellipsin, sed per aposiopesin omittitur: quod frequens esse in proverbiis supra observavimus.

Neque ulla est particulae *ἕως* ellipsis in hoc exemplo, *μείναντες ἀπολῆξαι τὸ κλυδώνιον*, quia infinitivus solus per se significat *ut aliquid fiat*, quod ubi de exspectando sermo est, sponte apparet tantumdem esse ac *donec aliquid fiat*.

Speciosior, nec tamen vera ellipsis est particulae *ἤ*, ut in his: *οὐ πλέον τῆς πόλεως σταδίους ἀπέχοντα ἑπτά· ἔτη γεγονὼς πλείω ἑβδομήκοντα.* At hic tantum abest ut *ἢ* omissum sit, ut magis praegressi nominis genitivus

---

*) De huius particulae omissione dictum est in dissertatione de ea particula, quae scripta est editioni Britannicae Thesauri Stephaniani. Ac nullam esse huius particulae ellipsin vel ex eo patet, quod omissio eius mutat sententiae rationem.

mente repeti debeat: *σταδίους ἀπέχοντα οὐ πλέον ἑπτὰ σταδίων· ἔτη γεγονὼς πλείω ἑβδομήκοντα ἐτῶν.* Neque in illo ellipsis est, *ἐλείπετο οὐδὲν ἔτι αὐτὴν φονεύεσθαι,* quia solus per se infinitivus significat *ad pereundum.* Parum differt ab hoc loco is, quem ex Euripidis Alcestide v. 896. attulit Schaeferus:

181 *τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον, ἁμαρτεῖν*
πιστῆς ἀλόχου;

In quo loco quum recte ellipsin improbaret Schaeferus, non debebat tamen ita eum constituere:

ἔμνησας, ὅ μου φρένας ἥλκωσεν,
(τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον;) ἁμαρτεῖν
πιστῆς ἀλόχου.

Quo modo qui loquutus sit, vereor ut quisquam reperiri queat. Expedita sunt omnia, si sic interpungas:

τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον ἁμαρτεῖν,
πιστῆς ἀλόχου;

ut *πιστῆς ἀλόχου* non ex *ἁμαρτεῖν,* sed e comparativo *μεῖζον* pendeat: *quid enim viro tristius est ad amittendum, quam fida uxor.*

Quid vero dicemus de eo, quod Porsono, viro Graece doctissimo, etiam *ἢν* vel *ὅταν* per ellipsin abesse visum est in hoc Euripidis loco, Hecub. 1018.

ἀλίμενόν τις ὡς ἐς ἄντλον πεσὼν
λέχριος ἐκπέσῃ φίλας καρδίας,
ἀμέρσας βίον.

Tales enim particulae si omitti possunt, nihil profecto usquam est, quod non possit ellipseos ope defendi. Particula *ὡς,* ut apud Homerum *ὥστε,* per se regit coniunctivum, si res non ut facta, sed ut quae fieri possit, narratur:

182 *τοὺς δ', ὥστ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες*
ῥεῖα διακρίνωσιν, ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν.

Neque vera sunt, quae de omissione particulae *ἵνα* p. 764. afferuntur. Loci, qui ibi commemorantur, non

sunt omnes eiusdem generis. Horum quidam Schaefero structuram habere videntur soloecam, aut quae speciem certe soloecismi prae se ferat. Epigr. incerti poetae **249**.

Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;

Lucian. T. III. p. **250**. *ἢ ἐθέλεις ἐγὼ αὐτὸς ἐπάνειμι ἐς τὸ πλοῖον;* et p. **265**. *ἢ ἐθέλεις καταριθμήσομαί σοι.* At nihil hic soloecismi est. Sensus est: *visne? ipse conscendam: visne? enumerabo tibi:* id est, *si vis, enumerabo.* Scriptor epigrammatis pro futuro posuit praesens. Eodem modo nos loquimur: *willst du? so gehen wir vor gericht.*

Alterum genus locorum tale est: Anacreon XII.

τί σοι θέλεις ποιήσω;

Euripides Phoen. **734**.

βούλει τράπωμαι δῆθ᾽ ὁδοὺς ἄλλας τινάς;

Homerus Iliad. **VI. 340**.

ἀλλ᾽ ἄγε νῦν ἐπίμεινον, ἀρήϊα τεύχεα δύω.

Idem **XXIII. 71**.

θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.

Hic in Anacreontis et Euripidis versibus nihil est difficultatis. Sunt enim hic quoque duae coniunctae diversae locutiones, una, *τί σοι θέλεις ποιῆσαί με; βούλει τρέπεσθαί με ἄλλας ὁδούς;* quibus abruptis adiicitur coniunctivus deliberantis, *ποιήσω, τράπωμαι.* Eodem prorsus modo Latini: *quid vis faciam?* Obiter hoc adiicio, caussam, quare Graeci dicant *ἴωμεν, eamus,* et similia, non etiam *ἴητε, ἴωσιν,* eamdem coniunctivi significationem esse, quam tetigi. Nam proprie *ἴωμεν* est deliberantium an eant. Atqui quid nos agere oporteat, deliberare possumus: alii autem quid agere debeant quum deliberamus, aut ea frustra est deliberatio, aut id rursum quaerimus, quid nos ab illis agi velimus. Quare quum eos hortamur, non amplius coniunctivo, sed aut imperativo, aut optativo locus est. Sed redeo ad omissum *ἵνα.* Ne Homeri quidem versus aliter, quam ipso illo coniun- 183

ctivi usu explicandi sunt. Orta est enim ista ratio loquendi e pari deliberatione, ut si dicas, *βούλει τεύχεα δύω; ἐπίμεινον τοίνυν· βούλει πύλας Ἀΐδαο περήσω; θάπτε με ὅτι τάχιστα.* Eodem modo nos: *warte, soll ich die waffen anlegen: begrabe mich, soll ich in die unterwelt gelangen* *).

Non possum, quin paucis attingam ellipsin particulae *καί*, quam quidam admisisse videntur, ubi *εἰ* est *etiamsi.* At ne haec quidem ellipsis est. Nam *εἰ* non potest aliter pro *etiamsi* dici, quam quum res vix credibilis commemoratur, ubi apertum est, *εἰ* propriam suam vim retinere, quia, quum res ista numquam futura sit, recte potest per simplicem conditionis significationem indicari. Aristophanes in Vespis v. 298.

οὐκ ἄν, μὰ τὸν Δί', εἰ κρέμοισθέ γ' ὑμεῖς.

Quare graviter erravit Brunckius *εἰ tametsi* interpretans apud Sophoclem in Aiace, v. 562.

τοῖον πυλωρὸν φύλακα Τεῦκρον ἀμφί σοι
λείψω, τροφῆς ἄοκνον ἔμπακ', εἰ τανῦν
τηλωπὸς οἰχνεῖ, δυςμενῶν θήραν ἔχων.

Suidae ed. Mediol. in v. *τηλωπός: κἂ νῦν τηλωπὸς οἰχνεῖ.* Scholia Romana: *κ' εἰτανῦν καὶ εἰ ἔκδημος νῦν ἐστι.* Liberabimus ergo Graecam linguam inaudito vocabulo *ἔμπαξ*, et scribemus:

τοῖον πυλωρὸν φύλακα Τεῦκρον ἀμφί σοι
λείψω, τροφῆς ἄοκνον ἔμπα, κεἰ τανῦν
τηλωπὸς οἰχνεῖ, δυςμενῶν θήραν ἔχων.

Accedimus ad ellipsin omnium maxime speciosam, quae est adverbii *μᾶλλον*. Homerus:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Quid vero? Qui in huiusmodi exemplis *μᾶλλον* omissum esse putant, num hi cogitarunt, quid lucri fiat, si *μᾶλλον* addatur? Nam quae eo omisso difficultas est, ea addito non tollitur, quandoquidem non illud obscurum est, qui

*) Plurima exempla congessit Elmsleius ad Med. 1242.

μᾶλλον omitti, sed qui ἢ ad comparationem adhiberi possit, quod non magis clarum est adiecto *μᾶλλον*. In aliis quidem linguis, ut in Latina et Germanica, compa- 185 rationum ratio est facillima, quod hae particulis utuntur similitudinem indicantibus, *quam*, *ac*, *atque*, *als*, *wie*, *alswie:* quibus Germanica addit *denn*, quod est *deinde*, quo id, quicum aliquid comparatur, illo significatur posterius esse. Longe ab his comparandi modis discedit Graeca lingua, quae quum particula ἢ utatur, cuius multae aliae, eaeque variae significationes sunt, id ipsum ante omnia quaerendum est, quo significatu haec particula comparationi inserviat. Quemadmodum *μὲν* et *μὴν*, *δὲ* et *δὴ* paullatim discerni coeperunt, quum initio utrumque una particula fuisset, *μὴν* et *δή*, ita ἢ nihil aliud est quam ἦ, mutato cum significatione accentu. Illud ἦ proprie significabat *profecto:*

ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες.

Manente hoc significatu in interrogationibus usurpari incipiebat:

ἦ ῥά νύ μοί τι πίθοιο;

Leniter hinc deflexit significatio, ut indicaret *an forte:*

τίπτ' αὖτ', αἰγιόχοιο Διὸς τέκος, εἰλήλουθας;
ἦ ἵνα ὕβριν ἴδῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο;

Eodem modo nos in his tribus exemplis eam particulam nostra *wohl* exprimeremus, in tertio exemplo etiam per *etwa*. Haec dubitantis interrogationis significatio traducta est deinde etiam ad alias formulas, ut *πότερον*, ἤ, ubi Latini *an*, nos longius a Graecis recedentes *oder* dici- 186 mus. Indidem talia sunt, ut

ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι,

id est *sive*, *sive*. Neque ἠδέ, *et* significans, aliam habet originem; quod initio erat *vel etiam*. Sed nudum ἢ quum esset *an forte*, mox etiam *vel* et *aut* significare coepit,

ἢ τεόν, ἢ Αἴαντος,

quia hoc ipsum est dubitantis, et quasi semet, utrum hoc,

an illud malit interrogantis. Itaque multo usu factum est, ut ἢ simpliciter *aut* significaret, et ibi quoque usurparetur, ubi omnis interrogatio abesset:

τεθναίης ὦ Προῖτ᾽, ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην.

Iam vero unde est, quod hanc particulam significare volunt *quam?* Verum est, eam sic esse interpretandam, quum Latine loquimur: falsum est autem, hanc significationem inesse huic particulae. Nam praeterquam, quod nihil inter se commune aut cognatum habent harum particularum significationes, ne opus quidem est, ut, quum ἢ *quam* notare videtur, a propria eius potestate discedamus. Commode enim ea etiam in comparatione locum habet:

ἦτοι βέλτερόν ἐστι, κατ᾽ οὔρεα θῆρας ἐναίρειν,
ἀγροτέρας τ᾽ ἐλάφους, ἢ κρείσσοσιν ἶφι μάχεσθαι.

id est proprie: *melius sane est, feras occidere: an* 187 *forte dimicare cum fortibus melius est?* Confirmat hanc interpretationem formula, quam Latini a Graecis acceperunt, rectius ea utentibus: πρόθυμος μᾶλλον, ἢ σοφωτέρα. Nam Latini si accurate loquerentur, dicere deberent, *studiosior*, *quam prudens*, non *studiosior*, *quam prudentior.* Graeci contra recte sic loquuntur, quippe hoc dicentes: *studiosior: an prudentior?* Haec si recte disputavimus, nulla est ellipsis in talibus locis, ut

ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺς
Τρωσὶν δὴ βόλεται δοῦναι κράτος, ἠέπερ ἡμῖν.

Nam id proprie sic dictum est: *Juppiter Troianorum vult victoriam esse: an ille eam esse nostram vult?* Quod quid est aliud, quam, *magis ille Troianis*, *quam nobis favet.* Obiter moneo, veteres in hac maxime formula, βούλεσθαι ἤ, sic esse loquutos; in aliis, perspicuitatis caussa, μᾶλλον adiecisse; recentiores autem, communem usum deserere amantes, ad antiquam formam interdum rediisse. Thucydidis quidem locus, quem Bosius p. 770. affert, non invenitur eo, quem hic indicavit loco, sed si lib. II. cap. 89. spectavit, negligenter inspexit Thucydidem, apud quem sic legitur: ἀντίπαλοι

μὲν γάρ, ὥςπερ οὗτοι, τῇ δυνάμει τὸ πλέον πίσυνοι, ἢ τῇ γνώμῃ ἐπέρχονται. Sed nondum licet nobis hanc ellipsin dimittere. Cur enim, inquient ellipsium defensores, Graecis eripiamus hanc ellipsin, Latinis concedamus, apud quos *quam* eiusmodi est, ut, nisi *magis* in- 188 telligatur, sensus longe alius evadat: veluti apud Plautum in Rudente IV. 4, 70.

> *eo tacent, quia tacita mulier semper quam loquens bonast.*

Ita quidem Reizius edidit, quum antea verba hoc ordine legerentur: *eo tacent, quia tacita bonast mulier semper quam loquens.* Nolo lites de hoc versu movere, quem sane mireris non esse sic a Plauto scriptum:

> *eo tacent, quia tacita melior mulier semper quam loquens.*

Scripserit igitur Plautus, *tacita mulier quam loquens bona est.* Hoc, inquient, nisi ellipsin adhibeas, quid est aliud, quam, quod poeta dicere noluit, *tacita mulier tam est bona, quam loquens.* Equidem ad haec non dubitem respondere, quum frequentissimus sit apud Latinos particulae *quam* usus in comparatione inaequalium, eo usu factum esse, ut *quam* etiam solum per se significaret *magis quam.* In quam rem certe e Graeco sermone illustre exemplum habemus particulam *πρίν,* quae quum proprie sic esset usurpanda, ut *πρὶν ἤ* diceretur, paullatim factum est, ut *πρὶν* etiam nunc pro *ἤ* usurparetur:

> *μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι, καὶ ἔπι κνέφας ἐλθεῖν,*
> *πρίν με καταπρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον,*

nunc pro *πρὶν ἤ:* 189

> *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν.*

Vtrumque prorsus eodem modo fit apud nos in particulis *eher* vel *ehe*, et *bevor.*

In eodem adverbio *μᾶλλον* gravius etiam erravit Leisnerus p. 771. *μᾶλλον ἤ* omitti putans, ubi positivum nomen infinitivo iungitur, sic, ut aliquid nimium esse in-

dicetur, quam ad certum finem necesse est, ut apud Xenophontem Mem. Socr. III. 13, 3. *ἀλλὰ ψυχρόν, ἔφη, ὥστε λούσασθαι, ἐστίν.* Confugit in huiusmodi exemplis etiam Wyttenbachius ad ellipsin in Bibl. crit. III. 2. p. 65., commemoratus a Schaefero et hic, et p. 212., ubi plura de hoc loquendi modo allata sunt. Nulla hic ellipsis est, sive positivum, sive comparativum, sive superlativum sit nomen. Nam haec locutio sic debet intelligi, ut istud nomen, in quo inest comparatio, tali vocis conformatione pronunciari putetur, quae dubitationem loquentis exprimat Nemo enim non sentiet, aliud esse utrum *aqua frigida ad lavandum* sic dicatur, ut vocabulum *frigida* non aliter, quam reliqua pronuncietur, an idem vocabulum gravius et cum quadam haesitatione proferatur, cuius haec vis est, ut indicetur, satis frigidam dici, quam qua quis lavari velit.

Non magis, ubi *μᾶλλον* post *ὅσῳ* abest, ea esse 190 ellipsis putanda est: nt apud Thucydidem VI. 89. (non 86.) *ἐπεὶ δημοκρατίαν γε καὶ ἐγιγνώσκομεν οἱ φρονοῦντές τι, καὶ αὐτὸς οὐδενὸς ἂν χεῖρον, ὅσῳ καὶ λοιδορήσαιμι.* Nam, ut supra ostendimus, ea non est ellipsis, quum vocabulum iam antea positum ob id ipsum bis poni detrectatur. Atqui *μᾶλλον* in omni comparativo inest, ita ut *χεῖρον* in Thucydidis loco sit *μᾶλλον κακῶς.* Ex eodem genere est omissio abverbiorum *οὐδέ* et *οὔτε*, alia sequente negatione: de qua re explicuit Schaeferus p. 777. Nam haec longe alia figura est, quam ellipsis.

Ellipsin particulae *ὅτι* ne commemorarem quidem, nisi vererer, ne quem H. Stephani auctoritas in errorem implicaret: qui quum eam particulam omissam crederet in hoc Thucydidis loco, V. 61. *καὶ προςβολὰς ἐποιοῦντο, βουλόμενοι ἄλλως τε προςγενέσθαι σφίσι, καὶ ὅμηροι ἐκ τῆς Ἀρκαδίας ἦσαν αὐτόθι ὑπὸ Λακεδαιμονίων κείμενοι,* non animadvertit, Thucydidem, quod is facit saepissime, quum ante ex aliena sententia locutus esset, ex sua ipsius sententia loqui pergere. Maiore cum specie afferri potuissent tales loci, quales Matthiae in

Graeca grammatica p. 756. protulit, ut Sophoclis in Philoct. v. 615.

εὐθέως ὑπέσχετο
τὸν ἄνδρ' Ἀχαιοῖς τόνδε δηλώσειν ἄγων·
οἴοιτο μὲν μάλισθ', ἑκούσιον λαβών,
εἰ μὴ θέλοι δ', ἄκοντα.

Verum ne in his quidem ulla ellipsis est, quia optativus 191 per se index est alienae sententiae.

Progredimur denique ad ellipsin particularum ὡς et ὥστε, in quibus dici vix potest, quantum a vero viri docti aberraverint. Ac primo quum in comparatione omitti putant ὡς, tantum abest, ut ea particula omittatur, ut, ubi iis videtur omissa, ne addi quidem potuerit. Vt in isto Aristophanis loco,

σὺ δ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖς,

non hic est sensus, *tu tamquam Aristyllus hians dices*, sed *ipse eris*, *quum id facies*, *Aristyllus*. Sic, praeter Homerica, in caeteris quoque exemplis, de quibus pudet quidquam adiicere. Miror, quod Schaeferus et hic et ad Longum in talibus, ut τοῖς τοξεύμασιν ἐχρῶντο ἀκοντίοις, ellipsin admiserit. Nam quid omissum putabimus, si eadem res ita dicatur: τὰ τοξεύματα αὐτοῖς ἀκόντια ἦν? An hic quoque ὡς erit intelligendum? Credent hoc fortasse, et credant, per me licet, qui φασί, vel ἐμοὶ δοκεῖ, mediae orationi inserta, non putant nisi advocato ὡς stare posse.

Sed videamus nunc ὡς et ὥστε infinitivo iuncta, quod ita est usitatum, ut infinitivus his particulis carens ex earum ellipsi pendere omnibus videatur. Adeone vero doctos homines non cogitasse, quid agerent, ut etiam, quae facillima sunt, per difficiliora explicare conarentur? Nam 192 quae haec dementia est, si tibi difficile videatur, συνελόντι εἰπεῖν, vel

αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι,
πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν,

a particulis ὡς et ὥστε auxilium petere, quae nec magis,

quam ulla alia particula, infinitivum regant, et ipsae quid hic sibi velint, a te explicari postulent? Hoc scilicet totum est illud ellipseos mysterium, per ellipsin omissa dicere, quae alibi addi videas, sive tu scias, quorsum addantur, sive nescias. Ingrediamur nos aliam viam. Atque haec duo iure nostro, ut certa, sumemus: unum, infinitivum in Graeco sermone per se significare finem, ad quem quid fiat; alterum, neque ὥς, neque ὥστε infinitivum regere. Iam quo intelligas, quid ὥς, vel ὥςτε, quod nihil est nisi *ut forte*, sibi velit, nihil opus est, nisi ut memineris similium formularum. Xenophon Anab. I. 6, 8. *ὁ δὲ ἀπεκρίνατο, ὅτι οὐδ' εἰ γενοίμην, ὦ Κῦρε, σοί γ' ἂν ἔτι ποτὲ δόξαιμι.* Idem Cyrop. IV. 3, 15. *ἀλλ' ἐγὼ μέν, ἔφη, οὕτως ἐπιθυμῶ ἱππεύειν μαθεῖν, ὡς νομίζω, ἢν ἱππεὺς γένωμαι, ἄνθρωπος πτηνὸς γενέσθαι.* Euripides Iph. Taur. 1211.

οἶσθα νῦν ἅ μοι γενέσθω.

Sophocles Oed. R. 543.

οἶσθ' ὡς ποίησον.

Aeschylus Pers. 187.

193 *τούτω στάσιν τίν' ὡς ἐγὼ 'δόκουν ὁρᾶν*
τεύχειν ἐν ἀλλήλησι,

de qua formula, in qua haeserat Reizius, (vide ad Vigerum p. 737.) docte disseruit Erfurdtius ad Sophoclis Antig. 732. Herodotus IX. 42. *ἤδεσθε τούτου εἵνεκα, ὡς περιεσομένους ἡμέας Ἑλλήνων.* Hae constructiones omnes quid aliud quam duarum locutionum in unam coniunctione natae sunt? Xenophon sic incipiebat, ac si dicturus esset, *ὅτι οὐδ' εἰ γένοιτο, ἐκείνῳ γ' ἂν ἔτι δόξειεν.* Euripides, tamquam si, *οἶσθα νῦν, ἅ μοι γενέσθαι χρή.* Sophocles, ut si, *οἶσθ' ὡς ποιητέον ἐστίν;* Aeschylus, veluti scripturus, *τούτω στάσιν τίν', ὡς ἐγὼ 'δόκουν ὁρᾶν, ἔτευχον ἐν ἀλλήλησιν.* Herodotus denique, ut qui dicturus esset, *ἤδεσθε τούτου εἵνεκα, ὡς περιεσόμεθα ἡμεῖς Ἑλλήνων.* Indidem est, quod etiam Matthiae in Graeca grammatica observavit, usus indicativi

post praeterita, ubi *ὅτι* vel *ὡς* optativum exigebat: ut apud Thucydidem II. 8. *ἡ δὲ εὔνοια παρὰ πολὺ ἐπήει τῶν ἀνθρώπων εἰς τοὺς Λακεδαιμονίους, ἄλλως τε καὶ προειπόντων, ὅτι τὴν Ἑλλάδα ἐλευθεροῦσιν.* Neque alia constructio est, quum *ὡς* idem fere est atque *γάρ*, aut quum *ὥστε* significat *quare*, ut apud Xenophontem Anab. II. 4, 5. *καὶ ἅμα ταῦτα ποιούντων ἡμῶν εὐθὺς Ἀριαῖος ἀφεστήξει· ὥςτε φίλος ἡμῖν οὐδεὶς λελείψεται, ἀλλὰ καὶ οἱ πρόσθεν ὄντες, πολέμιοι ἡμῖν ἔσονται.* Incipit enim, 194 ac si velit pergere: *ὡς φίλος ἡμῖν οὐδεὶς λειφθῇ, ἀλλὰ καὶ οἱ πρόσθεν ὄντες, πολέμιοι ἡμῖν γένωνται.* Eodemque talia pertinent, ut apud Sophoclem in Trach. 1182.

ὡς πρός τι πίστιν τήνδ' ἄγαν ἐπιστρέφεις;

et v. 1192.

οἶδ' ὡς θυτήρ γε πολλὰ δὴ σταθεὶς ἄνω,

quod sic est dictum, ut si voluisset haec ita enunciare: *οἶδα, ὡς χρὴ τὸν πολλὰ ἄνω σταθέντα θυτῆρα.* Haec qui meminerit, non mirabitur, quid sit, quod saepe, maxime apud historicos, coniunctivus cum particulis *ὅπως, ὡς, ἵνα, μή,* post praeterita pro optativo inveniatur. Iam igitur eodem modo etiam *ὡς* et *ὥστε* ante infinitivum debet explicari. Ita *ὡς συνελόντι εἰπεῖν* e duabus compositum est locutionibus, una, *ὡς συνελὼν εἴπω,* altera *συνελόντι εἰπεῖν.* Et quod est apud Sophoclem in Philoct. 656.

ἆρ' ἔστιν ὥςτε κἄγγυθεν θέαν λαβεῖν,
καὶ βαστάσαι με, προςκύσαι θ', ὥςπερ θεῶν;

ubi altera est constructio, *ἆρ' ἔστιν ἔγγυθεν θέαν λαβεῖν;* altera, *ἆρ' ἔστιν ὡς ἔγγυθεν ἂν θέαν λάβοιμι;* In Trachiniis v. 371.

καὶ ταῦτα πολλοὶ πρὸς μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ ξυνεξήκουον ὡςαύτως ἐμοί,
ὥςτ' ἐξελέγχειν·

ubi pariter una constructio est, *ἐξελέγχειν αὐτούς*; altera, *ὡς ἂν ἐξελέγχειν αὐτοὺς δύναιο.* Hoc si reputasset 195

Schaeferus, maluisset, opinor, p. 784. dicere, in quibusdam locutionibus raro inveniri ὥςτε, in aliis plerumque addi, quam reperiri ubi non desideres, (desideratur enim nusquam) interdum autem paullo durius deesse. In quam rem quod Herodoti loco I. 13. utitur, valde miror. Ibi sic scriptum est: *συνέβησαν ἐς τωὐτὸ οἵ τε τοῦ Γύγεω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοί, ἢν μὲν δὴ τὸ χρηστήριον ἀνέλῃ μιν βασιλέα εἶναι Λυδῶν, τόνδε βασιλεύειν· ἢν δὲ μή, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν.* Nam hic eo minus mirum est, nudum positum esse infinitivum, quod *συνέβησαν* idem est atque *ἔγνωσαν*, *decreverunt.* Sed ut uno quasi ictu istam ellipsin particulae *ὥςτε* evertam, quid habebunt, qui eam tuentur, quo explicent tales locos, qualis hic est Stephani Byzantini in v. *Τρεμιθοῦς*: *φασὶ δ' ὅτι, ἐπιβάσης Ἀφροδίτης εἰς τὸν τόπον, διὰ τὴν παρουσίαν τῆς δαίμονος ὑπὸ τρόμου διασαλευθῆναι· διὸ καὶ Τρεμιθοῦντα κληθῆναι.* An etiam in hoc versu,

φαντί νιν Ἡρακλῆϊ βίαν καὶ κάρτος ἐρίσδεν,

ὅτι intelligendum putabunt? Parum differt a Stephani loco hoc Sophoclis in initio Antigonae:

ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

196 Caeterum Graeci similiter etiam alias particulas construunt, ut *ἐπεὶ* et *πλήν*: Sophocles in Electra v. 352.

ἐπεὶ δίδαξον.

Et in Trach. 41.

πλὴν ἐμοὶ πικρὰς
ὠδῖνας αὐτοῦ προςβαλὼν ἀποίχεται.

Sic ibi scribendum.

Sed dictum est satis de ellipsi. Neque enim, quae in Bosii libro de ellipsi plurium verborum adiecta sunt, attingi a nobis quisquam cupiet, quorum maxima pars manifesto ad aposiopesin pertineat, reliqua autem tam sint inepta, ut nemini, qui sana ratione utatur, placere

possint. Caeterum quod omnem nostram disputationem in his scriptoribus, qui profani vocantur, consistere voluimus, haec caussa est, quod sacros Christianorum libros, cereos flecti quorumdam artibus, neque iuris nostri videbatur attingere, nec scientiae. Quod si qui forte erunt theologi, qui nos aliquid veri dixisse iudicent, hos viam speramus inventuros esse, qua etiam apostolorum sermo ab istis ellipsium sordibus liberetur.

XIII. De pleonasmo.

Transgrediamur ab ellipsi ad pleonasmum, cuius explicatio aliquanto, quam ellipseos, facilior est: non modo quod omnino minor est in pleonasmo obscuritas, sed etiam, quod, quum ellipsi fere contrarius sit pleo- 197 nasmus, ellipseos expositio ultro ostendit, quae pleonasmi sit ratio. Demonstravimus autem ellipsin esse omissionem vocabuli, ad grammaticam quidem constructionem necessarii, sed usu ita deesse soliti, ut sponte intelligatur. Quod si contrarius est ellipsi pleonasmus, pleonasmum necesse est in adiectione vocabuli positum esse, quod tametsi ad grammaticam rationem nihil conferat, ex usu sic addatur, ut prorsus abundet, id est, ut plane nihil significet. Nam nisi pleonasmum in adiectione vocabuli nihil plane significantis ponimus, non magis pleonasmorum inveniri poterit finis, quam supra in ellipsi factum videmus. Quo in errore exagitando quum totus versetur Weiskii liber, mirum est tamen, quod ille non modo hos, qui veri sunt pleonasmi, fere omnes praeterierit; quos sane quidem secundum definitionem pleonasmi, quam posuit, praeterire debuit: sed etiam quod de his, qui videri possunt pleonasmi esse, quum non sint, minimam partem attigerit. Sed quum ne nobis quidem haec sit cura, ut hos, quos re vera putamus pleonasmos vocandos esse, undique congeramus atque exemplis illustremus: paucis ea dumtaxat consectari volumus, quae capita sunt huius disputationis.

Ac videmus cum dissimilitudine quadam maximam
198 pleonasmi atque ellipseos esse similitudinem; similitudinem eo, quod in pleonasmo pleraque contraria sunt, quam in ellipsi; dissimilitudinem, quod non omnia. Ellipsis enim quum non possit eorum esse, quae sponte intelligi nequeant, apertum est, esse, quae necessitate quadam ab numero ellipsium excludantur: pleonasmus autem, quod superflua sensum ex oratione non tollunt, non patitur tam certis se finibus circumscribi. Itaque etsi utriusque, et ellipseos et pleonasmi usus in quaque lingua experientiae est, tamen quid non sit ellipsis, necessitate; quid non sit pleonasmus, eo, quod aptum ineptumve est, definitur. Ac vidimus, ellipsin et copulae esse et subiecti, non etiam praedicati, nisi sic, ut eius aliqua pars omittatur. Omitti enim possunt, quae maxime necessaria sunt, quia ob id ipsum sponte intelliguntur: quod contra minus necessaria, si absunt, non intelliguntur, quia ne desiderantur quidem. Propemodum contraria ratio est pleonasmi. Quamquam enim per se nihil est, quod abundare nequeat, tamen, quoniam pleonasmus est adiectio eorum, quae ne cogitantur quidem, consentaneum est, eum ab his partibus, quae maxime sunt necessariae, plerumque abesse, quod has partes, ut quae maxime emineant, inutili additamento onerari non convenit; in iis autem partibus frequentius inveniri, quae quod secundariae sunt, fa-
199 cilius delitescit, si quid alieni additum est. Eamque rem confirmat etiam origo pleonasmi. Nam qui vere dicendus est pleonasmus, eius duo sunt, nec plures numero fontes. Etenim aut locutio sic multo usu trita, ut aliquid de propria sua vi amiserit, ad alienas res transfertur, aut iteratio aliqua eiusdem notionis, ad vim orationis augendam inventa, quae eam vim usu paullatim deposuit, ibi usurpatur, ubi nulla vi opus est. Neutrum tale est, quod facile in copulam aut in subiectum cadere possit. Copulam enim, ut quae in omni enunciatione necessaria est, et ob simplicitatem notionis, et quod semper eadem est, pleonasmo carere decet. Subiectum autem perraro recipit pleonasmum, quia cum certum ac definitum esse de-

beat, fere et intensionem significatus et imminutionem ab se segregat. Quare solum relictum est praedicatum, in quo constituendo facillime pleonasmus admittatur. In copula quidem vereor ut ullus inveniri pleonasmus queat. In subiecto, ut dixi, rarus est. Pervulgatum illud, *οἱ ἀμφὶ Πλάτωνα*, pro solo Platone dictum, cadentis est linguae, usitatum Plutarcho et consimilibus scriptoribus, non antiquioribus, ut Thucydidi, Platoni, Xenophonti, nedum, quod quidam opinati sunt, Homero. Et quis non sentiat, hunc pleonasmum, quem quidam etiam in parte elegantiae habuerunt, valde absurdum esse? Com- 200 modam vero excusationem is habet in subiecto pleonasmus, quo pronomini praeter necessitatem additur *αὐτός*:

ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω.

Initio enim *αὐτὸς* in hisce pronominibus praedicatum fuerat, quod deinde, extenuata significatione et prorsus ad nihilum redacta, pronomini ipsi adiungebatur. Sic plerique omnes, qui vere sunt pleonasmi, in praedicatis consistunt, maximeque in tenuioribus, quod genus continetur particulis. Eiusmodi est *ἠῶθι πρό*, sine pleonasmo, ut videtur, dictum Iliad. XI. 50. Odyss. V. 469. sed abundante particula Odyss. XI. 36.

ἀλλ' ἄγ', ἐπότρυνον πατέρα κλυτόν, ἠῶθι πρὸ
ἡμιόνους καὶ ἄμαξαν ἐφοπλίσαι.

Eiusdem generis sunt etiam *ἔξοχος ἄλλων* et *κηρόθι μᾶλλον*, de quibus formulis dixi ad Hom. hymn. Cer. 362. Sed ut alterius quoque generis exempla proferam, quod est in iteratione eiusdem notionis, quis non trita illa, *πάλιν αὖθις* et *ὅθ' οὕνεκα* *), meminerit? Tale est etiam *ἄν κεν* et *κὲν ἄν*, de quibus particulis expositum est ad Orpheum de lapidibus v. 247, Eodem pleonasmo *ὡς οἷα* dicitur, cuius formulae pauca exempla attulit Bastius in epistola critica ad Boissonadum p. 43. consulto, ut

---

*) Eximendum est *ὁθούνεκα*, quod primus nisi fallor Lobeckius *ὅτου ἕνεκα* esse vidit. Vide eum ad Phryn. p. 657.

opinor, non faciens quum aliorum, tum Eustathii men-
201 tionem, qui haec saepissime coniungit. Ac videntur mihi eodem referenda esse haec Euripidis, in Hecuba v. 402.

ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆςδ᾽ ἕξομαι,

et in Troad. 147.

μάτηρ δ᾽ ὡς τις πτανοῖς κλαγγὰν
ὄρνισιν ὅπως ἐξάρξω ᾽γὼ
μολπάν.

Vereor enim ne non possit cum Porsono ad Hecubae versum in his locis ὅπως cum ἕξομαι et ἐξάρξω construi. Quod ut in Aristophanis atque Antiphanis versibus, quos affert, fieri debeat, quibus addi poterat hoc Aeschyli in Agamemnone v. 609. nisi id aliter intelligendum est,

ὅπως δ᾽ ἄριστα τὸν ἐμὸν αἰδοῖον πόσιν
σπεύσω πάλιν μολόντα δέξασθαι,

alia tamen est horum locorum, quam Euripideorum ratio, in quibus illud ὅπως, quod semet ipsum monentis est, non videtur admitti posse, quia in his simplex inest eius, quod quis facturus sit, affirmatio *).

Praepositiones duae idem significantes quum coniunguntur, fere semper altera earum adverbium est, ut ἀμφὶ περὶ κρήνην, πολλὰ περὶ ῥόπαλ᾽ ἀμφὶς ἐάγη, νόσφιν ἄτερθε κακῶν, νυκτιπόλοις ἅμα σὺν Βάκχαις, ἐν δὲ καὶ ἐν Μέμφι. Non est tamen verum, quod Boeckhius, vir praeclarae eruditionis, in commentatione de Platonico Minoe p. 197. contendit, duas praepositiones sic, ut altera
202 non sit adverbium, nusquam iungi, et proinde apud Platonem de legg. III. p. 701. D. τίνος δὴ χάριν ἕνεκα altera utra praepositione eiecta scribendum esse. Non recordabatur vir doctissimus illud a Thucydide et Xenophonte usurpatum, ἀπὸ βοῆς ἕνεκεν, de quo dixit Wyttenbachius ad eclogas historicas p. 414. Neque haec

---

*) Vide quae adnotavit Matthiae ad Hecubae v. 395.

unica sunt talis pleonasmi exempla. Sophocles in Trachiniis v. 1160.

πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο.

Idem in Philocteta v. 554.

ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφί σ' οὕνεκα
βουλεύματ' ἐστί.

Euripides in Iphig. Taur. 1138.

εἰς Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν.

Quae iam, opinor, nemo temere audebit tentare. In Euripidis quidem versu, ut hoc adiiciam, ὥς, quod Marklando in mentem venit, poeticae dictioni repugnat *).

Alio modo repetita notio sic abundat, ut non integro aliquo vocabulo, sed parte alicuius vocabuli comprehensa sit. Vt Iliad. XXIII. 709.

ἂν δ' Ὀδυσεὺς πολύμητις ἀνίστατο,

ubi praepositio in ἀνίστατο abundat. Quo loco adduci possit aliquis, ut δι' ἄστυ, quod quidam codices habent in versu parum eleganti, qui legitur Iliad. XI. 703.

ἀμφίσταντο δὴ ἄστυ, διαπραθέειν μεμαῶτες,

non librariorum errore scriptum putet. Euripides in Andromacha v. 613.

παίδων τ' ἄπαιδας γραῦς ἔθηκας ἐν δόμοις. 203

Nam vocabula, quale est ἄπαις, sic usurpari solent, ut sola remaneat notio privationis. Nec dissimilia sunt talia, ut ἀπ' οὐρανόθεν, quae initio carebant pleonasmo, quum adverbium ἄπο nondum in praepositionem vertisset: sed hoc postquam factum erat, magis terminatio substantivi, quam praepositio coepit abundare. Eodem modo in his, ἄπ' ὄρεσφι, ἐπ' ἐσχαρόφιν: nam ista terminatio nihil est

---

*) Hunc locum isto insolente pleonasmo bene liberasse videtur Seidlerus, εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν scribens.

nisi θι alio modo pronunciatum. Vnde verissime grammatici νόσφιν pro νοστόφι dici observant. Vsurpari tamen ista deinde pro genitivis coeperunt: ut Iliad. XIII. 588.

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀπὸ πλατέος πτυόφιν.

Colligi potest ex huiusmodi exemplis, eodem trahenda esse talia, ut μᾶλλον ἐνδικώτερος, οὐδὲν ἕν *).

XIV. De iis, qui falso pleonasmi habentur.

Sed satis indicatum videtur, qui veri sint pleonasmi. Nunc paucis illos commemorabimus, qui falso in pleonasmis numerantur, in quo genere explicando quum totus versetur Weiskii liber, quamquam ille pauca de multis comprehendens, malumus hunc omnem locum, qui est de falso pleonasmo, in classes quasdam describere, quam 204 singula exempla verborum, quae abundare vulgo creduntur, perscrutari. Quamquam in horum quoque explicatione haud pauca sunt, in quibus a Weiskio discedendum putamus, ut statim in his, quae de pleonasmo articuli scribit, ubi quum alia miramur, tum hoc, quod p. 34. in Xenophontis lib. III. de institutione Cyri cap. 3, 4. τὸν ἄνδρα ἀγαθὸν Graece dici potuisse putat, talibus fortasse locis adductus, qualis hic Sophoclis est in Trach. 936.

κἀνταῦθ᾽ ὁ παῖς δύστηνος οὔτ᾽ ὀδυρμάτων
ἐλείπετ᾽ οὐδέν.

Sed ista relinquamus aliis perpendenda.

Et quoniam supra ostendimus, verum pleonasmum esse, quo aliquid sic addatur, id ut plane non cogitetur, apertum est, male in pleonasmis eas locutiones numerari, in quibus id, quod abundare putatur, etiamsi omitti po-

---

*) Sed ista quoniam fortiora sunt, non sunt in pleonasmis numeranda. Addi his possunt alia, ut οὐδεὶς et τις coniuncta, de quibus vide quae adnotavi ad Eurip. Alcest. 79.

tuerit, in cogitationem tamen venit additum. Harum autem locutionum, quae iniuria in pleonasmis habentur, classes putamus constitui posse quinque.

Ac prima classis est verbositatis, ut *πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι, ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, θάνατόν τε μόρον τε.* Euripides Phoen. v. 21.

ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα καὶ σπείρας βρέφος.

Vbi quem pleonasmum vocat Porsonus, hoc minus est pleonasmus, quod vocabula idem significantia in diversis orationis membris inveniuntur. Quamquam enim hic est, quod praeter necessitatem additum sit, at non est tamen ita additum, ut non cogitetur. Sunt in hoc genere, quae 205 temere a criticis tentata videamus, ut hoc Sophoclis in Oed. Col. 668.

εὐίππου, ξένε, τᾶσδε χώρας
ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα,

quorum hic sensus est: *ad equestris loci sedem, hospes, venisti, quae huius regionis est praestantissima.*

Secunda classis est explicationis. Ac miror, quid sit, quod Porsonus ad Phoen. 22. insolentem putaverit pleonasmum esse in his, quae v. 47. huius fabulae leguntur:

Κρέων ἀδελφὸς τἀμὰ κηρύσσει λέχη,
ὅστις σοφῆς αἴνιγμα παρθένου μάθοι,
τούτῳ ξυνάψειν λέκτρα.

Quorum versuum qui medius est, non ad praecedentem, sed ad sequentem versum pertinet, quibus duobus versibus ea, quae primo versu dicta sunt, explicantur. Est vero haec tritissima figura, non solum apud Homerum, ut,

δώδεκα δ' ἵππους,
πηγούς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο,

(vide Ruhnkenium in epist. crit. I. p. 56.) sed etiam apud tragicos, aliosque scriptores. Hinc illa sunt usitatissima, *ἑκόντες, οὐκ ἄκοντες· γνωτά, κοὐκ ἄγνωτα,* quae rei

augendae vel confirmandae caussa dicuntur. Cave tamen huc traxeris Euripidis versum in Oreste 538.

ὅπου σε μέλλω σήν τε λυπήσειν φρένα,

206 ubi verissime Musgravius emendavit,

ὅπου γε μέλλω σήν τι λυπήσειν φρένα.

Nam Sophoclis locum, quo vulgatam in Euripidis versu lectionem tuetur Porsonus, si diligentius considerare voluisset, alienissimum esse intellexisset, in Aiace v. 1147.

οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα
σμικροῦ νέφους τάχ' ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας
χειμὼν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.

Sed hoc obiter indicasse satis est *).

Tertia classis est circumscriptionis, usitata maxime poetis, ut ὀδυρμάτων θρῆνοι, θρήνων ὀδυρμοί, κοίτης λέκτρον, λέκτρων κοῖται, εὐνῆς λέχος, quae iniuria in pleonasmis numerat Porsonus ad Hecub. 302. Nam ne hic quidem quidquam est, quod non veniat in cogitationem: quin saepe etiam augent ista vim et splendorem orationis, ut illud Aeschyli:

τῆλε πρὸς δυσμὰς ἄνακτος Ἡλίου φθινασμάτων.

Quarta classis permixtionis est diversarum locutionum, qua saepissime fit, ut aliquid abundare videatur, quod re vera non abundat. Hoc genus, non animadversum, quod sciam, a doctis hominibus, latissime patet. Satis habeo pauca de multis exempla commemorare. Xenophon Cyrop. I. 3, 8. καὶ τὸν Ἀστυάγην σκώψαντα εἰπεῖν, οὐχ ὁρᾷς, φάναι, ὡς καλῶς οἰνοχοεῖ καὶ εὐσχημόνως; Sophocles Philoct. 315.

207 οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ
δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ τυχεῖν.

---

*) Repugnat in novissima editione Schaeferus, aptissime Sophoclis exemplum comparari contendens. Vellem vel aliqua eorum, quae in illa adnotatione dixit, argumenta attulisset. Mecum facit Matthiae, ac γε tres praebent libri.

Plato de legg. VII. p. 816. B. *τούτων δὲ ἓν καὶ τὸ περὶ τὰς ὀρχήσεις τὰς τῶν εὖ πραττόντων, ὄντων δὲ μετρίων αὐτῶν πρὸς τὰς ἡδονάς.* Homerus Iliad. XXII. 247.

ὣς φαμένη, καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη.

Theocritus IV. 60. frustra a quibusdam tentatus,

πρώαν γε μὲν αὐτὸς ἐπενθών,
καὶ ποτὶ τᾷ μάνδρᾳ κατελάμβανον, ἆμος ἐνήργει *).

Observa hic ne *γά μιν* quidem cum Valckenario scribi posse. Vtroque in loco *καὶ* dicitur, tamquam si *ἔφατο* et *ἐπῆνθον* praecessissent. Homerus Iliad. XI. 409.

ὃς δέ κ' ἀριστεύῃσι μάχῃ ἔνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ
ἑστάμεναι κρατερῶς, ἤτ' ἔβλητ' ἤτ' ἔβαλ' ἄλλον.

Sophocles in Electra v. 25.

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν· ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει.

similiter, sed non posito *δέ,* Aeschylus in Septem ad Th. v. 24.

νῦν δ', ὡς ὁ μάντις φησίν, οἰωνῶν βοτήρ,
ἐν ὠσὶ νωμῶν καὶ φρεσίν, πυρὸς δίχα,
χρηστηρίους ὄρνιθας ἀψευδεῖ τέχνῃ· 208
οὗτος τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων
λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαΐδα
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν στρατῷ.

Nam, ut hoc addam, *ὡς* quoque est in particulis saepe apodosi carentibus. *Δὲ* quidem in apodosi positum ubique sic accipi debet, ut constructio mutari putetur: vide, quae dixi ad Hom. hymn. Apoll. 335. Cer. 409. Ven. 226. p. 107. Sic denique etiam geminatum *ἂν* intelligendum est:

---

*) Adde XV. 17., ubi v. Kiesslingium.

οὔτ᾽ ἂν μετ᾽ ἄλλου φωτὸς ἂν τλαίην ποτέ.

Vnde definiri poterit, ubi ea particula iterari nequeat. Sunt etiam alia, quae ob eamdem caussam videri possunt pleonasmum habere: ut apud Aeschylum in Sept. ad Theb. 425.

τρέμω δ᾽ αἱματη-
φόρους μόρους ὑπὲρ φίλων
ὀλομένων ἰδέσθαι.

Non ibi abundat *ὑπέρ*, sed quum dicendum esset aut *τρέμω ὑπὲρ φίλων, ἰδέσθαι μόρους αὐτῶν ὀλομένων*, aut *τρέμω ἰδέσθαι μόρους φίλων ὀλομένων*, coniunxit poeta utrumque, parum accurata structura. Similis perturbatio sententiarum in Sophoclis Antigona v. 1089. invenitur:

καὶ γνῷ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν,
τὸν νοῦν τ᾽ ἀμείνω τῶν φρενῶν, ἢ νῦν φέρει·

209 Nam quum Graeci praeter necessitatem dicant, *τὸν νοῦν ἀμείνω τοῦδε, ἢ νῦν φέρει*, de quo loquendi genere, quod ipsum quoque e duabus locutionibus compositum est, vide, quos Erfurdtius ad Sophoclis locum p. 350. laudavit, poeta indulsit sibi pro isto pronomine nomen ipsum ponere, quo quidem posito, si accurate loqui voluisset, sic debuisset pergere, *ἃς νῦν φέρει*, vel *ὧν νῦν φέρει.*

Venio denique ad quintam classem, quae in his versatur vocabulis, quorum tectior est et obscurior vis ac significatio, quam quae ab omnibus statim percipiatur. Quod genus in primis cernitur in quarumdam usu particularum, ut:

κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο·
ὡς δ᾽ ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη.

In quibus exemplis nullus est pleonasmus, quia omissis particulis *ῥά* et *τέ*, ut sensus idem maneret, at aliter tamen conformata esset eius expositio. Vere abundaret particula *τὲ* Iliad. XI. 437.

πάντα δ᾽ ἀπὸ πλευρῶν χρόα ἔργαθεν, οὐδέ τ᾽ ἔασεν
Παλλὰς Ἀθηναίη μιχθήμεναι ἔγκασι φωτός;

et XXI. 595.

> *Πηλείδης δ' ὡρμήσατ' Ἀγήνορος ἀντιθέοιο*
> *δεύτερος· οὐδέ τ' ἔασεν Ἀπόλλων κῦδος ἀρέσθαι;*

si particula, quae sensum penitus mutat, abundare posset. 210 Quare his quidem in locis non dubium videtur, quin *οὐδὲ ἔασεν* scribi debeat. Facit autem *ἐᾶν* saepius hiatum praegresso *ε*, ut Iliad. I. 165. XVII. 16. XXII. 339. Odyss. IV. 805. X. 536. XVIII. 420 De aliis multis pleonasmorum exemplis, a quibus recte intellecta verbi vis removet pleonasmum, duo tantum adiiciam, unum, in quo *εἶναι*, alterum in quo negatio putatur abundare.

Quod Graeci dicunt *ἑκὼν εἶναι*, *τὸ νῦν εἶναι*, et similia, tantum abest, ut per se pleonasmum contineant, ut plane aliud significent, quam simplicia *ἑκὼν* vel *τὸ νῦν*. Plato in Gorgia cap. 118. p. 499. E. *καίτοι οὐκ ᾤμην γε κατ' ἀρχὰς ὑπὸ σοῦ ἑκόντος εἶναι ἐξαπατηθήσεσθαι, ὡς ὄντος φίλου.* Qui si *εἶναι* omisisset, hoc dixisset: *atqui non putabam initio me a te ultro deceptum iri*, non indicans fieri potuisse, ut etiam ab imprudente deciperetur: nunc autem addito *εἶναι* hoc dicit: *atqui non putabam initio me, si a te deciperer, ita deceptum iri, ut me velles decipere.* Est enim *ἑκὼν εἶναι* proprie *ad ultro faciendum.* Negari tamen non potest, in hac formula idem, quod in aliis, accidisse, ut multo usu aliquid de propria vi amitteret. Hinc interdum vere abundat *εἶναι*. Herodotus VII. 164. *ὁ δὲ Κάδμος οὗτος, πρότερον τουτέων παραδεξάμενος παρὰ πατρὸς τὴν τυραννίδα Κώων* 211 *εὖ βεβηκυῖαν, ἑκών τε εἶναι, καὶ δεινοῦ ἐπιόντος οὐδενός, ἀλλ' ὑπὸ δικαιοσύνης, ἐς μέσον Κῴοισι καταθεὶς τὴν ἀρχήν, οἴχετο ἐς Σικελίην.* Quod grammatici observarunt, *ἑκὼν εἶναι* plerumque praegressa negatione dici, idoneam habet rationem. Nam quum *ἑκὼν εἶναι* sit, *ut quis sponte aliquid faciat*, raro nulla praecedente negatione id proprie dici potest. Quamvis enim multa sponte faciamus, sunt tamen in his perpauca, quae eo fine faciamus, ut ea sponte fiant. Alia res est praecedente negatione. Nam quae non facimus sponte, ea quum

facimus, facimus eo consilio, ut cedamus necessitati: cuius rei quum contrarium sit, sponte aliquid facere, hoc pro illo nominatur. Itaque pro eo, quod dici debebat, *facio hoc, ut cedam cogenti*, recte dicitur ita, *non facio hoc, ut sponte faciam.* Satis erit hunc usum uno exemplo illustrasse. Xenophon Cyrop. II. 2, 15. *οὐδὲ μὴν φίλοις γε, οὐδὲ ξένοις ἑκὼν εἶναι γέλωτα παρέχεις: nemini risum praebes ea mente, ut id volens facias, sed quum facis, facis tantummodo ut cedas necessitati.* Neque illa *τὸ νῦν εἶναι, τὸ τήμερον εἶναι,* idem significant, quod *νῦν* et *τήμερον*, sed, *ut id nunc, ut id hodie sit,* id est, *quantum hodie satis est:* quod nos dicimus, *für jetzt, für heute:*

κεχόρευται γὰρ μετρίως τόγε τήμερον εἶναι.

212 Recte igitur in Sophoclis Oed. Col. 1189. legitur:

ὥςτε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κάκιστα δυςσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις, σέ γ' εἶναι, κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς·

nec debebat Porsonus in appendice ad Toupii emendationes in Suidam p. 453. aut hunc aut Brunckium reprehendere, quod Dawesii coniecturam *θέμιν* non admiserunt. Sensus est, *ut tu sis is, qui illum malis remuneretur.* Nos, *du für deine person* *).

Magis impeditus est usus negationis *οὐ*: quae quidem in talibus exemplis, *οὐκ ἔστιν οὐδείς*, quum proprie augendae rei inserviat, interdum sic usurpatur, ut una negatio satis sit; sed in formula *μὴ οὐ* recte explicanda saepius videmus doctos homines errasse. Quae voculae quum proprie *ne non*, id est *ut*, significent, mirum est tamen, eas interdum sic usurpari, ut negationes non videantur sese invicem tollere. At videntur tantum: re vera

---

*) Aliam huius loci ac nescio an veram explicationem sagaciter invenit Buttmannus, de qua dictum in adnotatione ad eum locum.

suam sibi propriam servant significationem. Recte in Euripidis Oreste v. 766. emendavit Brunckius,

μὴ οὐ λάβωσί σ᾽ ἄσμενοι,

ne te non excipiant placide, quum *οὐ* ab librariis omissum esset. Sed eidem Brunckio non semel hae particulae fraudem fecerunt, ut in Sophoclis Antigona v. 33.

καὶ δεῦρο νεῖσθαι, ταῦτα τοῖς μὴ οὐκ εἰδόσι 213
σαφῆ προκηρύξοντα.

Sic ille quidem edidit, quum libri omnes *τοῖς μὴ εἰδόσι* praeberent. Schaefero, vitium sentienti, in Meletem. crit. p. 108. scribendum videbatur, *τοῖς οὐκ εἰδόσι*. At quanto lenius et usui accommodatius scribes *τοῖσι μὴ εἰδόσιν*. Brunckius quidem quum sciret, *μὴ οὐ* saepe significare *nisi*, hoc tamen non animadverterat, ubi *μὴ οὔ*, et ubi simpliciter *μὴ* dicendum esset. Id quod etiam Schaefero accidit, qui eo loco, quem indicavi, pro *μὴ οὐ nisi* significante etiam simpliciter *μὴ* dici putat. Id quod nullo pacto fieri potest. Sed ut ostendamus, quid haec differant, res longius repetenda est.

Continetur autem omnis harum negationum usus una regula, sed ea tali, quae plures complectatur alias regulas. Ea regula haec est. *Cum coniunctivo et optativo et indicativo, ad rem cum dubitatione affirmandam, μή; ad negandam cum dubitatione, μὴ οὐ dicitur: cum infinitivo autem et participio et imperativo, ad rem certo negandam, μή; ad certo affirmandam, μὴ οὐ usurpatur.* Cur harum particularum usus pro verbi formis, quae iis adiunguntur, diversus sit, rem accurate consideranti non potest obscurum esse. Nam quum particula *μή*, ut alibi demonstravimus, negationi exprimendae inserviat, quam philosophi subiectivam vocant, id est, 214 quum indicet, nos aliquid cum negatione cogitare, sive id re ipsa negationem contineat, sive non contineat: duplicem necesse est huius particulae usum esse pro duplici conditione modorum verbi. Eorum tres in unam classem coniicimus, infinitivum, participium, et imperativum: quo-

rum infinitivus nudam notionem actionis, participium nudam notionem agentis continet. His ergo si negatio subiectiva μὴ additur, ea non potest aliam vim habere, quam ut notionem sive actionis sive agentis simpliciter tolli cogitatione indicet. Itaque μὴ δρᾶν dicitur, si quis non facere aliquid cogitatur, quum οὐ δρᾶν sit *re vera non facere*; μὴ δρῶν, quem non facere aliquid sumimus, quum οὐ δρῶν sit, qui re vera aliquid non facit. Accedit non tam propter similitudinem cum his, quam propter dissimilitudinem cum altera classe, imperativus. Necessitas aliquid non faciendi per se constans sic exprimitur, οὐ δραστέον: necessitas voluntate, ideoque non re ipsa, sed cogitatione cuiuspiam alicui imposita sic, μὴ δρᾶ. Imperativus igitur quia rem certam, nec talem, quae possit etiam aliter esse, indicat, ad hanc classem, non ad alteram refertur. Nam etiamsi incertum est, quid is, cui aliquid imperatur, facturus sit, ipsum tamen iussum non est ambiguum, sed ut quod maxime certum.

215 Secunda classis illos verbi modos complectitur, quibus posse aliquid fieri indicatur, id est, coniunctivum, optativum, et indicativum, ubi quidem is finem et consilium indicat. Hi modi quia non re vera aliquid esse, sed posse esse significant, necessario, si iis adiungitur subiectiva negatio μὴ, aliam vim habent, quam si eadem negatio infinitivo aut participio aut imperativo additur. Quum enim μὴ etiam coniunctivo et optativo et indicativo additum notionem, quae verbo continetur, neget; formae autem istae verbi non esse aliquid, sed posse esse significent: clarum est, non modo notionem verbi cogitatione tolli, sed hanc ipsam quoque sublatam notionem ut quae possit tantummodo sublata esse cogitari. Sic μὴ θάνω est *ut possim non mori.* Vt aliis verbis utar, istae verbi formae finem denotant. Atqui quem finem vocamus, is nihil est nisi rei cogitatio, qua pro caussa eius rei efficiendae utimur. Haec autem cogitatio non in eo versatur, quod est, sed in illo, quod potest esse. Itaque quod ob finem aliquem facimus, id facimus sic, ut id, quod volumus, cogitemus esse posse, quum possit etiam non esse.

Quod si verbi formis, quae finem significant, negatio additur, (eam autem necesse est subiectivam esse, ut in re, quae tota in cogitatione versetur) ea negatione indicatur, finem agentis esse hunc, ut possit non esse, quod alio- 216 quin esse possit. Itaque μὴ θάνω est *ut possim non mori:* quo ipso alterum, quod est posse me mori, tantum abest ut tollatur, ut magis futurum esse dicatur, nisi faciam, ne sit futurum. Ita fit, ut μὴ cum istis formis coniunctum ob id ipsum, quia finem esse hunc indicat, ne qua res sit, eamdem rem esse significet; μὴ οὐ autem, quod indicat, finem esse, ne quid non sit, eam rem non esse denotet, sed utrumque cum dubitatione, quia verbi modus non de eo est, quod sit, sed de eo, quod possit esse.

Explicemus haec ordine, initium facientes a particulis μὴ et μὴ οὐ cum verbo finito coniunctis. Δέδοικα μὴ θάνω dicit is, qui quum non velit, moriturum se putat; δέδοικα μὴ οὐ θάνω, qui quum optet mori, se non putat moriturum. Plato in Gorgia p. 67. B. μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ. Negat hic fas esse, sed cum quadam dubitatione. Idem in Menone p. 89. D. πρὸς τί βλέπων δυσχεραίνεις, καὶ ἀπιστεῖς, μὴ οὐκ ἐπιστήμη ᾖ ἡ ἀρετή; Dubitare Meno Socratem dicit, an virtus non sit scientia, id est, putare, fortasse non esse scientiam. Infinitivo si uti voluisset, ἀπιστεῖς μὴ εἶναι ἐπιστήμην τὴν ἀρετὴν dicere debuisset, sed sic certius affirmasset: *credis non esse scientiam?* Xenophon Cyrop. I. 1, 3. ἐκ τούτου δὴ ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν, μὴ οὔτε τῶν ἀδυνάτων οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ᾖ τὸ ἀν- 217 θρώπων ἄρχειν. *Ita*, inquit, *sentire cogimur*, *ut dubitemus, an non sit arduum imperare hominibus*, id est, fortasse facile esse. Cum infinitivo dicendum erat, ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν μὴ τῶν ἀδυνάτων μήτε τῶν χαλεπῶν ἔργων εἶναι τὸ ἀνθρώπων ἄχειν. Ita vero rem ut certam protulisset: *cogimur fateri*, *non esse difficile.* Eadem ratio cernitur in indicativo interrogantis. Aeschylus in Prometheo v. 247.

μή πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω;

Et v. 958.

μή τί σοι δοκῶ
ταρβεῖν ὑποπτήσσειν τε τοὺς νέους θεούς;

Et in Supplicibus v. 309.

μὴ καὶ λόγος τις, Ζῆνα μιχθῆναι βροτῷ;

Plato in Apol. Socr. p. 28. D. de Achille, dum Hectorem ulciscatur, mori non recusante: μὴ αὐτὸν οἴει φροντίσαι θανάτου καὶ κινδύνου; In his locis hic inest sensus: *longius fortasse progressus es? videor tibi fortasse timere novos deos? fertur, puto, Jovem cum mortali consuesse? putas fortasse hunc mortem et periculum respexisse?* Saepe sic grammatici, μήποτε τοῦτο λέγει.

Videamus nunc μὴ et μὴ οὐ infinitivo et participio iunctas. Ac diximus μὴ cum his verbi formis certo negare, μὴ οὐ certo affirmare. Sed hic quoque usus suas 218habet regulas, quae duae sunt. Prima haec est. *Quoniam μὴ infinitivo et participio iunctum certo negat, ea particula non solum usurpatur post verba actionem significantia, cuius affirmativus finis est, sed etiam post verba actionem negativo fine significantia, quum quidem rei effectio indicatur.* Ὁμολογῶ μὴ εἶναι, ἀρνοῦμαι μὴ εἶναι. Plerique tradunt, post verba negationem continentia μὴ abundare. Id vero falsum est, et quidem dupliciter; semel, quod non post omnia verba negationem continentia; iterum, quod non abundat. Vt primo errori occurreremus, diximus, post verba actionem negativo fine significantia. Exclusa enim ab hac regula sunt verba, quae etsi negationem continent, finem tamen habent affirmativum, ut οὐ λέγω, οὐ δύναμαι, ἀδύνατός εἰμι, οὐχ οἷός τ' εἰμί: cuiusmodi verbis non actio indicatur finem habens negativum, sed negatur actio finem habens affirmativum. Deinde vero ne abundat quidem μή. Significat enim proprie effectionem rei. Euripides in Herc. fur. 194.

μυρίους οἰστοὺς ἀφεὶς
ἄλλοις, τὸ σῶμα ῥύεται μὴ κατθανεῖν.

Se tutum praestat a morte: non moritur. Si dixisset, *μὴ κατθάνῃ*, dixisset hoc, *tutum se praestat, ne moriatur;* ubi quum consilium tantummodo significaretur, non consequeretur, etiam effici, quod ille vult, non mori se. Ambiguum est, *ῥύεται θανεῖν, tutum praestat se a moriendo.* Id alio exemplo clarum fiet. *Θανεῖν δέδοικα* est *metuo mortem*, omnino, sive nunc, sive olim, sive certa, sive incerta instet. *Δέδοικα μὴ θάνω, metuo ne moriar*, futurum putans, ut moriar. Non dicitur autem *δέδοικα μὴ θανεῖν*: quod esset, *metuo mori, sic, ut metuendo non moriar:* id quod absurdum est. Interdum tamen talia recte dici possunt, ut apud Euripidem in Andromacha v. 644. 219

> *τοῦτο δ' οἱ σοφοὶ βροτῶν*
> *ἐξευλαβοῦνται, μὴ φίλοις τεύχειν ἔριν.*

Cavendo enim vere evitant rixas. Caeterum observa rarum esse in hoc genere participii usum; quod vix aliter invenietur, quam ubi nomen, quod actionem negativo fine significet, pro verbo ponitur, ut apud Sophoclem in Oed. R. 56.

> *ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς*
> *ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω;*

id est, *ἐρημωθεῖσα μὴ ξυνοικεῖν ἔσω τινάς.* Male ad hoc genus relatus est in adnotationibus ad Vigerum p. 777. Herodoti locus IX. 51. *ἢν ὑπερβάλωνται κείνην τὴν ἡμέρην οἱ Πέρσαι, συμβολὴν μὴ ποιεύμενοι.* Est enim horum verborum hic sensus: *si praetermisissent Persae eum diem sine praelio.*

Progredior ad secundam regulam, quae est de particulis *μὴ οὔ*. *Μὴ οὐ infinitivo sic iunctae, ut certo affirment, usurpantur post duas negationes se invicem tollentes.* Est enim harum usus particularum ibi proprius, ubi negativa sententia negatur. Quare etsi nihil obstat, quin etiam nulla praegressa negatione *μὴ οὐ* cum affirmatione dicatur, non est id tamen usitatum. Videamus nunc exempla. Plato de rep. I. in fine, p. 354. B. *καὶ ἐμπεσόντος αὖ ὕστερον λόγου, ὅτι λυσιτελέστερον ἡ ἀδι-* 220

κία τῆς δικαιοσύνης, οὐκ ἀπεσχόμην τοῦ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν ἀπ᾽ ἐκείνου. Et in Menone p. 89. D. τὸ μὲν γὰρ διδακτὸν αὐτὸ εἶναι, εἴπερ ἐπιστήμη ἐστίν, οὐκ ἀνατίθεμαι μὴ οὐ καλῶς λέγεσθαι. In Symposio Xenophonteo III. 3. ἀλλ᾽ οὐδείς σοι, ἔφη, ἀντιλέγει, τὸ μὴ οὐ λέξειν ὅ τι ἕκαστος ἡγεῖται πλείστου ἄξιον ἐπίστασθαι. Sic Cyrop. I. 4, 2. IV. 3, 8. Hist. Gr. III. 3, 6. de reditibus III. 7. Idem in Anabasi III. 1, 13. εἰ δὲ γενησόμεθα ἐπὶ βασιλεῖ, τί ἐμποδὼν, μὴ οὐχὶ πάντα μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας, ὑβριζομένους ἀποθανεῖν. Nam τί ἐμποδὼν est οὐδὲν ἐμποδών ἐστι. Magis tecta est negatio in Cyrop. II. 2, 20. ἅμα δὲ αἰσχρὸν ὂν ἀντιλέγειν, μὴ οὐχὶ τὸν πλεῖστα καὶ πονοῦντα καὶ ὠφελοῦντα τὴν πόλιν, τοῦτον καὶ μεγίστων ἀξιοῦσθαι: ubi αἰσχρὸν idem est, quod οὐ δέον. Sophocles in Oed. R. 1232.

> λείπει μὲν οὐδ᾽ ἃ πρόσθεν ᾔδειμεν τὸ μὴ οὐ
> βαρύστον᾽ εἶναι.

221 In Electra, 132

> οὐδ᾽ ἐθέλω προλιπεῖν τόδε,
> μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στοναχεῖν πατέρ᾽ ἄθλιον.

In Trach. 621.

> οὔτι μὴ σφαλῶ γ᾽ ἐν σοί ποτε,
> τὸ μὴ οὐ τόδ᾽ ἄγγος, ὡς ἔχει, δεῖξαι φέρων.

Saepius in huiusmodi locis librariorum negligentia excidit οὔ, ut in quibusdam codd. hoc ipso in Trachiniarum loco. Recte hanc particulam in eadem fabula v. 88. addidit Brunckius:

> οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ οὐ
> πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ᾽ ἀλήθειαν πέρι.

Restituenda est etiam v. 225 *).

> ὁρῶ, φίλαι γυναῖκες, οὐδέ μ᾽ ὄμματος
> φρουρὰ παρῆλθε τόνδε μὴ οὐ λεύσσειν στόλον.

---

*) Hoc loco recte se habere nudum μὴ monui ad Viger. p. 800.

Neglecta est eadem particula etiam in duobus aliis, iisque sibi simillimis eiusdem poetae locis. In Aiace interroganti v. 94. Minervae,

ἀλλ᾿ ἐκεῖνό μοι φράσον,
ἔβαψας ἔγχος εὖ πρὸς Ἀργείων στρατῷ;

ita respondet Aiax:

κόμπος πάρεστι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.

In Antigona v. 443. sic est:

καὶ φημὶ δρᾶσαι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.

Quae si genuina lectio esset, verba sibi repugnarent: hoc enim diceretur: *et aio me fecisse, nec nego non fecisse.* Quare utroque loco scribendum est μὴ οὔ. Quod in Aiacis versu etiam Suidam in v. μὴ οὐχί, ut utrumque 222 Scholiasten, nec non Triclinium habuisse, ostendunt, quae illi ad eum locum adnotarunt. Idem error commissus in Aeschyli Agam. 1178., ubi scribendum:

ἄκος δ᾿ οὐδὲν ἐπήρκεσαν,
τὸ μὴ οὐ πόλιν μὲν ὥςπερ οὖν ἔχει παθεῖν *);

cum quo loco comparandus Sophocl. Aiac. 729. Adde οὐκ etiam apud Platonem in Sophista p. 235. B. ὥςτε οὐκέτι ἐκφεύξεται τόδε γε. Τὸ ποῖον; Τὸ μὴ οὐκ ἐκ τοῦ γένους εἶναι τῶν θαυματοποιῶν τις. Quod effugit Heindorfium ad Parmenidem p. 246., qui hac re uti poterat ad tuendam interrogationem, quam iure statuit in hoc esse Parmenidis loco p. 147. A. εἰ δὲ μήτε ἑαυτοῖς ἕτερά ἐστι, μήτε τῷ ἑτέρῳ, οὐ πάντῃ ἂν ἤδη ἐκφύγοι τὸ μὴ ἕτερα εἶναι ἀλλήλων; Nam sublata interrogatione non μή, sed μὴ οὐχὶ dici debuisset, quia tunc οὐκ ἂν ἐκφύγοι proprie dictum fuisset, neque ut nunc, idem quod ἐκφεύγει significasset. Rarius μὴ omiserunt librarii, ut apud Alciphronem II, 2, p. 214., ubi legendum: οὐκ

---

*) Ne hic quidem mutatione opus. Nam μὴ οὒ est *quo minus*, μὴ autem *ut non.* Vnde μὴ οὒ ad id quod efficiendum erat, μὴ ad id quod effectum est, refertur.

ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίσκον μὴ οὐκ οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ, nisi quis cum codice Dorvillii legere malit: *οὐκ ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίσκον οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ.*

Participii usum in hoc genere non habeo quibus exemplis confirmem, quod verba, quae in hac constructione occurrunt, fere infinitivum sibi adiungunt. Quod 223 si quando participium additur, utraque negatio omitti solet, ut apud Aeschylum in Agam. 592.

νικώμενος λόγοισιν οὐκ ἀναίνομαι·

et apud Euripidem in Iphig. Aul. 1512.

θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι.

Sed veniendum iam est ad alium usum particularum *μὴ οὔ*, qui talis est, ut illi regulae, quam primam et generalem posuimus, repugnare videatur. Hunc dico, quo *μὴ οὔ* etiam cum infinitivo et participio iunctae non affirmant, sed cum dubitatione negant. Tantum vero abest, ut ista regula hac re labefactetur, ut magis ea confirmetur. Diximus enim *μὴ οὐ* cum verbo finito iunctas dubitanter negare: id vero in hoc ipso usu, de quo nunc dicimus, sic esse invenietur. Hanc quoque rem regula quadam comprehendemus, quae haec est. *Μὴ οὐ ubi cum infinitivo vel participio vel nudo nomine vel adverbio ita coniunguntur, ut unam contineant negationem, non cum eo infinitivo, aut participio, aut nomine, aut adverbio construuntur, sed in medio adduntur, repetitis cogitatione praecedentibus verbis: ideoque, ut cum verbo finito constructae, dubitanter negant.* Vno hanc rem exemplo planam faciam, alia deinde plura additurus, ad differentiam inter *μὴ* et *μὴ οὐ* declarandam. Demosthenes de falsa legatione p. 224 379, 6. *αἵ τε πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν, αἱ τῶν Φωκέων, μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ.* Hic *μὴ οὔ*, pariter atque in caeteris huius formae exemplis, in medio additum est, ut *εὖ οἶδ' ὅτι*, et similia, ita ut plena oratio haec sit: *αἱ πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν· μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ χαλεπαὶ λαβεῖν ὦσι: vide ne sine mora et obsidione difficiles expugnatu sint.*

Ex his apertum est, quare saepe in eadem formula nunc *μή*, nunc *μὴ οὐ* reperiatur, sed hoc discrimine, ut *μὴ* certo neget, *μὴ οὐ* autem cum dubitatione. Xenophon in Anabasi II. 5. 29. *τῶν δὲ στρατιωτῶν ἀντέλεγόν τινες, μὴ ἰέναι πάντας τοὺς λοχαγοὺς καὶ στρατηγούς, μηδὲ πιστεύειν Τισσαφέρνει.* Sic etiam Hist. Gr. II. 2, 19. Idem in Anabasi IV. 8, 14. *ἄνδρες, οὗτοί εἰσιν, οὓς ὁρᾶτε, μόνοι ἔτι ἐμποδὼν τοῦ μὴ εἶναι, ἔνθα πάλαι σπεύδομεν.* Non potuit in his locis *μὴ οὐ* dici, quia res certa est. Idem in Hist. Gr. VI. 3, 5. *εἰ δὲ δὴ καὶ ὁμογνωμονοῦμεν, οὐκ ἂν πάνυ τῶν θαυμαστῶν εἴη, μὴ εἰρήνην ποιεῖσθαι;* Et paullo post: *πῶς οὖν δίκαιον, ἢ ὑμᾶς, παρ' ὧν ἐλάβετε σπέρματα, τὸν τούτων καρπόν ποτε ἐλθεῖν δῃώσοντας, ἡμᾶς τε, οἷς ἐδώκαμεν, μὴ οὐχὶ βούλεσθαι ὡς πλείστην τούτοις ἀφθονίαν τροφῆς γενέσθαι;* In his locis hoc dicit: *quod si iam consentiamus, nonne mirum sit, nos non facere pacem? quomodo iusti essemus, nisi vellemus, quibus semina* 225 *dedimus, iis etiam fructuum esse ubertatem.* Quod si in priore loco *μὴ οὐ*, in altero *μὴ* dixisset, hic esset sensus: *mirum sit, ni pacem faciamus: iniusti essemus, quod nollemus habere vos, unde viveretis.* Aeschylus in Pometheo:

> *ἀλλ' οὔτε σιγᾶν, οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας*
> *οἷόν τε μοι τάσδ' ἐστί.*

Xenophon Hist. Gr. V. 4, 32. *ἐπεὶ ἐκεῖνός γε πρὸς πάντας, ὅσοις διείλεκται, ταῦτα λέγει, μὴ ἀδικεῖν μὲν Σφοδρίαν ἀδύνατον εἶναι.* Idem Cyneg. V. 31. *ἔστιν οὖν ἀδύνατον, μὴ οὐκ εἶναι, ἐκ τοιούτων συνηρμοσμένον, ἰσχυρόν, ὑγρόν, ὑπερέλαφρον.* Thucydides VIII. 60. *ἐπὶ γὰρ τῇ Ἐρετρίᾳ τὸ χωρίον ὄν, ἀδύνατα ἦν, Ἀθηναίων ἐχόντων, μὴ οὐ μεγάλα βλάπτειν καὶ Ἐρετρίαν καὶ τὴν ἄλλην Εὔβοιαν.* Horum quattuor exemplorum duo habent *μή*, duo *μὴ οὐ*: sed in his, quae *μὴ* habent, res ut certa refertur: *προφωνῶ τύχας τάσδε· ἀδικεῖ Σφοδρίας*: in duobus alteris non ut quae ita sit, sed ut quae mirum ni ita esset. Leporem Xenophon non simpliciter dicit validum, mobilem, velocem esse, qui talem corpo-

ris structuram habeat, sed hac re fieri, ut vix carere istis virtutibus possit. Thucydides Boeotos dicit Oropum cepisse, non quod istud oppidum Eretriensibus et Euboeae vere nocuisset, sed quod, si in potestate Atheniensium 228 mansisset, nociturum probabile fuisset. Vtraque forma coniuncta reperitur in fine Apologiae Socratis Xenophonteae: *ἐγὼ μὲν δὴ κατανοῶν τοῦ ἀνδρὸς τήν τε σοφίαν καὶ τὴν γενναιότητα οὔτε μὴ μεμνῆσθαι δύναμαι αὐτοῦ, οὔτε μεμνημένος μὴ οὐκ ἐπαινεῖν. Μὴ μεμνῆσθαι*, ut indicet, se vere semper eius recordari; *μὴ οὐκ ἐπαινεῖν*, ut significet, se, quoties de eo cogitet, vix posse sibi ab eo laudando temperare. Tantumdem est enim, ac si dixisset, *μὴ, μεμνημένος, οὐκ ἐπαινεῖν ἀδύνατος ὦ.* Idem Xenophon Anab. II. 3, 11. *ὥςτε πᾶσιν αἰσχύνην εἶναι, μὴ οὐ συσπουδάζειν.* Et de rep. Laced. VI. 2. *ἢν δέ τις παῖς ποτὲ πληγὰς λαβὼν ὑπ' ἄλλου, κατείπῃ πρὸς τὸν πατέρα, αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐμβάλλειν τῷ υἱεῖ.* Tolle in his locis *οὔ*, et sensus erit: *turpe erat, non una adniti; turpe est, non denuo castigare filium.* Haec vero hanc vim habent, ut tamquam certum sumatur, fuisse, qui id facerent, quod turpe ducebatur. Nunc addito *οὐ* hic sensus est: *turpe erat, nisi quis una adniteretur; turpe est, nisi quis denuo filium castiget.* Id autem quis non videt sic dici, ut dubitetur, an ista nemo fecerit? Contra in Mem. Socr. IV. 8, 9. *ἐμοὶ δὲ τί αἰσχρὸν, τὸ ἑτέρους μὴ δύνασθαι περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια μήτε γνῶναι μήτε ποιῆσαι*, id est, *quod iusta nec iudicare nec facere sciunt.* De- 229 mosthenes in epist. V. p. 1490, 15. *ἧς μὰ τοὺς θεοὺς τῷ μετασχόντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθῷ εἶναι, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι*: *qui huius disciplinae particeps est, is nisi fidus et erga omnes iustus sit, nefas esse duco.* Hic si *μὴ* posuisset, hoc dixisset: *nefas duco, qui hac disciplina usus est, eum perfidum esse neque erga omnes iustum.* Atqui sic Heracleodorum non monuisset, ne talem se praeberet, sed reprehendisset, tamquam qui esset talis.

Sed obiiciet aliquis, quod supra diximus, *μὴ* in hu-

iusmodi locis sic dici, ut praecedentia cogitatione repetantur, id non posse ubique fieri. Enimvero videtur tantum fieri non posse. Multo enim usu factum est, ut, quum *μὴ*, sic in medio insertum, negationem, quae sequitur, minus certam redderet, ibi etiam adhiberetur, ubi praecedentia non possent simpliciter repeti. Id maxime elucet, ubi *ὥςτε* praecedit. Sophocles in Antig. 96.

πείσομαι γὰρ οὐ
τοσοῦτον οὐδέν, ὥςτε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν.

Xenophon de rep. Athen. III. 8. *πολὺ δ' οὐχ οἷόν τε μετακινεῖν, ὥςτε μὴ οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι.* Haec hanc vim habent: *οὐδὲν πείσομαι τοσοῦτον, ὥςτε (ὅρα μὴ) οὐ καλῶς θανεῖν· πολὺ οὐχ οἷόν τε μετακινεῖν, ὥςτε (ὅρα μὴ) οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι.* Sed non minus haec quoque, quam illud, quod supra attuli, 228 *αἰσχύνη ἦν μὴ οὐ συσπουδάζειν*, ad regulam, quam posuimus, revocari poterunt, si quis singulas enunciationes, quae in his locis sunt, recte consideraverit. Id fieri debet hoc modo: *αἰσχύνη ἦν· τί; (ὅρα) μὴ οὐ συσπουδάζειν αἰσχύνη ἦν. οὐδὲν πείσομαι τοσοῦτον, ὥςτε θανεῖν· πῶς; (ὅρα) μὴ οὐ καλῶς*: id est, *ὅρα μὴ, ὥςτε αἰσχρῶς θανεῖν, οὐδὲν τοσοῦτον πείσομαι. πολὺ οὐχ οἷόν τε μετακινεῖν, ὥστε ποιεῖν τόδε· τί; (ὅρα) μὴ οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι*: id est, *ὅρα μὴ, ὥςτε μένειν τὴν δημοκρατίαν, οὐχ οἷόν τε ᾖ πολὺ μετακινεῖν.* Composita igitur haec sunt ex una certa sententia, ut *αἰσχύνη ἦν*, et altera incerta, *μὴ οὐ συσπουδάζειν αἰσχύνη ἦν.* Sed quod potior est certa sententia, haec plene enunciatur, incerta autem supprimitur, particulis eo in loco collocatis, ubi ad eam ipsam partem, quae incerta est, referuntur. Simillimum quid factum videmus in hoc oratoribus usitato, *οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ πλείω λέγειν*, quod attigit Frid. Aug. Wolfius ad Demosth. orat. contra Lept. p. 388. vel ut apud Isocratem in Trapez. cap. 17. est, *οὐκ οἶδ' ὅτι πλείω δεῖ λέγειν.* Nam ibi *οἶδ' ὅτι* neque ad *οὐ δεῖ* pertinet, quod dicendum esset, *οὐ δεῖ, οἶδ' ὅτι, πλείω λέγειν*, neque ad *οὐ πλείω*, quod dici debe-

ret, *οὐ πλείω, οἶδ' ὅτι, δεῖ λέγειν*, sed ad solam negationem *οὔ*, quae propterea cum accentu scribenda est: 229 *οὒκ, οἶδ' ὅτι, δεῖ πλείω λέγειν, non sane* *). Hoc quoque si quomodo cogitetur explanandum est, sic dici debebit: *οὐ δεῖ πλείω λέγειν, οἶδ' ὅτι οὔ (δεῖ πλείω λέγειν)*. Hic pariter, ut in particulis *μὴ οὔ*, duae sunt sententiae, altera simpliciter rem enuncians, altera addens maiorem quamdam affirmationem; quam affirmationem, quoniam non ad universam sententiam, sed ad aliquam eius partem spectare volumus, huic parti eam adiungimus, suppressis reliquis.

Exempla nunc afferamus particularum *μὴ οὖ* cum participio sic iunctarum, ut dubitanter negent. In quo usu nihil difficultatis est, si quis meminerit, *μὴ ποιῶν* esse *quod quis non facit aliquid*, aut *si non facit; μὴ οὐ ποιῶν* autem *nisi facit*. Quae quomodo differant, non est obscurum. Qui *nisi fallor* dicit, dubius est, utrum fallatur, an non; qui *si non fallor*, hoc, non falli se, ut certum sumit. Haec si dicantur per participia, alterum *nisi falsus*, alterum *non falsus* dici necesse est. Iam exempla videamus. Sophocles in Oed. R. 12.

> *δυςάλγητος γὰρ ἂν*
> *εἴην, τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν.*

Et v. 220.

> *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν*
> *ἴχνευον αὐτός, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.*

In his locis hoc dicit: *durus essem, nisi vestra me supplicatio tangeret: parum ipse investigando proficerem,* 230 *nisi aliquid indicii reperirem.* Quod si *μὴ* dixisset, sensus esset: *durus essem, si me non moveret vestra supplicatio*, aut *quod me non movet: parum profice-*

---

*) De accentu non recte praeceptum. Quoniam enim illud *οἶδ' ὅτι* ita coniungitur cum reliquis verbis, ut ad sensum pro adverbio sit, nihil potest ad accentum conferre.

rem, si nihil indicii haberem, aut *quod nullum indicium habeo.* Contra Sophocles in Trachiniis v. 592.

> *ἀλλ' εἰδέναι χρὴ δρῶσαν. ὡς οὐδ' εἰ δοκεῖς*
> *ἔχειν, ἔχοις ἂν γνῶμα, μὴ πειρωμένη.*

Hic si dixisset, *μὴ οὐ πειρωμένη*, hoc significasset: *non cognocas rem, nisi experimentum facias.* Nunc *μὴ πειρωμένη* dicens, hoc vult: *rem non cognoscas si non facias experimentum.* Dixerat enim Deianira, *πείρᾳ δ' οὐ προςωμίλησά πω.* Non recte ergo Schaeferus in Meletem. crit. p. 57. istud *μὴ πειρωμένη* tantumdem esse dicit atque *εἰ μὴ πειρῷο.* Immo idem est quod *ἄπειρος οὖσα*, vel *εἰ οὐ πειρᾷ,* ut apud Homerum Iliad. XXIV. 296.

> *εἰ δέ τοι οὐ δώσει ἑὸν ἄγγελον εὐρύοπα Ζεύς.*

Vt Sophocles, ita Plutarchus in initio libri, quo quaerit, quomodo quis suos in virtute progressus sentiat, p. 75. B. commemoratus ille eadem pagina a Schaefero: *οὐδὲ γὰρ ἂν ἐν μουσικοῖς τις ἢ γραμματικοῖς ἐπιδιδοὺς γνοίη, μηδὲν ἐν τῷ μανθάνειν ἀπαρύτων τῆς περὶ ταῦτα ἀμαθίας, ἀλλ' ἴσης αὐτῷ τῆς ἀτεχνίας ἀεὶ παρούσης· οὐδὲ κάμνοντι θεραπεία, μὴ ποιοῦσα ῥαστώνην, μηδὲ κουφισμόν, ἀμωςγέπως τοῦ νοσήματος ὑπείκοντος καὶ χαλῶντος αἴσθησιν ἂν παρέχοι διαφορᾶς, πρὶν εἰλικρινῆ τὴν ἐναντίαν ἕξιν ἐγγενέσθαι παντάπασιν, τοῦ σώματος ἀναῤῥωσθέντος.* 231 Hic ut *θεραπεία μὴ ποιοῦσα ῥαστώνην* est *curatio nihil allevans aegrotum*. sic etiam in prioribus verbis, *μηδὲν ἀπαρύτων τῆς ἀμαθίας* non est *nisi quis aliquid de inscitia sua deponat*, quod dicendum fuisset, *μὴ οὐκ ἀπαρύτων τι*, sed *si non deponat aliquid*. Euripides Heracl. 283. ibidem allatus a Schaefero:

> *μάτην γὰρ ἥβην ὧδέ γ' ἂν κεκτῴμεθα,*
> *πολλὴν ἐν Ἄργει, μή σε τιμωρούμενοι.*

Non *nisi te puniremus*, sed *si te non puniremus*. *Κεκτῴμεθα,* modo iota subscribatur, videtur defendi posse *). Vide Eustathium ad Hom. p. 1305, 48. 1332, 19

*) De his formis, quae hic commemoratae sunt, videnda est

Favorinum in v. μεμνέῳτο et in v. χρεώμενοι. Vnde quamvis mirum φοβῷτο, quod habent codices duo Stobaei in Ecl. I. 8. p. 214. ed. Heeren. in versu Sophoclis ex Oed. R. 977., dignum tamen est, quod consideretur. Eiusdem generis sunt ἀναβιῴην apud Aristophanem in Ranis v. 177. commemoratum Etymologo in v. βιῴην et aliis grammaticis, ac συγγνῷη apud Aeschylum in Suppl. v. 223. Quas formas Buttmannus, memor eorum quae de formis ῥιγῶν, ῥιγῷ, ῥιγῴη ad Platonis Gorgiam ed. Heindorf. p. 528. et in novissima editione Graecae grammaticae p. 241. attulerat, quibus addi exemplum formae ῥιγῴη potest ex Hippocrate Sect. IV. p. 337, 33. ed. Genev. sive 232 p. 2, 39. ed. Mack. non debebat in eadem grammatica p. 252. quod ab recentioribus frequentatae sunt, deteriores vocare. Recentiores enim, ut alibi, ita hic quoque rariora et antiquiora praetulerunt. Grammaticis, qui has formas improbant, Phrynicho p. 152. Thomae Magistro p. 125. seqq. Moeridi p. 117. praeter lexicographos et Eustathium, saepius earum mentionem facientes, adde Georgium Lecapenum in Matthaei lectt. Mosq. vol. I. p. 59. Mansisse illae videntur e Dorica lingua, cui βιῴη tribuit e veteri grammatico Suidas, βιώτω Eustathius p. 1418, 13. Manifesto Doricum est διδῶν apud Theocritum XXIX. 9. Non fuit tamen διδῶναι dictum: vide Eustathium p. 1357, 18. ad Iliad. XXIV. 425. ubi διδοῦναι est infinitivus aoristi. Nam ut ab ἁλώω, βιώω, γνώω, legitimae formae sunt ἁλῶναι, βιῶναι, γνῶναι, ita a δόω legitima forma est δοῦναι. Nec dictum fuit ἀρώμεναι, sed ἀρόμμεναι, agnitum apud Hesiodum in O. et D. 22. a Moschopulo certe et in lexico Favorini in v. ἀπαρέμφατα. Cuius similia sunt ζευγνύμμεν Iliad. XVI. 145. et ἴμμεναι XX. 365. commemoratum Etymologo p. 467, 20. quae quo iure scribantur ζευγνῦμεν et ἴμεναι, quemadmodum recte scribitur ἄμεναι Iliad. XXI. 70., nescio. Ad easdem illas verborum Doricas vel antiquas

---

docta disputatio Buttmanni in Epimetro, quod dissertationi meae adiecit in museo antiq. stud. p. 235—250.

formas alia quoque pertinere videntur, quae epica poesis usurpat, ut *δηϊόφεν* Odyss. IV. 226. Ac nescio an eo-233 dem referri debeant terminationes verborum *όω* et *ώω*, e terminatione *άω* ortae. Omnino terminationes verborum in *άω* desinentium, quae paradigmatis loco exhiberi solent, in perpaucis verbis usitatae fuerunt. Boeotis eas tribuit Heraclides apud Eustathium p. 831, 63. sed quae ille exempla affert, apud Homerum inveniuntur, *ἐλάων* in hymno Merc. 342. *διψάων* Odyss. XI. 584. *πεινάων* Iliad. III. 25. XVI. 758. XVIII. 162. quibus addi quaedam possunt alia, ut *ἀναμαιμάει* Iliad. XX. 490. *τηλεθάον*, *τηλεθάοντας*, *τηλεθάουσαι* Iliad. XVII. 55. XXII. 423. hymn. Ven. 267. et saepissime occurrens verbum *ναιετάειν*. Nondum de hoc omni genere allatum est, quod operae pretium sit.

Sed redeo, unde digressus sum. Euripides in Troad. 402. a Schaefero citatus:

Πάρις δ' ἔγημε τὴν Διός· γήμας δὲ μή,
σιγώμενον τὸ κῆδος εἶχεν ἐν δόμοις.

Si non duxisset. Apertum est, quod eorum caussa moneo, qui *μὴ οὐ* post negationem dici tradunt, hic, etiamsi in apodosi accessisset negatio, non *μὴ οὐ* sed *μὴ* dicendum fuisse. Fac enim scripsisse poetam, *τὸ κῆδος οὐκ ἂν εἶχε κλεινὸν ἐν δόμοις*, nihilominus debuisset *μὴ γήμας* addere, quia non ambiguum relinquit, utrum Paris uxorem duxerit, an non duxerit. Aeschylus in Prometheo v. 503.

οὐδείς, σάφ' οἶδα, μὴ μάτην φλῦσαι θέλων. 234

Nemo, qui temere se iactare nolit, id est, *nemo vera dicere amans. Μὴ οὐ* si dixisset, id foret, *nemo*, *nisi iactator*. Interdum ambiguum est, utrum *μὴ* sit *si non*, an *quod non*. Male Schaeferus in Meletem. crit. p. 109. *οὐ* omissum putat in hoc Xenophontis loco, in Anab. VI. 4, 19. *καὶ ἐπὶ τούτῳ πάλιν ἐθύετο ἐς τρίς, καὶ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά. καὶ ἤδη καὶ ἐπὶ σκήνην ἰόντες τὴν Ξενοφῶντος ἔλεγον, ὅτι οὐκ ἔχοιεν τὰ ἐπιτήδεια· ὁ δ' οὐκ ἂν ἔφη ἐξαγαγεῖν, μὴ γιγνομένων τῶν ἱερῶν.* Non dicit

hic, *nisi sacra addicerent*, quo prorsus ea res incerta relinqueretur, sed aut, *si non addicerent*, aut *quod non addicerent*. Sic etiam apud Platonem in Parmenide p. **146**. E. *οὐδὲ μὴν ἑαυτοῖς γε ἕτερ᾽ ἂν εἴη ἀλλήλων, μὴ μετέχοντα τοῦ ἑτέρου.*

Sed finem imponam huic dissertationi. Neque enim aliud volui, quam ostendere, explicationem huius loci, qui est de ellipsi et pleonasmo, vix inchoatam, nedum perfectam esse; ac ne posse quidem perfici, nisi illa, quae ab hoc loco aliena sunt, removeantur. Poterit autem vel ex hac re intelligi, quantopere fallantur, quamque parum, quo in statu sit Graecae linguae cognitio, intelligant, qui vel fundamenta iacta esse Graecae grammaticae credunt. Quod si recte rem volumus aestimare, aliquid ad 235 eum finem materiae parari coeptum esse fatebimur; coeptum esse etiam in varios locos digeri hanc materiam; sed antequam plura, eaque non temere, sed cum consilio quodam et iudicio congesta fuerint, non esse futurum, ut ad veram et accuratam Graecae grammaticae scientiam perveniatur.

DE DIALECTO PINDARI OBSERVATIONES *).

Graecae grammaticae pervestigatio, quae nuper paucorum quidem, sed idoneorum hominum studiis admirabiles fecit progressus, nunc, si recte sentio, aut consistere in medio cursu cogetur, aut alia, quam hactenus, via debebit ingredi. Eo enim iam perducta videtur ista doctrina, ut, nisi ille locus, qui est de dialectis, pertractetur, nulla in parte eius cum aliquo fructu procedi possit longius. Non mirabor tamen, si plerique dialectorum explicationem propter incredibilem rei difficultatem defugient. Neque enim haec res collectione diversarum formarum confici potest, ut quidam opinati sunt, sed et lectio in singulis locis ad criticas regulas expendenda est, et tempora scribendique genera diligenter sunt discernenda. Quod quam magnum sit, quamque difficile, in tanta non solum copia, sed etiam corruptione veterum scriptorum, sponte intelligitur. Equidem ut aliquid ad eam rem conferam, editis ante biennium de hac materia observationibus nunc alias addam, quae ad Pindarum spectabunt. De quo scriptore non minus perverse quosdam iudicare video, quam de Theocrito, quum utrumque Do-

*) Edita est haec dissertatio a. 1809, repetita in ed. Heyniana Pindari a. 1817. vol. 3. adiectis paucis adnotationibus.

rica lingua usum existimantes, temere, quidquid Doriensibus usitatum fuit, aut ferendum in his scriptoribus, aut etiam reponendum esse censent. At ne Theocritus quidem ubique aut Doricam dialectum, aut eumdem Dorismum admisit: sed huius rei fines qui monstraret, praesertim in tam corrupto scriptore, nondum inventus est. Minus etiam Dorica lingua usus est Pindarus: qui ne ipse quidem, quamvis integrior aliis scriptoribus ad nos pervenisse creditus, suae dialecti probabilem reperit explanatorem. Nimirum, ut alibi non semel diximus, ante omnia gentium dialecti a dialectis scribendi generum se-4 cernendae erant. Quae res habet sane aliquid difficultatis, quod gentium usus e scriptoribus tamen, exempla sectantibus illorum, qui in eodem genere elaborarunt, cognoscendus est. Verumtamen scribendi genera alia aliis ad hunc finem aptiora sunt; maxime pleraeque prosae orationis formae; tum poesis illa, quae communem vitam imitatur, ut comoedia et mimi: multo minus caetera poeseos genera, quorum nullum est, quod puram cuiusquam gentis linguam exprimat. Et quoniam prima omnium fuit epica poesis, cuius duae fuerunt levi discrimine distantes familiae, una Ionica Homeri, altera Aeolica Hesiodi, quarum victrix Ionica diu lex et norma habita est omnis poeseos: quaecumque deinde aliae exstiterunt poeseos formae, eae aut epicam sequutae sunt poesin, alia ab alius gentis lingua colorem trahens, ut lyrica poesis, nunc Ionum linguae, nunc Aeolensium, nunc Doriensium, neque uno modo, sese accommodans, aut certarum gentium linguam consectatae sunt, colorem ab epicis ducentes, ut tragoedia et bucolicum genus. Haec reputantibus planum erit, qua via in hac disputatione incedendum sit.

Veniamus ad Pindarum. Verissime hunc veteres communi lingua usum dixerunt. Sturzium quidem, hoc in Maittairii libro p. XXXIV. sic interpretantem, ut Pindari, poetae temporibus Persicis florentis, dialectum proxime ad antiquissimam Hellenum linguam, a qua omnium minime abfuerit Dorica sive Aeolica, accedere putaret, mirarer profecto, si nullus Pindari versus ad nos perve-

nisset: nunc autem, quum tantum eius carminum volumen omnium manibus teratur, quid de tali opinione dicam, non invenio. Qui communem linguam Pindaro tribuerunt, hoc dixisse censendi sunt, dialectum, qua utitur, singulari quodam temperamento pene ex omnibus dialectis mixtam videri. Id quomodo factum sit, apertum est. Est enim Pindari dialectus epica, sed colorem habens Doricae, interdum etiam Aeolicae linguae *). Aliis verbis, fundamentum huius dialecti est lingua epica, sed e Dorica dialecto tantum adscivit Pindarus, quantum et ad dictionis splendorem et ad numerorum commoditatem idoneum videretur, repudians illa, quae aut interioris essent, aut vulgaris, aut certis in locis usitati Dorismi. Nec primus hoc fecit Pindarus, sed sequutus alios, ipse 5 quoque post in exemplis habitus. Horum attingam quae praecipua sunt. Fines libelli, brevitatem, brevitas ordinem consulto neglectum excusabit.

Ac de epica apud Pindarum dialecto quum multa dici possent, consistam in hiatu et quorumdam verborum mensura. De hiatu quidem hoc magis mihi dicendum est, quod is nuper quemdam doctissimum virum adduxit, ut digamma a Pindaro usurpatum crederet. At ea littera Pindarum non esse usum, certissimum est. Nam et hiatum admisit in his quoque vocabulis, quae numquam habuerunt digamma, neque ante illa vocabula, quae apud antiquos a digammo incepisse scimus, aut correptionem syllabae consonante terminatae, aut apostrophum declinavit. Neque enim fore puto, qui digamma nunc adhibitum, nunc neglectum fuisse censeat; nec magis, qui eam litteram cum spiritu aspero comparet, qui ad mensuram nihil usquam confert, hiatum autem reddit etiam duriorem. Omnino ex quanam dialecto digamma a Pindaro sumptum dicetur? Ex epica? At Pindari tempore pridem

---

*) Ὡς δὲ οἱ Δωριεῖς ἔχαιρον καὶ αἰολίζοντες, δηλοῖ Πίνδαρος, ἀναμὶξ οὕτω ποιῶν, ἤτοι Δωρικῶς γράφων καὶ Αἰολικῶς. Eustathius p. 1702, 3.

digamma ex epica poesi evanuerat. An e Dorica? At ab antiquo illo et interiore Dorismo, cuius proprium erat digamma, plane abstinuit Pindarus. An denique ex Aeolica? At quum omnino perpauca hinc hausit, tum ne Aeolici quidem poetae, ut Alcaeus et Sappho, digamma magnopere frequentarunt, quo illi in multis vocabulis abstinuerunt, quibus Pindarus, si ex hiatu coniectura facienda esset, adiecisset digamma. Bis occurrens apud hunc *ἀνάτα* de se ipso, non de aliis vocibus, testimonium edit. Sola ille pronomina *ἕθεν, ἕ, οἷ,* quae tamen ne ipsa quidem apud eum digamma habuisse puto, prorsus ita, ac si haberent, usurpat. Horum *ἕ* semel invenitur, sed post consonantem, Ol. IX. 23. *οἷ* Ol. I. 37. 106. VI. 35. 111. VII. 164. 168. IX. 24. 101. XIII. 39. 52. 92. 100. 109. 130. XIV. 32. Pyth. I. 14. II. 153. III. 112. IV. 40. 65. 84. 129. 337. 432. 470. 510. V. 157. IX. 62. 99. 145. 192. 213. Nem. I. 19. 24. 88. 92. III. 66. 98. V. 62. VI. 38. VII. 58. X. 53. Isthm. V. 78. VI. 16. 72. VIII. 125. in fragm. p. 80. III. ed. Heyn. His adde Ol. II. 74. Pyth. II. 78. IX. 148. Nem. IV. 96. VII. 32. X. 27. 149. Isthm. IV. 109. de quibus locis disputavi ad Orphica p. 787. seqq. *Ἕθεν,* nusquam occurrens, quin eamdem legem sequi debuerit, non est dubium. Hoc unum addo, si quando syllaba ob digamma per positionem produci videatur, hos locos aut aperte vitiosos esse, aut suspicionem certe vitii habere non exiguam. Male numeris consulens lectio Pyth. IV. 450. *ἐπεδείξαντο κρίσιν ἐσθᾶτος ἀμφίς*, scribi postulat *ἐπέδειξαν:* quo facto ad digamma confugientem retinebit eiusdem carminis v. 140. Quare rectius fortasse scribetur *κρίσις*, Ionice pro *κρίσιας*, ut in libris certe omnibus *φάτις* est Pyth. III. 199. In Isthm. VI. 61. *τοιοῦτόν γ᾽ ἔπος* haud obscure offert ed. Rom. Arsis quidem in lyricorum versibus non sufficit ad producendas breves syllabas. Quare vide ne Ol. II. 10. scribendum sit *γεγωνητέον, ὄπιν δίκαιον ξένον*: v. Isthm. V. 74. In Pyth. IV. 328. deletum uno cum codice ineptum *γὲ* gravioris mendae index est, cuius correctionem ab libris, quam a coniectura, sperare malim. Quam-

quam haec tenuis spes est, quum codices Pindari omnes ex uno videantur fonte manasse, unde tantus eorum etiam in vitiis consensus est. Sic in eodem carmine v. 452. ubi scribendum videtur: *καὶ ἐν ἀλλοδαπαῖς σπέρμ' ἀρούραις τουτάκις ὑμετέρας ἀκτῖνος ὄλβου δέξατο μοιρίδιον ἆμαρ.* Et V. 55. ubi poetam dedisse coniicio *κάθεσσαν θεῷ.*

Redeo ad hiatum, quem epicae poeseos exemplo admissum esse a Pindaro inde cognoscitur, quod plerumque in iis vocabulis reperitur, in quibus Homerus quoque eum habet; deinde in nominibus propriis, et quibusdam verborum coniunctionibus, quae ipsae, si opus esset, similibus epicorum locis defendi possent. Quo certius de hac re constet, ipsos afferam Pindari locos, ac primo, ubi in brevi vocali hiatus est. *Τε ἴδρις* Ol. I. 167. *πολλὰ εἰδὼς* II. 155. *τε Ὤανον* V. 52. *δὲ ἔχοντες* 37. *τι ἔπος* VI. 25. *τε Ἰάλυσον* VII. 136. *κατὰ εἶδος* VIII. 25. *σάφα εἴπας* 61. *τὲ ἰδὼν* IX. 94. *καλὰ ἔρξαις* X. 109. *διαλλάξαιντο ἦθος* XI. 22. *εὐρὺ ἀνάσσων* XIII. 34. *δὲ ἴδιος* 69. *τόσα εἰπεῖν* 101. *παρὰ ἐλπίδα* 117. *ἐρασίμολπε ἰδοῖσα* XIV. 22. *ἴθι Ἀχοῖ* 29. *ὄφρα ἰδοῖσ'* 31. sic enim legendum; *ἀντὶ ἔργων* Pyth. II. 33. *ἐπὶ ἐλπίδεσσι* 89. *ποτὶ ἅπαντα* 123. *πάντα ἴσαντι* III. 52. *ἀνέρι εἰδομένῳ* IV. 37. *Ἐπίαλτα ἄναξ* 159. *οὔτε ἔργον* 185. *δὲ Ἰωλκόν,*7 nisi *δ' Ἰαωλκὸν* legendum, 334. *παῖδα ὅν, suum,* VI. 36. *μάλα ἀδόντι* 51. *καλὰ ἔργα* VII. 20. *ποτὲ Οἰκλέος,* si recte sic cod. Bodl. VIII. 55. *δὲ οἴκοθεν* 72. *κελαδῆτε ἄκρᾳ* XI. 17. *τε ἄναξ* 94. *μέγα εἰπεῖν* Nem. V. 25. *οὔτινα οἶκον* VI. 42. *μέγα εἰπὼν* 45. *ἐπὶ εἴκοσι* cum cod. Aug. 100. *ἐπὶ ἴσα* VII. 7. *τρία ἔπεα* 71. *γλυκεῖα ἔργῳ* 77. *καλὰ ᾤκισεν* X. 8. *μέγα ἔργον* 119. *ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ,* nisi *ἁλιερκέος* scripsit, Isthm. I. 10. *Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ* 45. *περὶ ᾧ, suo,* IV. 60. *ἄρα εἰπὼν* VI. 81. *τε εὐανθέα* VII. 47. *τε ἄδον* VIII. 40. *Ἄρεϊ ἐναλίγκιον* 81. *δὲ ἑσπέραις* 94. Quod Ol. II. 169. legitur, *ἑκατόν γε ἐτέων,* defendi potest, sed non male scriberetur *ἑκατόν γ' ἐπ' ἐτέων.* Ol. III. 29. hiatum tollit melior lectio. V. 42. corruptum videtur, de quo loco infra. Pyth. I. 72.

scribe *στεφάνοισί τ' ἐν ἵπποις τε.* Ibidem v. 178. scribe, *ὦ φίλος εὐτραπέλοις κέρδεσσ'*, ut Nem. III. 133. qua oblata opportunitate moneo *ι* dativi post duplex *σ* abiici epicorum exemplo, non post unum *σ*. Itaque Nem. IX. 55. aut cum scholiasta *σώματ' ἐπίαναν*, aut *σώμασι πίαναν* legendum. Cod. Aug. *σώμασιν ἐπίαναν*. Olymp. XIII. 153. autem scribe *'Αρκάς*. Hic hiatus, *Κάρνεια ἐν δαιτὶ σεβίζομεν* Pyth. V. 106. non ferendus: malim *σύν*. Nem. V. 58. scribe *τοῖο δ' ὀργάν*, et Isthm. VII. 18. cum Heynio *ἀνίκ' ἄρ' ὀρθῷ*. Alius locus, VIII. 87. infra emendabitur. Ibidem v. 130. scribendum videtur, *ἔδοξεν δ' ἄρ' ἐν ἀθανάτοις*. In fragm. p. 19. *μελίφρονα ἀρχὰν* error Schneideri est: apud Athenaeum recte *μελίφρονος*.

Sequitur hiatus in longa syllaba, quae est in arsi: Ol. III. 54. IV. 10. VI. 141. VII. 3. IX. 149. X. 81. XI. 10. XIII. 48. XIV. 28. Pyth. I. 74. II. 122. III. 3. IV. 252. V. 112. IX. 79. 137. XI. 92. XII. 6. Nem. III. 58. XI. 35. 36. IX. 131. X. 162. XI. 52. Isthm. I. 21. 86. IV. 24. 69. VI. 47. VII. 14. Sed Ol. XI. 87. XIII. 96. versuum distinctio mutata hiatum tollet. Ibidem v. 164. et Pyth. I. 130. scribendum *Ζεῦ τέλει'*. De Pyth. XII. 24. vide ad Orph. p. 722. Nem. I. 78. iam in commentatione de metris Pindari correctum. Isthm. VI. 83 ex Olymp. IX. 120. et Nem. X. 35. scribendum *ἀναγήσασθ'*. Isthm. VIII. 124. lege *ἀοιδαί γ' ἔλιπον*.

8 Longa syllaba in thesi, ut iam ad Orphica observatum, non facit hiatum, nisi in fine ordinis. Vide Pyth. I. 56. VIII. 136. Isthm. I. 21. II. 64. Ita defendi posset *οὔπω* a Schmidio in Pyth. X. 42. illatum, nisi etiam vulgata recte se haberet. Defendi posset etiam Pyth. IV. 115. *παισὶ τούτου* e cod. Bodl. receptum: sed longe exquisitius est vulgatum, *παισὶ τούτοις*. Sed quod IX. 84. legitur, *φθονεροὶ δ' ἀμύνοντ' ἄτᾳ εἴ τις ἄκρον ἑλών*, nullo pacto ferri potest. Locum pessime corruptum sic emendandum puto: *φθονεροὶ δ' ἀμεύονται. εἰ γάρ τις* etc. i. e. *invidi praetereunt mediocrem sortem.* Vide Pyth. I. 86.

Frequentissimus omnium ille hiatus est, quo longa syllaba ante vocalem corripitur: qui quidem hiatus ab his numeris, qui ad trochaicum genus pertinent, prorsus exclusus est. Quare *λυγρῷ ἐν νείκει* Nem. VIII. 42. sic, ut apud scholiasten est, *ἐν λυγρῷ νείκει* scribi debet. Etiam in dactylicis numeris hic hiatus peccat Nem. VI. 6. ubi *αἰὲν* scribendum.

Progredior ad productiones correptionesque brevium vocalium ante mutam cum liquida. Et quum vetustiores epici, ut ad Orpheum docui, productionem praeferant, Pindarus non rarius hos sequitur, quam corripiendo vincit etiam Atticos. Sic frequentes apud eum correptiones sunt ante *γλ*, quas rarissime admiserunt Attici; ante *φν* ut in *ἀφνεός*, in *ἔπεφνε* Ol. II. 74. et alibi; ante *πτ* in *Νεοπτόλεμος* Nem. VII. 52. Sed nusquam ante *ζ*, quamquam ante *σκ* Nem. VI. 46. VII. 89. quorum tamen locorum in priore cum Heynio *σκοποῦ ἄντα τυχεῖν* scribendum videtur: quo magis alterum suspectum habeo. Monstra sunt *πλαγχθέντες* prima brevi Nem. VII. 55. ubi videant grammatici, ne *πλανέντες* legendum sit; et *ἐσλὸς* ter primam corripere creditum, Ol. II. 35. Pyth. III. 116. Nem. V. 155. Equidem, venia enim erit modesta audenti, antiquam vocabuli formam cum Ev. Scheidio *ἐθελὸς* fuisse puto, servatam, ut tot alias, in Germanico *edel*. Ex qua forma quum medium *ε* eiiceretur, factum est *ἐθλὸς*, iure suo primam corripiens: quod quum Dorienses *ἐσλὸς* pronunciarent, hoc pro *ἐθλὸς* Pindaro obtruserunt grammatici. Caeteri Graeci, invitante ipsa littera *θ*, *ἐσθλὸς* dixere. Alia similia non rara sunt, e quibus *δίδυμνος* vindicavi Pindaro in epist. ad Heynium p. 398. Sed propius 9 accedunt *βαθμός*, *βασμός*, *ἴθμα*, *ἴσμα*, *δυθμή*, *δυσμή*, male *δυσθμὴ* scriptum in schol. Ven. ad Iliad. XI. 62. *Ἰσθμὸς* pro *ἰθμὸς* dictum tradunt grammatici. Apud Hesychium est *ἰθμαίνων*, *ἰσθμαίνων*, *ἰσμαίνει*.

Pergo ad alia. Quum numeri e genere dactylico spondeum in quibusdam locis adspernentur, mirum est tamen, eam legem saepius a Pindaro violari. Excusationem ab sede versus praesertim in nomine proprio habet

Ol. X. 119. Nullam excusationem admittit Ol. V. 42. τιμῶν τ' Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντ' Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον, ubi vulgo ῥέοντα Ἰδαῖον, peius etiam. Hunc locum aliis emendandum relinquo: illud apertum est, nusquam a Pindaro invocatum Idaeum Iovem hic etiam inepte invocari. Pyth. IV. 406. scribendum ὀρόγυιαν, de qua forma videndus censor Porsoni in Monthly Review 1799. mens. April. p. 430. s. Nem. XI. 45. recte Schmidius χαλκευτέα, ubi codex Aug. χαλκέων τε. Isthm. VIII. 67. scribendum videtur, ἐπεὶ θεςφάτων ὄπ' ἄκουσαν. Pleraque huius generis vitia in uno vocabulo χρύσεος reperiuntur, si id, ut saepius monenti Clarkio creditur, prima semper longa est. At equidem persuasum mihi habeo, ancipitem eam syllabam in lyrica dialecto esse. Brevem facit Pindarus Pyth. III. 129. IV. 6. 257. 411. IX. 98. X. 61. Nem. V. 14. Isthm. VII. 69. Ipsique hoc tragici in melicis versibus aliquoties fecerunt: Sophocles in Antig. 103. Euripides in Med. 639. 683. in Iphig. Aul. 1057. in Bacchis 97. in Heracl. 919. in Herc. fur. 350. Ambigui loci sunt Sophoclis in Oed. R. 158. 188. Euripidis in Herc. fur. 395. Expendi merentur apud eumdem in Bacchis, 372. in Elect. 192. Obtinet haec mensurae ambiguitas in solo adiectivo χρύσεος. Pindarus tamen etiam nomen χρυσὸς semel prima brevi posuit Nem. VII. 115. Aliae apud hunc sunt longarum vocalium correptiones, partim ab epicis quoque aliisque poetis admissae, ut primae in υἱέων Nem. VI. 37. Isthm. VIII. 52. tertiae in ἱέρεα, neglecta lexicis forma, Pyth. IV. 9. quod ἱερέα scribendum, ἱερέη dictum Callimacho epigr. 42, 1. partim excusationem idoneam habent, ut secundae in ἥρωας Pyth. I. 103. III. 13. IV. 102. et ἡρωΐαις Nem. VII. 68. ultimae in ἰσχὺν Nem.
10 XI. 41. partim insolentiores sunt, ut primae in πιαίνων Pyth. IV. 267. in αἰόλει ibidem v. 414. in ἰοχέαιρα II. 16. in μητίονται 170. secundae in τετραόροισιν Nem. VII. 137. ultimae in Κύκνεια Ol. X. 119. quamquam huic quidem exemplo similia alibi quoque inveniuntur, ut Ἑκτόρεια χεὶρ in Rheso v. 764. quod iste Atticorum imitator

ex diversae formae exemplis, ut *βασίλεια χείρ*, *Πολυδεύκεια χείρ*, apud Etym. M. p. 451, 50. 461, 44. hausit. Magis singularia sunt *πὰν* Ol. II. 153. *οἰκοριᾶν* Pyth. IX. 35. *ἀὲ* v. 154. Nam *Σερίφῳ* media correpta Pyth. XII. 21. nondum credo sanum esse. *Θεὸς* autem pro una brevi syllaba positum Pyth. I. 109. nescio an defendi possit versu Praxillae, *ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον*, apud Hephaest. p. 9. Eustath. p. 12, 23. 805, 21. 1372, 8. *Πέλλανα* Ol. XIII. 155. ultima brevi, quae producitur VII. 156. Aeolicae dialecti est. Simile *Νέμεα* Ol. XIII. 47. potest etiam pluralis esse. Primae correptio in *Θειαῖος* Nem. 45. 69. arguere videtur, nomen illud caruisse diphthongo. *Δάπεδον* sequitur auctoritatem epicam: quare Nem. VII. 121. ubi longa est prima, fortasse *γάπεδον* scribendum: v. Pors. ad Eurip. Or. 324. *Ἀνὴρ* et *ὕδωρ* epicorum exemplo variant: *καλὸς*, ut apud Atticos, prima semper brevi posuit: sic etiam *ἴσος* et *φθίνειν*.

Non minor in contractionibus licentia. Epicorum usu firmantur hae: *ἀργυρέῳ* Ol. IX. 48. *πορφυρέοις* Nem. XI. 36. *κουλεῷ*, sic enim scribendum, X. 11. *Ἡρακλέος* Pyth. X. 4. *Πηλέος* Isthm. VI. 36. *Πολυδεύκεος* V. 42. *γονέων* Pyth. V. 27. *Πυθέᾳ* Isthm. VI. 85. *Νεμέα* Nem. IV. 122. *διαπρεπέα* Isthm. V. 42. *Ἀλκυονῆ* VI. 48. *Ὀδυσσῆ* Nem. VIII. 44. *πάτρῳ* Pyth. VI. 46. *ἐπηετανὸν* Nem. VI. 19. *πνέον* Pyth. IV. 401. *ἢ ὅτ'* Isthm. VII. 11. 12. Non multum recedunt haec: *Ὀποῦντος* Ol. IX. 87. *Νικοκλέους* Isthm. VIII. 134. *Ἀριστοφάνευς* Nem. III. 35. ubi cod. Aug. male *Ἀριστοφάνους*; *γεννύων* Pyth. IV. 401. Magis Dorica videntur haec: *ξυνᾶνα* Nem. V. 50. *τετράορον* Pyth. X. 103. *τετραοριᾶν* Isthm. III. 28. *τιμάορος* Ol. IX. 124. *χρυσάορα* Pyth. V. 139. *Λαομεδοντίαν* Isthm. VI. 28. *Λᾷον* Ol. II. 70. *τεαῖσιν* Isthm. VII. 71. *νεαρὰ* Pyth. X. 39. Nem VIII. 34. *κτέατα* VII. 59. *πολυκτέανον* Ol. X. 44. *Κτέατον* v. 33. *Δὶ* Pyth. VIII. 142. Nem. I. 111. IV. 15. X. 105. Isthm. VIII. 75. Quaedam ex hoc genere corrupta sunt. Ol. VII. 122. 11 scribendum videtur *φανόν*. Pyth. XI. 67. recte Pauwius

Πυθονίκῳ, ut *Πυθοχρήστας*, *Πυθόκραντος*. Nihil enim sani est in his, quae Brunckius ad Aesch. Pers. 35. attulit. Tale esset *λόγιοι* Nem. VI. 51. sed veram lectionem, *λόγοι*, servavit cod. Aug. Nec *μάτρωες* Isthm. VI. 91. contrahi potuisse puto, sed aut *μάτρως* legendum, aut, sublata interpunctione, *ἀνάγαγον*.

Diphthongi *αι* abiectionem, acceptam ab epicis, latius extendit Pindarus. Invenitur haec in prima persona praesentis passivi Pyth. XI. 80. et futuri Ol. XIII. 72. et in tertia sing. Isthm. VI. 18. et in coniunctivo Ol. VIII. 15. in tertia pluralis Ol. III. 18. XII. 9. XIII. 59. Pyth. IV. 259. IX. 73. Nem. I. 48. IV. 125. V. 39. XI. 49. Isthm. IV. 20. et in perfecto Isthm. VI. 32. et in infinitivis passivi Ol. X. 47. Pyth. I. 86. III. 33. 205. Nem. VII. 31. VIII. 17. X. 35. et, secundum supra propositam emendationem, Isthm. VI. 83.

In crasi propius ad Atticos accedit Pindarus, v. c. *κἀκεῖνον* Ol. III. 55. *κἀσόφοις* 81. *χὠπόταν*, *χὤταν* Pyth. II. 159. s. *χὠπόσαι* IX. 83. *χὤτι*, *χὠπόθεν* 86. Doricae crases sunt *τὤντ'* Ol. I. 71. *τὠργείου* Isthm. II. 15. Sed quod Isthm. IV. 42. Aldina habet, *κήν*, vulgo *κεἰν* et VI. 87. *κ' ἐν* scriptum, id vereor ne abhorreat a Pindari dialecto. Solutio Ionica *παρθενηΐοισι*, nostra emendatione Nem. VIII. 3. restituta, firmatur quodammodo a cod. Aug. in quo est *παρθενηΐσι*. Ad epicam legem factum est *ἄϊσος* Isthm. VII. 60.

Venio nunc ad Dorismum Pindari, qui aliquanto angustioribus circumscriptus est limitibus, quam plerosque existimasse video. Non Pindarus usquam primam personam pluralis numeri in *μες* terminavit; non *ἦνθεν* dixit, aut quae similia apud alios reperiuntur: nam scholiastes ad Ol. VI. 37. nugas profert; non *σδ* pro *ζ*: nam *καχλάσδον* in fragm. p. 71. Reiskii inventum est, meliora monstrante Pindaro Ol. IX. 3. IV. 318. non *Μῶσα*, Alcmani usurpatum et certa lege Theocrito; non genitivum secundae declinationis in *ω* terminatum: nam Pyth. IV. 202. Nem. VI. 36. VII. 8. 41. Isthm. IV. 122. quin etiam Ol. VII. 35. et Nem. XI. 4. ubi *πέλας* additum, dativi restituendi

sunt. Nec mirum, si Pindarus huic casui iunxit πέλας: in quam quidem rem nolim Sophoclis loco uti in Ai. 774. Πέ-12 λας, ἐγγύς, et similia, genitivo iuncta significant *prope ab aliquo loco:* dativo, *prope ad aliquem locum.* Ol. IX. 83. recte legitur φερτάτων. Nem. III. 16. οὐρανῷ πολυνεφέλα scholiorum indicio grammaticis debetur, ut fere in caeteris locis. Pindarus dederat οὐρανῷ πολυνεφέλᾳ κρέοντι, ut οἰκεῖν οὐρανῷ dixit X. 109. Iam nemo, opinor, dubitabit, quin Nem VI. 62. scribendum sit χρυσαλακάτου. Librarii, nimis interdum Dorismo prospicientes, aliquando etiam monstra reposuerunt, ut θάσομαι Isthm. I, 3. ubi v. Heynium, et Ἀσκλάπιον ἄρωα Pyth. III. 12. ubi etiam Ἀσκλάπιον in dubitationem venit ob Nem. III. 94. Nec Δωριῆς Pyth. I. 125. scriptum a Pindaro puto, sensu etiam Δωρίοις requirente. Valde suspectum est ποττὰν in fragm. p. 19. Nec νικῇ Nem. V. 9. licet agnitum scholiastae, probaverim, cui tuendo frustra afferas διψῇ III. 10. Interdum vero Atticas formas librarii vel Ionicas pro Doricis dederunt, ut λεὼν Ol. IX. 100. λεῷ Pyth. VIII. 76. Μοῦσα in fragm. p. 90. 152. Ἀθηναίων Pyth. I. 148. fragm. p. 26. 101. Nolim tamen sollicitari Μουσαγέτας p. 115. etsi Μοισαῖος Pindarus dixit Nem. VIII. 80. Isthm. VI. 2. VIII. 134. Non enim constans ubique usus est, nec si κελαδεννός, κλεεννός, φαεννός, aut ὀδυναρός, aut ἔφανας, ἀπεφάνατο, ἀπανάνατο dixit Pindarus, mirabere ποθεινός, σκοτεινός, τυχηρός, ὑγιηρός, παπτήνας dicentem. Sunt tamen, quae numquam Doricis formis careant. Quare librariis imputanda ἱερῆσιν ἀοιδῆς fragm. p. 123. ἐφημερίων p. 124. ἐφήμερε p. 149. ἡμένη p. 119. quod scribendum ἡμένα. Nam Ol. X. 41. male est ἄμενον, quod e vestigiis ed. Rom. ἁμμένον scribendum, cui verbo dativus iunctus etiam Isthm. IV. 20. Deinde ὑπηντίασεν Pyth. IV. 241. et ἤκουσαν Isthm. VIII. 67. εἰργασάμην II. 67. ναίουσι VI. 97. περιπνέουσι Ol. II. 136. ἀείδουσι fragm. p. 36. κικλήσκουσι p. 43. στυγέουσι, ἀναδέρουσι p. 126. καίουσαι p. 36. λαχοῦσαι p. 147. τυχοῦσα Isthm. VIII. 79. Nam τυχοῖσα dicit Pindarus, et aut ναίονται, cuius for-

mae exempla inveniuntur Ol. I. 47. II. 135. III. 12. VI. 36. 163. 170. VII. 18. 100. IX. 31. 75. X. 115. XIII. 12. XIV. 12. 17. Pyth. I. 43. 100. 121. II. 27. 40. 56. 161. IV. 55. 157. 511. V. 16. 69. 97. 108. 135. 144. VI. 21. VII. 11. VIII. 124. X. 109. Nem. III. 6. V. 72
13 VII. 14. 19. 123. IX. 65. X. 99. XI. 53. Isthm. V. 15 VI. 94. VIII. 102. fragm. p. 19. 129. aut *ναίοισι*, ut Pyth. III. 31. IV. 32. IX. 110. X. 67. XII. 46. Nem. VI. 102. IX. 98. XI. 6. Isthm. II. 41. Hinc Isthm. VIII. 87. *φασί*, alio quoque nomine vitiosum, ita corrigendum, *φάτις Ἰωλκοῦ*. In singulari numero, si recte memini, semel *τ* pro *σ* positum in *ἐφίητι* Isthm. II. 15. Tangam hic verbum *εἶναι*, cuius prima persona singularis numeri apud Pindarum est *εἰμί*, secunda *ἐσσί*, tertia *ἐστί*; prima pluralis *εἰμέν*, Pyth. III. 108. tertia *ἐντί*, Ol. III. 151. IX. 158. Pyth. IV. 247. V. 132. Nem. I. 34. VI. 76. IX. 75. Isthm. II. 44. et duobus locis, quorum tamen prior tantum certus est, *εἰσίν*, Pyth. V. 155. fragm. p. 31. *Ἄραρε* Pindaricum praebet cod. Aug. Nem. V. 81. Nec ferendum *οὖν* Pyth. IX. 179. quod *ὦν* est Ol. I. 138. 179. III. 67. VI. 33. 87. Pyth. III. 83. 147. IV. 138. 529. Nem. VI. 18. XI. 50. Isthm. II. 19. IV. 11. fragm. p. 134. *Φρασὶ* quoque vereor ne ubique dixerit, quemadmodum Pyth. II. 49. III. 192. IV. 194. Nem. III. 108. Isthm. III. 4. ut corrigi debeant Ol. VII. 44. Pyth. III. 107. IV. 389. Similia sunt *σκιαρὸς* Ol. III. 25. 31. et inversa ratione *γελανὴς* Ol. V. 5. Pyth. IV. 322. *Ἀρτάμιδος* vero Nem. I. 3. non habet idoneam auctoritatem. Constanter dicit *σκᾶπτον*, *ὄρνιχα*, et, nisi fallor, *δίδοι*, quod quum codd. habeant Ol. I. 136. VI. 178. VII. 164. restituendum videtur etiam Nem. V. 93. Vti *Ψαύμιος* Ol. IV. 18. *Πάριος* Pyth. VI. 33. *Θέτιος* Isthm. VIII. 104. ita *Δείνιος* cod. Aug. Nem. VIII. 26. In aliis vocabulis dialecti diversitas coniuncta est cum discrimine significationis. Ita *τότε* *nunc*, *τόκα* *interdum* dicit: v. Ol. VI. 112. Nem. VI. 18. 20. Quare in suspicionem venirent haec Pyth. II 163. *ὃς ἀνέχει τότε μὲν τὰ κείνων, τότ' αὖθ' ἑτέροις ἔδωκεν μέγα κῦδος* nisi cod. Aug. praeberet *ποτὲ μέν*,

quo recepto recte servari τότ' αὖτε periti intelligent. Πόκα nusquam dixit. Similis differentia est in pronominibus τίν, σοί, et τοί, quorum τὶν personae distinguendae inservit: v. Ol. VI. 18. XII. 4. Pyth. I. 134. III. 150. IV. 489. VI. 49. Nem. III. 145. VII. 9. 85. 132. 140. Isthm. V. 21. et quidem correpta vocali, quae apud Theocritum longa est: v. Pyth. I. 56. Nem. X. 55. unde Isthm. VI. 5. scribendum τίν γ': encliticum autem nunc epicorum 14 more τοὶ est, Pyth. IV. 252. 263. 294. fragm. p. 134. nunc σοί, Pyth. IV. 481. IX. 96. quod tamen personam distinguit in fragm. p. 110. Τεῒν et ἐμὶν nusquam inveniuntur: quibus usum eum esse ex Aristophane non tuto colligitur: v. fragm. p. 13. Primae personae apud Pindarum est ἐμοί, Ol. I. 82. 134. fragm. p. 103. accusativus pluralis νῶ e cod. Bodl. reponendus Pyth. IV. 261. secundae nominativus τύ, Ol. I. 135. Pyth. II. 104. VIII. 7. 10. 88. Nem. V. 75. Isthm. VII. 43. sed σὺ Ol. X. 5. Pyth. V. 7. genitivus σεῦ et σέθεν, accusativus σὲ et semel τίν, correptum, ut in dativo, Pyth. VIII. 97. Vexatissimi loci haec constructio est, εὔχομαι, ἑκόντι νόῳ σὲ καταβλέπειν ἁρμονίαν: *cantum tu mihi*, *precor*, *inspires*. Raram hanc accusativi formam habent Theocritus XI. 39. 55. 68. et Corinna in excerptis gramm. Apollon. p. 555. (427. A.) Tertiae personae dativum ἵν, correptum, et digammo carentem, bis habet ex nostra emendatione Pyth. IV. 63. Nem. I. 99. Vsus hac forma est etiam Hesiodus ibidem apud Apollon. p. 556. (427. B.) de quo loco v. Ruhnk. ep. crit. p. 115. Accusativum ἕ iam supra commemoravi: sed plerumque μὶν et νὶν usurpantur: quorum quum μὶν Ionicum, νὶν Doricum sit, ex quodam Pindari carmine allatum ab Apollonio in excerptis gramm. p. 557. (428. A.) videri poterit νὶν ubique restituendum esse. Et fluctuat lectio Ol. IX. 116. Pyth. IV. 71. 193. Non tamen temere quidquam audendum. Libri μὶν praebent Ol. II. 48. 102. III. 50. 81. ubi male plerique μήν; VI. 94. 107. 163. VII. 10. 108. 111. 122. 128. 153. IX. 48. 90. 96. XI. 17. XIII. 98. 113. Pyth. I. 98. 188. IV. 140. 426. IX. 218. Nem. III.

19. 66. V. 57. 70. VII. 124. IX. 119. X. 63. 139. XI. 22. ubi sic Heynius pro *μέν;* Isthm. **I. 90. II. 27. VIII. 113. 136.** *νὶν* autem Ol. **I. 110. III. 46. 58. VI. 21. VII. 70. VIII. 44.** Pyth. **I. 61. II. 52. 104. III. 64. IV. 77. 414. 430. 510. V. 7. 166. VI. 19. IX. 11. 45. 58. 92. 126. 130. 138. 154. XI. 35. XII. 39. 52.** Nem. **II. 10. IV. 5. 34. 126. V. 48. 95. VI. 71. VII. 61. VIII. 14. X. 128.** Isthm. **I. 52. 60. II. 38. IV. 123. VI. 77. 106. VIII. 148.** Offert haec locorum enumeratio rem satis miram, dignamque de qua amplius quaeratur: nam in quibusdam carmi-
15 nibus codices fere ubique hanc, in aliis alteram formam exhibent, ut in Ol. **VII.** et Pyth. **IX.** Eadem inconstantia etiam in his est: *Ποσειδάων* et *Ποσειδᾶν*, unde genitivus Pyth. **IV. 246.** in uno codice *Ποτειδᾶνος* scriptus cum Heynio improbandus videtur. Similia sunt apud Pindarum *Ἀλκμὰν* et *Ἀμυθάν*. Nolim tamen *Ἀμφιάραον* tueri Isthm. **VII. 47.** qui *Ἀμφιάρηος* vocatur Ol. **VI. 20.** Pyth. **VIII. 78.** Nem. **IX. 30.** ubi v. **57.** insolens dativi forma est *Ἀμφιάρῃ*, cum qua non potest comparari *Παμφάῃ* Nem. **X. 92.** ubi restituendus accusativus. Non magis *κρατῆρα* Isthm. **VI. 2.** praeferendum Ionicae formae, quae exstat Ol. **VI. 155.** Nem. **IX 118.** Sed *ἀσυχῇ* Nem. **VII. 120.** corrigendum e Pyth. **XI. 84.** Aliquid etiam inconstantiae est in futuris, aoristis, et perfectis verborum contractorum, et nominibus inde derivatis: in quibus verbis universe ex *εω* est *η*, ex *αω* autem *α*, in quo genere ut singulare notandum *κοινᾶσαι* et *παρακοινᾶσθαι* Pyth. **IV. 204. 236.** Iure suo excipiuntur *κτάομαι* et *χράω*, unde *κτησάσθαν* est Ol. **IX. 70.** *κτησάμεναι* Nem. **IX. 124.** et *χρῆσαι*, *χρῆσις*, *χρησμὸς* saepius. Tum *καύχημα* Isthm. **V. 65.** Correctione autem indigent *ἀντήσας* Ol. **X. 49.** et *ἀναστήσῃ* Pyth. **IV. 276.** ubi de tribus lectionibus, *ἀναστήσῃ*, *ἀναστήσῃς*, *ἀνασταίη*, fortasse nulla vera est, sed *ἀναστήῃ*. Ex altera classe regulam deserunt *δοναθεῖσα* Pyth. **VI. 36.** *ἐδινάθην* **XI. 53.** unde *ὠκυδίνατος* Isthm. **V. 7.** Tum *ἀφθόνατος* Ol. **XIII. 35.** *ἀταρβάτοιο* Pyth. **IV. 149.** *ἐΰδματον* **XII. 6.** Mire variant haec: *ἐνόστησε* Nem. **XI. 33.** et *ἀπονοστάσαντος*

VI. 84. ubi Heynius non suspectum habens ὑμνᾶσαι Isthm. III. 12. edidit tamen deinde ὑμνῆσαι, recte fortassis, ut alibi semper est apud Pindarum. Porro φωνᾶσαι et φωνᾶεν, quum Pyth. IV. 422. ἀφωνήτῳ reperiatur. Magis etiam variat φιλεῖν, unde minime dubia sunt πεφίληκε Pyth. I. 25. et πεφιλημένον Nem. IV. 74. sed suspecta φίλησε Nem. V. 82. et φιλήσαντα VII. 129. quum ἐφίλασε legatur Pyth. II. 30. IX. 34. Pro significatione mutat dialectum πονεῖν, quod de molestia dicitur πονῆσαι Nem. VII. 53. Isthm. I. 56. de efficiendo πονᾶσαι Ol. VI. 17. Pyth. IX. 166. Ex his intelligi potest, cautum esse in hoc genere debere criticum, nec monstra procudere, velut nuper quidam νόαμα. Non magis Atheniensem Timodemum Nem. II. Doriensem facere licebit. Maxime differunt codd. in formis participiorum αις, αισα, 16 et ας, ασα. Quarum Doricas quidam editores pene ubique praetulerunt, recte forsitan, modo ne metri caussa: nusquam enim Aeolensium more ας illud corripuit Pindarus, qui error ne Maittairio quidem p. 319. (241. D.) ignoscendus. Variant in his formis libri, codices dico, quorum lectiones aut editae aut a me adnotatae sunt, et editionem Romanam, nondum ubique satis excussam, Ol. I. 127. ubi ὀλέσαις soli debetur Gregorio Cor. III. 28. Pyth. I. 12. 158. 177. III. 102. 136. IV. 60. 65. 337. 405. VIII. 13. IX. 209. X. 52. Nem. I. 45. 68. 74. III. 107. V. 92. XI. 36. Isthm. I. 56. Consensu, quod sciam, libri a criticorum mutationibus puri formas communes exhibent Ol. I. 98. II. 108. III. 5. V. 17. VI. 10. 34. 61. 97. VII. 8. 52. 61. 96. 106. IX. 87. 91. 111. 139. X. 23. 36. 49. 51. 54. 58. 87. 109. Pyth. III. 23. 39. 190. IV. 109. 169. 179. 383. 393. 409. 413. 417. 479. 502. 522. V. 67. VI. 30. VIII. 37. 74. IX. 66. 93. 129. 147. X. 37. XII. 28. Nem. V. 29. VI. 87. VII. 104. Isthm. VI. 60. nam VIII. 61. ἔρισαν legendum videtur. Doricae formae inveniuntur Ol. II. 165. IX. 23. 142. X. 111. Pyth. I. 86. 154. III. 63. 89. IV. 178. 184. 240. XII. 14. Nem. IV. 104. V. 51. VII. 99. 145. IX. 45. 58. ubi cod. Aug. σχίσαις, quod si σχίσσαις scribatur, et deinde κού-

ψεν ϑ', habebit quo defendi possit; X. 44. 152. Isthm. II. 21. 51. 59. III. 1. IV. 43. 57. 65. 98. VI. 21. 75. In hoc quoque indice illud notabile est, quod in Nemeis, maximeque in Isthmiis, pene ubique Dorica forma comparet. In infinitivis quoque quum tantum non ubique communi forma utatur, aliquando tamen Doricam εν, nusquam ῆν habet. Quamquam non ausim contendere illud εν non deberi grammaticis. Nam bis tantum certa lectio est, γαρύεν Ol. I. 5. et τράφεν Aeolicum pro τραφεῖν Pyth. IV. 205. quorum locorum prior a carmine isto habet aliquam excusationem, ut infra apparebit, alter fortasse a verbo. Sed πορεύεν Ol. III. 45. ἀκούεν VI. 112. σχὲν Nem. I. 106. τύχεν VI. 46. criticorum inventa sunt, repugnantibus antiquis libris. Ἀγαγὲν Pyth. IV. 98. iam in commentatione de metris Pindari correctum. Στέλλεν Ol. VII. 61. lectionis varietatem et scholia consideranti non erit dubium quin genuino εὐθὺν cedere de-17 beat. Μελιζέμεν Nem. XI. 23. si μελίζεν scriberetur, metro satis fieret, non sensui. Fortasse poeta scripsit μέλειν ἐν ἀοιδαῖς.

Addam his denique singulares quasdam formas et verba Pindaro propria. Ἀπίδας ex nostra emendatione Pyth. I. 161. ὑποφάτιες Pyth. II. 140. ψεῦδις Nem. II. 72. ψέγιον VII. 102. τόσσαι et ἐπιτόσσαι Pyth. III. 48. IV. 43. X. 52. πεπαρεῖν II. 105. παλαιμονεῖν 112. σωπᾶσαι Isthm. I. 88. et διασωπᾶσαι Ol. XIII. 130. κεχλαδὼς IX. 3. κεχλάδοντας Pyth. IV. 319. ἀκᾶ Pyth. IV. 277. ἀμᾶ Ol. III. 38. ὦτε Nem. VI. 47. VII. 90. 137. Isthm. IV. 31. ἆς Ol. X. 61. ἕργμα cum aspero spiritu semper scriptum, et praegressam tenuem litteram in adspiratam mutans Nem. I. 9. Isthm. I. 65. *) Nec praetereundum κάπετον Ol. III. 50. correpta prima, pro κάππεσον.

---

*) Perperam scribi puto ἕργμα, restituendamque tenuem in duobus istis locis. Invenitur hoc nomen tantum in Nemeis et Isthmiis, in quibus paucos codices habemus. Perpetuo variant ἔρδω et ἕρδω, ἔργμα et ἕρμα. Quin ἔργμα et ἅρμα Isthm. I. 65. et fr. inc. 82.

Alibi in verbo πεσεῖν τ pro σ ponit, ubi duo σ sibi vicina futura essent. Hinc est participium πετοῖσα Ol. VII. 126. Nem. IV. 66. ἔμπετες Pyth. VIII. 117. Servatur σ, ubi non accedit alterum σ. Sed πετόντεσσιν Pyth. V. 64. ad Aeolismum, de quo mox, retulerim. Pro πιτνῶντα Isthm. II. 39. scribendum πιτνόντα. Illud κάπετον et Alcmanis καβαίνων apud Hephaest. p. 44. ne quem moveat, ut καβὰς scribendum putet Nem. VI. 87. in quo carmine pene omnium stropharum finis corruptus est, moneo ibi sic legendum videri: βαρὺ δέ σφι νεῖνον ἔμπας, Καββὰς Ἀχιλεὺς χαμαὶ ὧν ἀφ᾽ ἁρμάτων Φαεννᾶς υἱὸν εὖτ᾽ ἐνάριξεν Ἀόος ἀκμᾷ Ἔγχεος ζακότοιο. Ἔμπας, ab sensu commendatum, ob metrum necessarium est, quum in vulgato ἔμπεσ᾽, etiamsi vocalis sequatur, non possit brevem syllabam apostrophus ante anacrusin excipere. Ἀχιλεὺς uno λ cod. Aug. Ὦν addidi, quod alibi quoque Homerum sequitur Pindarus. Correptionem diphthongi ante hoc pronomen tuetur Ol. V. 17. Ἀόος Schmidio debetur: metrum certe hanc formam requirit: alibi poeta Ἀοῦς, Ἀργοῦς, Κλεοῦς, sed Pyth. IV. 182. ed. Rom. Χαρικλοῖς. Ἀκμᾷ denique, iam ab aliis inventum, et saepius similiter a Pindaro usurpatur, nec semel cum αἰχμᾷ permutatum invenitur. Sed ne cui in reliquis strophis metrum difficultates obiiciat, de his quoque dicendum puto. Ac v. 12. scribendum videtur οἵαν τίν᾽: v. 25. νῦν πέφανται οὐκ ἄμμορος, ubi ἄμμορος cod. Aug. praebuit: v. 49. εὐκλῆα, forma ab Homero accepta, apud quem est ἀκληεῖς Iliad. XII. 318. denique v. 99. ἄγγελος ἔβαν (seu potius βᾶν) πεμπτόν γ᾽ ἐπὶ εἴκοσι. Ἐπὶ sine elisione esse in cod. Aug. iam supra indicavi.

18

Dicendum est denique etiam de Aeolismo Pindari, qui, si recte diiudico, duplex est, alius communis omnium eius carminum, alius quorumdam proprius. Habet hic locus magnam difficultatem, nec nunc quidem nisi primis lineis describi potest. Motam semel quaestionem erit fortasse aliquando qui plenius tractet. Harmonias Pindarus, quibus usus sit, commemorat tres, Doricam, Aeolicam, Lydiam. Dorica et Aeolica quales fuerint, docebit in-

star omnium Heraclides Ponticus apud Athenaeum XIV. p. 624. D. his verbis: *ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ οὐ διακεχυμένον, οὐδ' ἱλαρόν, ἀλλὰ σκυθρωπὸν καὶ σφοδρόν, οὔτε δὲ ποικίλον, οὔτε πολύτροπον. τὸ δὲ τῶν Αἰολέων ἦθος ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες, ἔτι δὲ ὑπόχαυνον· ὁμολογεῖ δὲ ταῦτα ταῖς ἱπποτροφίαις αὐτῶν καὶ ξενοδοχίαις· οὐ πανοῦργον δέ, ἀλλὰ ἐξηρμένον καὶ τεθαῤῥηκός. διὸ καὶ οἰκεῖόν ἐστιν αὐτοῖς ἡ φιλοποσία καὶ τὰ ἐρωτικά, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν δίαιταν ἄνεσις.* Lydiam Plutarchus de musica p. 1136. B. a Platone in lib. III. de rep. repudiatam esse scribit, *ἐπειδὴ ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον.* Plato isto loco p. 389. E. *θρηνώδεις* esse dicit harmonias, quae *μιξολυδιστὶ* et *συντονολυδιστὶ* vocabantur: mox autem *μαλακὰς* et *συμποτικὰς* appellat *τὴν Ἰαστὶ καὶ Λυδιστί, αἵτινες χαλαραὶ καλοῦνται.* Plura in hanc rem quum ex aliis scriptoribus, tum ex illo Plutarchi libro de musica colligi possent. Ex eodem libro, maxime p. 1143. cognoscimus, id quod etiam sponte poterat intelligi, aliis harmoniis alios numeros aptari solitos fuisse. Ad quem finem philosophiam commendat Plutarchus p. 1142. D. *αὕτη γάρ*, inquit, *ἱκανὴ κρῖναι τὸ μουσικῇ πρέπον μέτρον καὶ τὸ χρήσιμον.* Haec quoque res multis posset veterum scriptorum locis confirmari: de pleniore tamen eius cognitione, nisi plura veterum musicorum scripta in lucem protrahantur, desperamus. Quare, quid coniectura effici possit, experiendum est. Quod si in numeris Pindari eadem diversitas invenietur, quae est inter illas tres harmonias, ex numeris coniici poterit, quae cuiusque carminis fuerit harmonia. Inde 19 vero, quae maxime sibi dissimiles sunt harmoniae, Dorica et Aeolica, etiam cum dialecti quadam diversitate coniunctas fuisse non immerito suspicabimur. Ac maior Pindari carminum pars numeros habet e dactylis et trochaeis cum spondeo alternantibus mixtos: quod genus ob insignem gravitatem eximie convenit Doricae harmoniae. Idque ipse poeta indicat Ol. III. 9. *Μοῖσα δ' οὕτω τοι παρέστα μοι νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι*

πεδίλῳ ἀγλαόκωμον: ubi v. schol. Alia pars numeros habet brevium syllabarum frequentia concitatos, multoque motu inaequabiles: quod genus ab Horatio legibus solutum dici videtur. Hos ad Aeolicam harmoniam aptatos fuisse et similitudo eorum cum isto genere harmoniae ostendit, et ipse poeta significat Ol. I. 162. *ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι κεῖνον ἱππίκῳ νόμῳ Αἰοληΐδι μολπᾷ χρή.* Nem. III. 136. ubi se carmen mittere dicit *Αἰολίσσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν.* Ad utrumque locum falsa veris miscent scholiastae. Sed obiicientur nobis haec duo, unum, quod, quum poeta Ol. I. 26. dicat, *ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε*, nihil discriminis inter Doricam atque Aeolicam harmoniam agnoscere videatur. At non dubitamus, quin *Δωρίαν φόρμιγγα* de Hypodoria harmonia intelligi voluerit *): ita vero Aeolica harmonia vocabatur, ut Heraclides Ponticus apud Athenaeum docet XIV. p. 624. E. F. et 625. A. Eamdem harmoniam poeta tangit his verbis in schol. ad Pyth. II. 127. *Αἰολεὺς ἔβαινε Δωρίαν κέλευθον ὕμνων.* Alterum, quod obiicietur, haec verba sunt, Pyth. II. 125. *τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται· τὸ Καστόρειον δ' ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς θέλων ἄθρησον χάριν ἑπτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος.* Nam, si scholiastas audias, Pindarus hoc carmen, quod nobis Aeolicis numeris scriptum videtur, pretio emptum mitti dicit, distinguens illud ab Aeolico carmine, gratis misso, cuius initium fuerit, *σύνες ὅ τι λέγω, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε, κτίστορ Αἴτνας.* Fuerunt sane huius quoque carminis numeri, ut exordium docet, Aeolici: sed inepta tradere scholiastas iam Heynius et Gedickius senserunt: qui quidem nollem ad emendationem confugissent, quam nec res, nec metrum admittit. Inepta sunt in scholiastarum explicatione haec duo, unum, quod de mercenario carmine et gratis misso poetam loqui putant; alterum, quod hic eum 20 istud gratis missum carmen Hieroni commendare credunt,

---

*) Praestabit, opinor, *Δωρίαν φόρμιγγα* de poesi Doria, non de modis musicis intelligi.

quod in ipso illo carmine fieri debebat. Vtraque criminatione liberabitur Pindarus, si eum hoc dicere statuas: hoc carmen, i. e. ipsa carminis verba, Tyriae mercis modo, i. e. navi, tibi mittitur: ipsum vero chori ingressum, carmen hoc Aeolicis fidibus canentis, benigne excipias. *Καστόρειον* enim *μέλος*, obscurius memoratum Isthm. I. 21. canebatur apud Lacedaemonios, quum acie instructa hosti obviam irent: v. Plutarch. de mus. p. 1140. C. et alios, quos citavit Heynius ad Pyth. II. init. Est autem carmen Pyth. II. vel maxime in his, quorum numeri Aeolicae harmoniae conveniunt. Eosdem numeros eamdemque harmoniam habuit Lasi hymnus in Cererem, ut ex eius initio apparet, servato apud Athenaeum XIV. p. 624. E. *Δάματρα μέλπω Κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον Μελίβοιαν, ὕμνων ἀνάγων Αἰολίδ' ἅμα βαρύβρομον ἁρμονίαν.* Tertia denique a Pindaro memoratur Lydia harmonia Ol. V. 44. XIV. 24. Nem. IV. 73. VIII. 25. Quae carmina, numeris mirifice diversa, hoc tamen commune habent, quod nec tam concitatis numeris sunt, ut Aeolica, nec tam gravibus, ut Dorica. Ad Doricos numeros propius accedit Nem. VIII. ad Aeolicos Ol. XIV. maxime omnium proprie Lydios numeros dixerim, qui sunt in Nem. IV. Quantum ex tam tenuibus indiciis colligi potest, Doricam harmoniam in his carminibus fuisse coniicio: Ol. III. VI. VIII. XI. XII. Pyth. I. III. IV. Nem. I. V. X. XI. Isthm. I. II. III. et IV. V. VI. Aeolicam in his; Ol. I. II. X. Pyth. II. V. VI. VII. VIII. XI. Nem. III. VI. VII. Lydiae vestigia reperire mihi videor in his: Ol. IV. V. VII. IX. XIII. XIV. Pyth. IX. X. XII. Nem. II. IV. VIII. IX. Isthm. VII. VIII.

Redeo nunc ad Aeolismum. Ac veri simile est, concitatiores Aeolicae harmoniae numeros maiorem sibi dialecti libertatem vindicasse. Lydii enim numeri, leviores Doricis, non aliam, quam hi, linguam habent. Aeolicis igitur numeris hae videntur propriae formae esse: *ποὶ* pro *ποὺ* Pyth. V. 135. expellendum Ol. III. 7. ubi cod. Pal. recte *τοι*. In Doricis enim et Lydiis carminibus *ποὺ* dicit, ut Pyth. IV. 154. X. 18. Isthm. II. 37. ne ab Aeolicis

quidem prorsus alienum, ut Ol. I. 44. Deinde πέδα Pyth. 21
V 62. (in quo tamen carmine v. 126. μέτα sine libris non mutandum) VIII. 105. fragm. p. 115. apud Athen. p. 641. C. e Schneideri emendatione: πεδέρχεται Nem. VII. 109. Composita tamen etiam in Doricis πέδα admittunt *): πεδάμειψαν Ol. XII. 18. πεδαυγάζων Nem. X. 114. ubi cod. Aug. ed. Rom. aliique libri πόδ' αὐγάζων. Porro ἐπάμεροι Pyth. VIII. 135. quod in Doricis est ἐφάμεροι et ἐφαμέριοι. Tum ἐν pro ἐς Pyth. II. 21. V. 50. et in Aeolico fragm. p. 67. Nusquam hoc in Doricis invenitur, nisi forte librariorum errore, aut grammaticorum invento, ut Pyth. IV. 459. Ibidem v. 376. pro ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτ' ἐνήλυθον scribendum est, versuum quoque distinctione postulante, ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτεν ἤλυθον. Hoc ἔπειτεν, quod Aelius Dionysius apud Eustath. p. 1158, 39. Ionicum esse et apud Herodotum inveniri testatur, Phrynicho p. 48. Atticos respicienti, et inde Favorino in v. εἶτε, ἐσχάτως βάρβαρον vocatum, Pindaro etiam Nem. III. 94. pro ἔπειτ' ἐν, ut iam Pauwius suspicabatur, restituendum. Cod. Aug. ibi ἐπὶ τὸν. Aeolicis carminibus etiam ὀνυμάξαι tribuendum videtur, Pyth. II. 82. VII. 6. XI. 10. In caeteris enim communis forma invenitur, ὀνόμασθεν Ol. IX. 71. ὠνόμασεν Pyth. XII. 41. ubi nemo paullo doctior ὀνύμασθεν et ὠνύμασεν scribi volet. Nomen autem ὄνυμα et in Dorico et in Aeolico carmine locum habet: Ol. VI. 95. Nem. VI. 82. neque usquam ὄνομα apud Pindarum est. Etiam accusativus pluralis secundae declinationis in ος terminatus in solis Aeolicis carminibus videtur admissus esse: νᾶσος Ol. II. 129. ἐσλὸς Nem. III. 50. ubi quidem cod. Aug.

---

*) Boeckhius p. 293. „quod Hermannus hoc excusat in „compositis, nihil est: quid enim hac quidem in re interest „inter πέδα simplex et cum verbo compositum?“ Non nihil, sed aliquid dictum esse fatebitur vir optimus, ubi reputaverit, vel a tragicis πέδα in compositis admissum inveniri. Omninoque non adeo ignotum credideram, compositorum alium esse quam simplicium usum.

ἐσλόν. Alibi si haec forma invenitur, expellenda est, non minus quam Dorica ὡς, qua nusquam usum esse Pindarum puto. Traxit enim aliquid labis hic illic Pindarus a grammaticis, neque a recentioribus, sed a veterrimis et clarissimis, quod vel haec, quae habemus, scholia ostendunt: multo clarius intelligeretur, si reperirentur, qualia ad Iliadem. Ol. I. 85. genuina scriptura est κακαγόρος. Nem. III. 42. ὑπερόχως, quod editum, vel ὑπερόχους duorum librorum, metro conveniret, si ἰδίᾳ sanum esset, quod et sensus et praestantissima apud scholiasten lectio διά τ' ἐρεύνασε corruptum esse arguunt. Restitue tres litteras ob praecedentium similitudinem neglectas: δάμασε 22 δὲ θῆρας ἐν πελάγεσιν ὑπερόχος· διά τ' αὖτ' ἐρεύνασε τεναγέων ῥοάς. Πελάγεσι et accusativum ὑπέροχος, accentu nominativi scriptum, praebuit optimus codex, cuius saepius iam facta est mentio. Nem. I. 35. fuisse qui metro repugnans ἐσλὸς scriberent ἐσλώς, scholia docent. Scribe ἐσλούς. Aristarchi apud scholiasten verba in cod. MS. sic scripta: καταλείπεται δὲ τῇ ἀρχαίᾳ σημασίᾳ τὸ ἐσλός. ἡ γὰρ ἀντίστροφος οὐκ ἀπῄτει τὸ υ. Dele cum edd. οὐκ, et hoc dicet Aristarchus, antiquo more Pindarum ο scripsisse, quod esset ου pronunciandum. Nem. X. 116. cod. Aug. ἥμενος, quae vetus lectio fuit. Aristarchus et Apollodorus scribebant ἥμενον, Didymus ἡμένος pro ἡμένους. Ed. Rom. al. ἡμένως. Accusativum seu pluralem seu singularem agnoscunt Heynio commemorati Pausanias et scholiastes Aristophanis, auctoritatem, opinor, sequuti grammaticorum. Mihi Pindarus spreto incredibili commento, ut facit Ol. I. 43. ss. nominativo casu videtur ἥμενος de Lynceo dixisse. Denique in Aeolico fragmento p. 60. v. 10. non debebat ἵππος in ἵππως mutari. Aeolicorum carminum propria sunt etiam verba in μι terminata pro contractis: αἴτημι fragm. p. 110. Sed in alio Aeolico fragm. p. 79. restituendus optativus σιγῷμι. Nisi fallor etiam Dorica quaedam, quae in Aeolicis carminibus inveniuntur, a Doricis abiudicanda erunt. Sic πολυμάλῳ recte videtur legi Ol. I. 19. recte vero etiam μῆλα Pyth. IV. 263. IX. 114. μηλοδόκῳ III. 47.

μηλοβότον XII. 5. *μηλοβότα* Isthm. I. 67. Vnde Ol. VII. 115. 145. ubi scriptura fluctuat, communem formam praetulerim.

Aeolismi illius, quem poeta in omnibus carminibus usurpat, aliquot exempla iam supra dispersimus. His adde elisam litteram in *περὶ* Ol. VI. 65. Pyth. IV. 472. et in compositis *περάπτων* Pyth. III. 94. *περόδοις* Nem. XI. 51. *). Non absimile est *ποτ᾽ ἀστῶν* Ol. VII. 165. Deinde solutionem diphthongi in his: *Αἰγεΐδαι* Pyth. V. 101. *Ἀλκεΐδᾶν* Ol. VI. 115. *Ἀτρεΐδας* Pyth. XI. 47. Isthm. VIII. 111. *Κρηθεΐδας* Pyth. IV. 271. *Οἰνεΐδαι* Isthm. V. 39. *Πηλεΐδα* Pyth. VI. 22. *Καδμεΐᾶν* Isthm. IV. 88. *Πηνεϊὸν* Pyth. X. 86. *Λατοΐδας* IX. 8. *Τροΐα* Nem. III. 103. IV. 40 VII. 59. Isthm. VI. 41. VIII. 112. Sed non est horum constans usus: sic *Αἰγεῖδαι* Isthm. VII. 21. *Ἀτρεῖδαι* Ol. IX. 107. *Οἰκλείδαν* Nem. X. 16. 23 *Λατοίδα* Pyth. I. 22. Alia, ut videtur, Aeolica forma est *ἀμεύσασθαι* Pyth. I. 96. restituenda, ut supra dixi, etiam XI. 84. *παραμεύσεται* Nem. XI. 17. *ἀμευσίπορος* Pyth. XI. 58. ubi scribendum videtur *κατ᾽ ἀμευσιπόρος τριόδους*, nisi quis utriusque accusativi communem formam praeferat. Prorsus Aeolicum nomen, etiam digammo

---

*) Adde *περιδαῖον* pro *περιΐδαῖον* fragm. p. 103. quod ita scribendum videtur:

ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν,
ἐᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περι-
δαῖον· ἐμοὶ δ᾽ ὀλίγον μὲν γᾶς δέδοται,
ὅθεν ἄδρός, πενθέων δ᾽
οὐκ ἔλαχον, οὐδὲ στασέων.

Paucis contentum esse hominem debere dicit, nec, si cupresso delecteris, quidquid huius arboris circa Idam in Creta nascatur, expetendum. Abundabat autem Creta hoc genere arboris, auctore Hermippo apud Athenaeum p. 27. F. Plinius H. N. c. 33. s. 60. de duobus generibus cupressi: *huic patria insula Creta.* — *Sed in Creta quocumque in loco terram moverit quispiam, vi naturali haec gignitur, protinusque emicat: illa vero etiam non appellato solo ac sponte, maximeque in Idaeis montibus et quos Albos vocant, summisque iugis, unde nives numquam absunt, plurima, quod miremur.*

memorabile, *αὐάτα* legitur Pyth. II. 52. III. 42. Addam denique hoc: duplicatas consonantes, quae in quibusdam vocabulis, ut in *κελαδεννός*, *κλεεννός*, *φαεννός*, origine Aeolicae sunt, etiam in his verbis ad Aeolicae linguae usum referendas videri, in quibus apud epicos aut improbatae, aut rarissime adhibitae inveniuntur. Eiusmodi sunt *ἕσσαντο* Pyth. IV. 363. *ἕσσαι* 486. *καθέσσαντο*, sive *κάθεσσαν*, V. 55. *ἕσσαν* Ol. IX. 79. *θέσσαν* I. 102. *θέσσαντο* Nem. V. 18.

Persequutus sum, quae in Pindari dialecto maxime memorabilia videbantur. Omnia attingere nec licebat, neque animus erat. Quare si quis amplius de his rebus quaerere volet, satis inveniet materiae: veluti in verbis e praeterito factis, ut *γεγάκειν*, *κεχλάδοντας*, *κεφρίκοντας*; in formis infinitivorum, de quibus *βᾶμεν*, *στᾶμεν*, et similes in rarioribus sunt; in terminationibus personarum, ut *τίθεν*, *ἵεν*, *ἔγνον*; et ex alio genere *ἐξικέσθαν*, *κτησάσθαν*; in compositorum formatione, ut *βουλαφόροι*, et quae sunt huiuscemodi alia. Quae omnia operae pretium est aliquando diligentius pertractari.

DE PRAECEPTIS QVIBVSDAM ATTICISTARVM DISSERTATIO *).

Linguarum cognitio, quae pars est historiae, duos, ut 3 omnino historia, fontes habet: unum, qui monumentorum testiumque auctoritate continetur; alterum, qui in ratione est atque intelligentia positus. Nam etsi, quid usitatum sit, quid non sit usitatum, non potest aliunde, quam ex monumentis ac testibus cognosci: tamen, quoniam et monumenta saepenumero corrupta sunt, et testes, grammaticos dico, sic demum aliquid probant, si probabilia dicunt, praecipua quaedam cura in eo ponenda est, ut ex cuiusque rei ratione cognoscatur, genuina an depravata sit scriptura, grammaticique recte an secus praecipiant. Qua cautione in his maxime utendum est, quae ab his grammaticis, qui Atticistae vocantur, tradita sunt. Qui quum neque ab antiquitate, neque a subtilitate multum commendationis habeant, tum eo quoque saepe suspecti sunt, quod praecepta sua nunc ex parum diligenti veterum scriptorum lectione, nunc e vitiosis codicibus videntur hausisse. Omninoque hoc illi agebant, ut, quae plurimum ab Atticis usurpata viderent, tamquam exempla Graece scribentibus proponerent, rariora autem, ut negligentius scripta, vitari iuberent. Quamquam vero usus

*) Edita est a. 1810.

in omnibus linguis satis licenter dominari solet, non est tamen, quod quidquam in hoc genere tam temere fieri existimemus, ut non ad sensum aliquid intersit, sic an aliter loquare. Quae discrimina investigare atque explanare, hoc philologi officium est. Aliter enim dubia semper atque incerta maneret linguarum cognitio, neque in tanta veterum librorum corruptione sciri posset, utrum, quae rara sunt, scriptoribus, an librariis imputari deberent: quodque summum est, corrigendis genuinis, probandis corruptis interpretatio a vero sensu saepenumero aberraret. Quare in iudicandis istorum grammaticorum praeceptis ita procedendum est, ut, si vera sunt, ratio reddatur, quare 4 sint vera; si falsa sunt, ostendatur, vera esse non posse; si veris falsa admixta habent, utraque diiudicentur accurateque distinguantur. Ex singulis generibus exempla quaedam afferam.

I.

Atque ut ab his ordiar, quae vera quidem sunt, sed nisi ratio idonea reddatur, pro veris haberi nequeunt, huius generis insigne exemplum praebent ea, quae de constructione particulae μὴ in vetando praecipiuntur: vide, ut alios praeteream, Koenium et Schaeferum ad Gregor. Cor. p. 15. ss. Nam cui tandem non mirum videatur, Graecos, maximeque Atticos, in vetando particulam istam cum imperativo praesentis aut coniunctivo aoristi, non etiam, nisi rarissime, cum aoristi imperativo, numquam autem cum praesentis coniunctivo construere? Rationem huius usus qui reddiderit, ego quidem neminem novi. Quamquam nuper, certe inter praesens atque aoristum, Buttmannus aliquid discriminis statuit. Nam quum ego in censura grammaticae ab ipso editae (in Diar. litt. Lips. 1806. m. Mart. n. 39. p. 617.) Graecos ostendissem imperativum praesentis de eo, quod aliquamdiu duraret, aoristi de eo, quod cito perficeretur, usurpare, probavit ille hanc distinctionem in quarta quintaque editione, sed, quod factum nollem, sic simpliciter etiam ad vetandi

formulas transtulit. Nam sane quidem μὴ βάλλε dicendum erit, quum vetabis aliquem crebris ictibus ferire; μὴ βάλῃς autem, quum uno ictu: sed est in hoc genere etiam aliud discrimen, quum, qui vetat, aut iubeat aliquem ab eo, quod facit, abstinere, aut moneat, ne faciat, quod velle facere videatur. Ac non potest obscurum esse, utra vetandi formula utri rei conveniat. Quod apud Sophoclem est in Aiace 1154.

ἄνθρωπε, μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς,

sic est dictum, ut significetur, *desine mortuos iniuria afficere.* Si dixisset,

ἄνθρωπε, τὸν θανόντα μὴ δράσῃς κακῶς,

moneretur Menelaus, ne vellet iniquus in Aiacem esse. Ita Odyss. ο. 263.

εἰπέ μοι εἰρομένῳ νημερτέα, μηδ' ἐπικεύσῃς, 5

noli celare, de quo interrogavero. Sed. π. 168.

ἤδη νῦν σῷ παιδὶ ἔπος φάο, μηδ' ἐπίκευθε,

nunc, qui sis, filio tuo indica, neque amplius cela. Sic etiam θ. 548.

τῷ νῦν μηδὲ σὺ κεῦθε νοήμασι κερδαλέοισιν,
ὅττι κέ σ' εἴρωμαι,

desine celare. Spectant enim haec ad η. 237. ss. Sic praesentis imperativo usus est Homerus Iliad. α. 32. 131. 210. 275. 277. 295. 545. 550. β. 247. γ. 64. 82. 414. δ. 184. 404. ε. 218. 249. 252. 440. 827. 830. 889. ζ. 264. 360. 486. η. 111. 235. 279. θ. 244. (ο. 376.) ι. 600. 612. κ. 85. 145. 249. 447. ξ. 342. ο. 93. ρ. 31. σ. 126. 295. τ. 155. 306. υ. 376. 431. φ. 95. 99. 288. χ. 38. 85. 261. 345. ψ. 443. 492. 735. ω. 65. 218. 549. 553. 569. Od. α. 315. δ. 543. 594. 825. (h. Ven. 194.) ε. 160. 215 η. 303. θ. 350. κ. 457. 489. 548. λ. 486. 488. ξ. 168. 387. ρ. 46. 393. 401. σ. 20. 62. 178. 416. (υ. 324.) τ. 263. 584. υ. 314. φ. 111. 310. χ. 349. ψ. 59. 209. 213. ω. 54. Quamquam non con-

tenderim, tam necessario omissionem rei, quae nunc fiat, respici, ut imperativus praesentis non possit etiam de futuro dici: vide Iliad. α. 363. β. 165. (181.) 179. δ. 234. κ. 69. 249. ν. 230. ο. 426. σ. 74. υ. 354. φ. 340. χ. 185. ω. 171. Od. γ. 96. (δ. 326.) δ. 754. η. 31. 50. λ. 359. ο. 199. Ita imperativus tertiae personae quum aliquot locis de omittendo intelligi possit, ut Iliad. β. 354. ι. 345. κ. 383. ο. 196. τ. 29. Od. α. 369. β. 303. ε. 8. 160. κ. 505. ν. 362. 421. π. 436. υ. 308. φ. 318. tamen etiam de futuro usurpatur Iliad. β. 33. δ. 303. 305. η. 400. ϑ. 7. κ. 192. ϱ. 422. υ. 108. 121. φ. 338. χ. 243. ω. 148. 181. Od. ϑ. 43. π. 302. Infinitivus praesentis autem pro imperativo saepius de futuro intelligitur, ut Iliad. ε. 130. 606. κ. 237. ο. 159. π. 839. φ. 294. ψ. 83. ω. 592. Od. κ. 536. λ. 72. 441. π. 150. ϱ. 278. φ. 238. hymn. Merc 92. rarius de omittendo, ut Od. σ. 106. Praevideo quidem fore, qui exempla, quae utramque interpretationem confirment, nihil probare dicant. His respondeo, primum, quae propria sit imperativi praesentis significatio, ex maiore tamen numero exemplorum colligi: ideoque exemplis usus sum unius scriptoris, 6 et quidem eius, quem caeteri fere sequi solent; deinde quoniam, sive omissio sive non inceptio imperetur, futurum tempus respicitur, fieri non potuisse, quin tam exiguum discrimen saepe negligeretur.

Aoristi vero imperativus non iubet coepta omitti, sed fieri futura vetat. Iliad. σ. 134.

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσεο μῶλον Ἄρηος.

Vide Od. ω. 248. Aliud huius imperativi exemplum, Iliad. τ. 403. docte nuper sustulit censor Homeri ed. Wolfianae in Diar. litt. Ienens. 1809. n. 248. p. 168. Quod si loci reperiuntur, in quibus aoristus ad omissionem trahendus videatur, habent illi tamen idoneam excusationem, quippe quum sic debeant intelligi, ut quis vetetur aut iterum facere, quod modo fecerit, ut Iliad. δ. 410.

τῷ μή μοι πατέρας πόθ᾽ ὁμοίῃ ἔνθεο τιμῇ,

(vide Aeschyl. Agam 1343.) aut cavere, ne faciat, quod iam se facturum esse ostenderit, ut in Sophocl. Ai. 386. μηδὲν μέγ' εἴπῃς, et Electr. 830. μηδὲν μέγ' ἀΰσῃς, in qua formula alibi praesentis imperativus est: vide exempla apud Lobeckium ad Aiacis locum, quibus adde Odyss. ψ. 59. Sed χ. 287. infinitivo aoristi utitur, non esse posthac gloriandum indicans. Atque infinitivum aoristi de re futura invenies etiam Iliad. ο. 159. Od. κ. 297. ν. 308. et tertiae personae imperativum, quo etiam Attici saepe utuntur, π. 301. coniunctivum Iliad. ε. 684. ι. 33. 522. κ. 238. ξ. 111. ο. 115. ψ. 407. ω. 568. (nam ὀρίνῃς aoristus est) 778. Od. λ. 251. (cum quo loco comparandus h. Ven. 291. ubi imperativus praesentis est) ν. 229. ubi quidem optativum praetulit Wolfius.

Iam temporis discrimine constituto videndum est etiam de modo. Atque apertum est, coniunctivum particulae μὴ iunctum proprie non vetantis esse, sed metuentis et caventis. Quare non tantum de secunda, sed etiam de prima persona usurpatur, ut in Sophocl. Oed. Col. 174. μὴ δῆθ' ἀδικηθῶ, et de tertia, ut Iliad. ρ. 93.

μή τίς μοι Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδηται.

Vide σ. 8. φ. 563. s. Od. ε. 415. (ubi quod statim sequitur, μελέη δέ μοι ἔσσεται ὁρμή, non e particula μὴ pendet, sed solum per se constat) 467. (ρ. 24.) ο. 12. σ. 334. Ac prima coniunctivi persona saepe sic usurpatur, ut admonitio ad secundam spectet, ut Iliad. α. 26. μή σε κιχείω: vide φ. 475. Od. φ. 370. Et sic etiam tertia, ut in Pythagorae carmine v. 25.

μή τις μήτε λόγῳ σε παρείπῃ, μήτε τι ἔργῳ·

Ipsa secunda persona sic, ut aperte metus tantum indicetur, occurrit Od. π. 255.

μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσεαι ἐλθών·

In quo loquendi genere quum Buttmannus in quinta grammaticae editione p. 536. ellipsin verbi metum significantis non magis necessariam aut superfluam videri dicit, quam verbi, quo optare aliquem, precari, iubere indicetur, in

reliquis a particula μὴ incipientibus enunciationibus, id mihi fateor tam obscure dictum videri, ut neque quid ipse sentiat vir praestantissimus, neque quid alios sentire velit, intelligam. Ellipsis quidem, si usquam, hic maxime necessaria est: quamquam illud liberum est, quod verbum quoque in loco intelligas. Plena oratio est Od. χ. 367.

> εἰπὲ δὲ πατρί,
> μή με περισθενέων δηλήσεται ὀξέϊ χαλκῷ·

vide h. Ven. 188. ss. Et unum quis hoc Sophoclis in Oed. Col. 156. *ἀλλ᾽ ἵνα τῷδ᾽ ἐν ἀφθέγκτῳ μὴ προπέσῃς νάπει*, aut quod paullo ante ex Pythagorae carmine allatum est exemplum, ellipsi carere dicet? Quod si μὴ vetantis coniunctivo sic iungitur, ut significetur, *vide ne facias*, apertum est, aoristi eum debuisse coniunctivum esse, quod is natura sua ad futurum tempus refertur: unde etiam ex eo ortum est futurum; non praesentis, quo qui uteretur, non vetaret, ne quis facere aliquid aggrederetur, sed dubitare se indicaret, an aliquis iam nunc id faceret, quod ipse, qui vetaret, facere illum nollet *). Atqui sic ille neque ut omitteret id facere, neque ne posthac faceret, moneretur. Rem per se planam planiorem reddam exemplo allato. Od. ε. 356.

> ὤ μοι ἐγώ, μή τίς μοι ὑφαίνῃσιν δόλον ἄλλον
> ἀθανάτων.

8 *Metuo*, inquit, *ne iam nunc insidias mihi struat aliquis deorum.* Quod exemplum eamdem comparationem ad illa habet, in quibus aoristi coniunctivus est, quam in iurando indicativus praesentis cum particula μὴ iunctus ad futurum. Iliad. ο. 41.

---

*) Non videtur ad haec attendisse Schaeferus in adnotatione ad Indicem in Greg. Cor. p. 1005. seq., etsi verba haec ipsa transscripsit ad Gregor. p. 868. Vide quae dixi ad Sophoclis Aiacem 1064.

μὴ δι' ἐμὴν ἰότητα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
πημαίνει Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα, τοῖσι δ' ἀρήγει.

κ. 330.

μὴ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐποχήσεται ἄλλος.

Quae quum ita sint, non videtur dubitari posse, quin emendatione indigeant loci, in quibus *μὴ* vetantis cum coniunctivo praesentis iunctum est: quam constructionem ne in illo quidem scriptore tulerim, cuius est poema, quod Phocylidi vulgo adscribitur, v. 19. 91. ed. Brunck. quibus in locis optativum ille videtur posuisse, ut v. 30. 43. 114. 144. 170. 186. 193. (et Naumachius in praeceptis matrimonialibus v. 53. 55. 58.) quod contra coniunctivus restituendus videtur v. 80. 174. ex codice; 175. 194. *).

Iam igitur sic erit de omni ista vetandi ratione statuendum: *μὴ* cum imperativo praesentis proprie de omittendo eo, quod quis iam faciat, intelligi, sed saepius tamen etiam ad ea trahi, quae quis nondum facere aggressus sit; aoristi autem imperativum tantummodo de non incipiendo usurpari, in quo quidem genere coniunctivum aoristi Graecos praetulisse; idque Atticis maxime, ut dubitantius loqui amantibus, ita placuisse, ut apud hos rarissime imperativus aoristi inveniatur. Exempla eius vide apud Koenium et Schaeferum ad Greg. Cor. p. 15. ss.

II.

Sequatur nunc exemplum secundi generis. Nam quod Thomas M. p. 267. tradit, particulam *εἰ* non construi cum coniunctivo, nisi si verbum ex illis sit, quae *αὐθυπότακτα* vocantur, id mea quidem sententia falsum est. Nactus est quidem Thomas defensorem F. I. Bastium, virum ita in his litteris versatum, ut maxima eius debeat auctoritas esse, qui in epist. crit. ad Boissonadum

---

*) In Polemonis physiognom. I. 6. p. 202. *μηδὲ γείτονα ἔχῃς.* scribe *σχῇς*, vel *σχεῖν*, ut apud Adamantium I. 3. p. 330.

p. 129. s. ed. Lips. ultra L locos Atticorum, qui istam regulam confirment, ab se collectos scribit, eoque ille 9 exemplorum numero adduci se fatetur, ut vera dixisse Thomam putet. Quod etsi tam caute est circumspecteque factum, ut vix videatur temeritatis notam posse effugere, quem tanta exemplorum multitudo nihil moveat: est tamen una potissimum caussa, quae me quidem vel sola sic ab assentiendo revocet, ut facilius et illa L exempla, et si multo plura afferantur, corrupta, quam regulam istam veram esse credam. Neque enim credibile est, regulam ab Atticis observatam esse, cuius observandae nulla caussa reperiatur. Nihil est enim in verborum constructionibus, ut quarum omnis ratio multiplici cogitationum varietate determinetur, quod sine aliqua sententiae mutatione a communi usu deflectat. Quod si qua esset caussa, quare particula εἰ cum quorumdam verborum coniunctivis construi posset, ea neque in particula ista, neque in coniunctivi natura sita esset, quod sic εἰ cum omnium verborum coniunctivis construeretur; sed aut omnino in verbis, quae αὐθυπότακτα vocantur, aut in coniunctivis eorum esset quaerenda. Atqui num horum coniunctivus significatione ab aliorum coniunctivis verborum differt? Minime. Num optativo, num futuro carent? Ne hoc quidem. Num neque ἐὰν cum eorum coniunctivis, neque εἰ cum optativis et futuris construitur? Saepissime vero. Quid igitur reliquum est? Nihil video aliud, quam ut Atticos εἰ aut cum nullius verbi, aut cum omnium coniunctivis construxisse dicamus. Alterum aliis, aliis alterum probabile visum est. Et hi quidem, qui εἰ omnino posse cum coniunctivo construi existimant, eo utuntur argumento, quod, quum istam constructionem non repugnare legibus Graecae linguae ex Homero et Pindaro intelligatur, ne Atticos quidem plane ab ea abstinuisse verisimile sit; quin haud pauca in eam rem exempla afferri posse. Qui vero negant Atticos ista constructione usos esse, has habent rationes, paucitatem exemplorum in tam infinita multitudine locorum, qui usitatis legibus conveniant; dissensionem codicum, in ingenti locorum numero et convenientem mori

et repugnantem lectionem exhibentium; nisam hoc ipso librorum dissensu facilitatem emendandi; denique verisimilitudinem in tam frequenti scripturae perturbatione inveniendae aliquando in codicibus verae lectionis: quemadmodum in Sophocl. Oed. R. 198. ἤν, quod Brunckius 10 ex coniectura posuerat, nunc ab Erfurdtio e cod. Dresd. firmatum est. Et habent haec sane magnum pondus, praesertim quum sint in his locis, qui, etiamsi quis εἰ cum coniunctivo construi posse concedat, emendationem requirant. Vellem profecto communicasset Bastius cum lectoribus exempla, quae a se collecta scribit, quo singillatim de iis disputari posset. Nam quum et εἰ aliud sit quam ἤν, et coniunctivus aliam vim habeat quam optativus, non puto ubique, ubi libri utrumque praebent, idem esse, utrum εἰ an ἤν, optativum an coniunctivum praeferas: neque assentior, quum vir praestantissimus in duobus locis Alciphronis, quos solos affert, III. 21. et 31. nihil referre existimat, utrum ex Thomae praecepto *εἰ δὲ μάθῃ, εἰ πρόφασις γένηται*, an *εἰ δὲ μάθοι, εἰ πρόφασις γένοιτο* scribatur. Optativus enim, ut in priore horum locorum admitti potuerit, in altero certe non potuit. In priore epistola mulier scribit, absente marito, negligentia caprarii accidisse, ut lupus capellam raperet: tum addit: *πέπυσται δὲ οὐδὲν τούτων ὁ ἀνήρ· εἰ δὲ μάθῃ, κρεμήσεται μὲν ἐκ τῆς πλησίον πίτυος ὁ μισθωτός· αὐτὸς δὲ οὐ πρότερον ἀνήσει πάντα μηχανώμενος, πρὶν τὰς παρὰ τοῦ λύκου δίκας εἰςπράξασθαι.* Mulier ista quum tantum absit, ut celare rem velit, ut magis maritum cupiat resciscere, proprie aut *εἰ μαθήσεται, si resciscet*, aut *ἢν μάθῃ*, vel etiam *εἰ μάθῃ, si resciverit*, dicere debebat. Quod si *εἰ μάθοι* scripsit, non potest hoc aliter intelligi quam sic: *si maritus, cui nunc in urbe degenti rem nunciatum iri non est verisimile, forte resciscat.* Quod quidem vereor ut maluerit dicere, quam illud, *si resciverit redux ab urbe.* In epistola 31. mulier urbis visendae cupida sic scribit: *εἰ οὖν σοι πρόφασις ὁδοῦ ἄστυδε γένηται, ἧκε ἀπάξων νῦν κἀμέ.* Hic vero quomodo optativus admitti possit, non video: quippe quum de re futura

sermo sit, non de eo, quod prorsus incertum ac dubium esse indicetur. Nec Latine quisquam dicet: *si tibi opportunitas adeundae urbis sit, duc me quoque istuc.* Quare hic ἢν, vel etiam εἰ πρόφασις γένηται scribi debuit, *si quem praetextum nactus fueris.* Non sum nescius, εἰ cum optativo saepius iunctum inveniri, ubi futurum, vel futurum exactum, quod per coniunctivum Graeci designant, exspectari possit: verum tales locos qui attentius
11 consideraverit, facile intelliget, sensum alium esse, si optativus, alium, si futurum aut coniunctivus adhibeatur. Vt in Aeschyli Sept. ad Theb. initio:

> *εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεῶν·*
> *εἰ δ᾽ αὖθ᾽, ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,*
> *Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν*
> *ὑμνοῖθ᾽ ὑπ᾽ ἀστῶν φροιμίοις πολυῤῥόθοις.*

Poterat dici, ἢν μὲν εὖ πράξωμεν, ἢν δὲ συμφορὰ τύχῃ, hoc sensu: *si bene rem gesserimus, diis hoc acceptum feretur: sin minus, ego vituperabor.* Nolebat tamen Eteocles sic de belli eventu loqui, ut etiam vinci posse Thebanos indicaret. Quare cautius ita haec profert: *si bene rem gereremus, diis hoc deberi crederetur: sin male, ego reprehenderer.* Ita utrumque, tamquam quod cogitari possit, enunciat; neutrum vero, tamquam quod exspectari debeat. Apud Dionys. Hal. de constr. verb. in ipso fine libri haec leguntur: *τοῦθ᾽ ἕξεις δῶρον ἡμέτερον, ὦ Ροῦφε, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, εἰ βουληθείης ἐν ταῖς χερσὶν αὐτὰ συνεχῶς, ὥσπερ τι καὶ ἄλλο τῶν πάνυ χρησίμων, ἔχειν.* Hic modestiae caussa sic locutus est. Alia exempla, in quibus recte se habet optativus, vide apud Schaeferum ad hunc Dionysii librum p. **213.** s. Adde Erfurdtium ad Soph. Oed. **R. 688.** Reponendus optativus in eadem fabula v. **668.**

> *ἀλλά μοι δυςμόρῳ γᾶ φθίνου-*
> *σα τρύχει ψυχάν, καὶ τάδ᾽ εἰ κακοῖς*
> *κακὰ προςάψειε τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν* *).

---

*) Haec in editione fabulae nunc rectius emendata sunt.

Eiusdem generis talia sunt, ut hoc Sophoclis in Philoct. 849. *ἀλλ᾽ ὅ τι δύναιο μάκιστον, κεῖνό μοι νῦν, κεῖνο λάθρᾳ ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις*: *quam tibi videaris posse longissime.*

Sed deducit nos haec disputatio ad aliam quaestionem. Sumamus enim, *εἰ* cum coniunctivo sive quorumcumque verborum, sive eorum tantum, quae *αὐθυπότακτα* vocantur, recte construi. Vtrumne in hac constructione *εἰ* pro *ἤν*, an coniunctivum pro futuro vel optativo poni putabimus? Multum enim interesse ex iis patet, quae modo dicta sunt. Igitur *εἰ μάθῃ* utrumne significabit idem, quod *ἤν μάθῃ*, *si didicerit*, an quod *εἰ μαθήσεται*, *si discet*, an denique quod *εἰ μάθοι*, *si discat*, *si disceret.* Hoc postremum fortasse placeat recordanti Homericorum versuum Iliad. *φ*. 462.

Ἐννοσίγαι᾽, οὐκ ἄν με σαόφρονα μυθήσαιο 12
ἔμμεναι, εἰ δὴ σοίγε βροτῶν ἕνεκα πτολεμίζω.

At non videtur dubitari posse, quin hic altera lectio, *πτολεμίξω*, praeferenda sit, id ut sit futurum, non coniunctivus. Nam et prorsus eodem modo loquitur Iliad. *α*. 293.

ἦ γάρ κεν δειλός τε καὶ οὐτιδανὸς καλεοίμην,
εἰ δὴ σοὶ πᾶν ἔργον ὑπείξομαι, ὅττι κεν εἴπῃς,

et alibi, ubi *εἰ* coniunctivo iungit, non coniunctivus pro optativo, sed *εἰ* pro *ἤν* est, ut Od *ε*. 221.

εἰ δ᾽ αὖ τις ῥαίησι θεῶν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
τλήσομαι, ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

Vide Iliad. *α*. 340. *ε*. 258. *μ*. 223. 239. *φ*. 576. *χ*. 86. Od. *η*. 204. *μ*. 348. Et sic etiam Pindarus, et si qui alii hac constructione utuntur. Ac sane ita conveniebat. Nam coniunctivus atque optativus, quamdiu genuina Graecae orationis ratio floruit, significationes, quibus inter se differunt, integras conservarunt. Ac falleretur, qui in constructionibus particulae *ἐάν*, aliarumque particularum, quibus *ἄν* adhaeret, coniunctivum ab isto *ἄν*, non a particulis *εἰ*, *ἐπεί*, *ὅτε*, et quaecumque *ἄν* adsciscunt, regi

arbitraretur. Id quod aliquando clare intelligetur, si inventus fuerit, qui de particularum usu apud Homerum, fontem omnis harum rerum rationis, plene accurateque explicuerit. Vnum addo. Homerus εἰ, etiam ubi *an* significat, coniunctivo iunxit Od. ε. 471. ubi male μεθείη legitur; et alio modo Iliad. ο. 16.

οὐ μὰν οἶδ', εἰ αὖτε κακοῤῥαφίης ἀλεγεινῆς
πρώτη ἐπαύρηαι, καί σε πληγῇσιν ἱμάσσω,

coniunctivo hic quoque propriam vim conservante. Hoc enim dicit: *haud scio an fraudis tuae fructum ipsa debeas prima percipere, verberarique te a me conveniat.* Veni iam eo, quo volebam. Etenim ex Homero hoc cognoscimus, εἰ recte cum coniunctivo iungi, quum quidem id significatur, quod Attici per ἐὰν cum coniunctivo indicant. Quod si Homerus plerumque in ista constructione ἂν vel κὲν addit, quo clarius indicet, incertum adhuc esse id, de quo sermo est: de Atticis ita erit statuendum, praefe-13rendam eos in hac constructione iudicasse particulam ἄν, quod ubique dubitantius et cum quadam moderatione loqui amant. Qui quidem an in hac re ita religiosi fuerint, ut εἰ solum numquam coniunctivo iungerent, non diiudicaverim. Illud vero iure mihi videor posse contendere, praeceptum Thomae M. inde manasse, quod quum is, qui istam regulam excogitavit, in uno alterove loco Attici scriptoris εἰ cum coniunctivo, sive ab ipso scriptore positum, sive ex librariorum errore natum reperisset, miratus rei insolentiam, quum casu verba in his locis αὐθυπότακτα essent, ita iudicavit, cum horum verborum, non cum aliorum coniunctivis Atticos istam particulam construere. Nam non pauca Atticistarum praecepta ex eo orta esse, quod isti, quae exiguo locorum numero comprobata vidissent, ubique observata credebant, iam ab aliis satis demonstratum est. Quod si haec probabiliter disputasse videbimur, aut his quoque locis, in quibus coniunctivi verborum αὐθυποτάκτων cum particula εἰ constructi reperiuntur, emendatio adhibenda erit, neque id improbare illi poterunt, qui aliorum coniunctivos verborum sic constructos,

quorum vereor ne longe maior sit multitudo, corrigendos censent; aut, quod equidem, re nondum explorata, ut consideratius praetulerim, ita erit statuendum, apud Atticos quoque, ubi codices consentiant, nec sensus prohibeat, εἰ cum quorumcumque verborum coniunctivis tolerandum esse.

III.

Tertium genus illas complectitur regulas, in quibus et veri aliquid et falsi inest. Ita quod idem ille Thomas M. p. 161. praecipit, verbum δύναμαι non esse cum futuri infinitivo iungendum, habet sane idoneam rationem, quum quod quis posse facere dicitur, idem sit ac si dicatur cogitari id facere, quod nunc non facit. Nam etiam si dicas, *possum facturus esse* id praesentis temporis significationem continet, neque aliud est, quam si dicas, *possum in eo statu esse, ut velim facere.* Quare Graeci ne hoc quidem per futuri infinitivum, qui, ut alio loco ostendi, natura sua aoristus est, sed per praesentis infinitivum verbi μέλλειν indicant. Nihilo minus recte dixisse Sophoclem puto in Philoct. 1393.

> τί δῆτ᾽ ἂν ἡμεῖς δρῷμεν, εἰ σέ γ᾽ ἐν λόγοις   14
> πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν ὧν λέγω;

Nec debebat Schaeferus in Melet. crit. p. 99. Thomae praecepto moveri, ut de emendatione cogitaret. Vsitatatum est enim Graecis, ubi in principali verbo futuri significatio inest, etiam infinitivum futuri adiungere, ut quum μέλλειν ποιήσειν dicunt. Credibile est, hic illic lectionem, quae Atticistarum praeceptis repugnaret, ab recentioribus grammaticis librariisve mutatam esse. Ita in Sophoclis Oed. R. 272. vulgatam lectionem φθερεῖσθαι, quae verissima est, in uno Augustanorum codicum in φθαρῆναι mutatam repperi, adiecto scholio, Triclinii, opinor, quod etsi iam Erfurdtius adnotationibus suis inseruit, tamen, quoniam levis adhuc menda inhaeret, hic adscribendum putavi: φθαρῆναι δεῖ γράφειν, οὐ φθερεῖσθαι.

τὸ γὰρ εὔχομαι ἀντὶ τοῦ ὑπισχνοῦμαι τιθέμενον μέλλοντι συντάσσεται, ὡς τὸ, ηὔξατο τῷ Ἀσκληπιῷ τάλαντον δώσειν, παρὰ Λιβανίῳ, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν· ἀντὶ δὲ τοῦ εὐχὴν καὶ δέησιν ποιοῦμαι εἰς ἐνεστῶτα παρῳχημένον ἐκφέρεται, ὡς καὐτὸς οὗτος ἄνω προὔφη, ἐκτρῖψαι καὶ παθεῖν λέγων, (v. 248. 251.) καὶ Πλάτων ἐν Ἀξιόχῳ, εὐξάμενοι τὸ κράτιστον αὐτοῖς γενέσθαι. Idem praeceptum, quod neutram in partem verum esse aliquot Atticorum loci ostendunt, etiam apud Thomam M. p. 166. et Favorinum in v. εὔχομαι invenitur *).

Nonnumquam Atticistas vitiosis exemplaribus usos esse, iam supra dictum est, et monuerunt saepe de ea re docti homines. Accidit autem hoc non solum in his locis, unde isti regulas suas petierunt, sed interdum etiam in his, quos ut regulae repugnantes non esse imitandos dicunt: ut in illis locis, ex quibus Thomas M. p. 267. sq. ἦν cum optativo iunctum affert, quam constructionem Schaeferus, vir doctissimus, in Melet. p. 87. non prorsus improbandam iudicat. In qua re ille me quidem consentientem habet, quamquam quas rationes pro illa sententia affert, vereor ne id, quod vult, non efficiant. Sunt autem hae: una, multitudo exemplorum. At neminem fugit, multo maiorem illorum esse locorum copiam, in quibus codices meliorem lectionem suppeditaverint: ut in Hippocratis loco, qui ne afferri quidem debebat, quod 15ibi pridem vera lectio ἐπιχειρέῃ ex codd. adnotata erat. Ita vero quidni in plurimis aliis locis codicum approbationem praevertas? Altera haec ratio est, quod quidam loci omnem corrigendi conatum reiiciant. At de quattuor locis, quibus in hanc rem usus est, duo ad emendandum facil-

---

*) Ita in Thucyd. II. 29. revocandum futurum ex codd. πείσειν γὰρ Σιτάλκην πέμψειν στρατιὰν etc. et I. 27. ἐδεήθησαν — ξυμπροπέμψειν. v. Poppo I. 1. p. 159. ss. Vide Lobeck. ad Phryn. 747. et 717. Schaefer. ad Poet. gnom. p. 16. De ἐλπίζειν, de quo Favorinus, agit Thom. M. p. 167. v. Boeckh. ad Pind. Ol. I. 64.

limi sunt, si *παρεκβήῃς* et *λυθείῃς* scribatur, quas formas saepissime oblitteratas ab librariis esse non fugiebat Schaeferum, qui eas ipse reponendas aliquot in locis esse iudicat in Addend. ad Eurip. Pors. p. 564. Maximi vero locum in carmine *περὶ καταρχῶν* v. 346. si accuratius inspexisset vir doctissimus, facile vidisset ab hac disputatione esse alienissimum. Is locus ita scribendus est:

ἢν δὲ Νεμειήταο πέλῃ κατὰ ἄστρα λέοντος,
εἰ μὲν ἐπὶ πρώτῃ ἠοῖ δρόμον ἐντύνειεν,
λήσεται, οὐδέ μιν αὖτις ἐφέστιον οἷο ἄνακτος
ἀθρήσεις θεράποντα φυγόπτολιν· εἰ δέ γ' ἐπ' ἠοῖ
δευτατίῃ αἴροιτο φυγήν, οὐ πάντα τελέσσει
δρησμοσυνήν.

Itaque quartus tantum superest locus, qui est eiusdem Maximi, v. 422.

οὐδ' ἢν Ἰφίκλοιο θοώτερος αὐδάζοιο.

Huius vero loci lectio, bis etiam apud Tzetzam reperta, non potest, re ipsa indicante, dubia esse. Quare confitendum erit, *ἢν* etiam optativo, certe apud huius aetatis scriptores, iungi potuisse. At simul hic locus indicat, sic tantum id factum esse, ut *ἢν* pro *εἰ*, non ut optativus pro coniunctivo esset. Hoc vero afferri debebat, quo et probari posse utramque constructionem, et quo quaeque loco probanda esset, intelligeretur. Ac saepius fortasse *ἢν* optativo iunctum aliam aliis in locis excusationem habet. Homerus quidem *ἐπεὶ ἂν* et *ἐπὴν* Iliad. *ι*. 304. *τ*. 208. et vero etiam, si quid video, Od. *θ*. 511. Aeschylus autem in Persis 450. *ὅταν*, et Homerus, si lectio, uti debet, Iliad. *π*. 63. corrigatur, ac Lucianus in Timone c. 39. T. I. p. 151. *ὁπόταν* recte optativo iunxerunt: ut, si idem Lucianus *ἢν* saepius ita construxisse reperiatur, sane id non ubique librariis videatur imputandum esse. Sed de hac re sic demum recte disputari poterit, si quis omnia huius constructionis exempla ex hoc scriptore, cuius sermo omnino accuratiore pervestigatione dignus est, collegerit et inter ipsos comparaverit. At in Thucydidis loco,

unde ἦν cum optativo profert Thomas M. p. 267. non minus ille, quam in duobus Luciani locis, vitiosos codices sequutus est. De isto Thucydidis loco, quod neque alii eum recte explicuerunt, et mihi ipsi coniectura, quam ad Viger. p. 787. *) proposui, retractanda est, paucis exponam. Verba Thucydidis III. 44. reposito ex codd. εἴτε, haec sunt: *ἤν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτούς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον, εἴτε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο.* Vim verbis attulerunt, qui deesse alteram apodosin existimarunt. Non deest, sed apodosis, quae est in medio, ad utrumque membrum pertinet. Latine haec vix ita interpretari quis poterit, ut verbum verbo reddatur: licebit tamen hoc modo: *nam neque si poena dignissimos ostendero, necari propterea iubebo, nisi utile sit; neque si quid excusationis habeant, civitati si damnosum putaverim.* Neminem, qui praestantissimi scriptoris verba, semper profundae mentis plena, ponderare sciat, latere poterit, cur et apodosin in medio posuerit, et in altero membro *εἴτε εἶεν* et *εἰ φαίνοιτο*, non *ἦν ὦσιν* et *εἰ φανεῖται* dixerit. Sed omnino duobus maxime modis praeclaros viros, qui in Thucydide explicando operam posuerunt, peccasse videmus, uno, quod, quae hic insolentius scripsit, ad communem loquendi usum compararunt iudicaruntque, quum non in verborum compositione, sed in conformatione sententiarum apud hunc scriptorem quaerenda sit insolentia: quare is demum bonus erit eius interpres, qui et iudicio ita polleat, ut quid ille et quomodo quidque senserit, videat, et Graecae linguae eam habeat peritiam, ut quid ea quoque in loco ferat, etiam si nulla usquam similia exempla inveniantur, usu quodam sensuque teneat: unde etiam alterum vitabit errorem, quem plerique eo commiserunt, quod, quum insolenter loqui solere Thcydidem crederent, quidvis potius tentandum, quam, quod omnium facillimum et lenissimum

*) P. 822. ed. novissimae. Vbi quae dixi, re denuo perpensa, nescio an tenere debuerim.

est, interpunctionem emendandam esse in animum induxerunt. Huius quoque erroris insigne exemplum afferam: venia enim erit, si quid in huiusmodi scriptione a proposito digrediar. Mirum in modum viros doctos locus in lib. I. c. **22**. ubi de suis historiarum libris sic scribit Thucy- 17 dides, exercuit: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται· ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις, κατὰ τὸ ἀνθρώπειον, τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἕξει.* Cuius loci sensum quum Lucianus de conscrib. hist. c. **42**. T. II. p. **55**. optime his verbis declarasset: *κτῆμά τε γάρ φησι μᾶλλον ἐςαεὶ συγγράφειν, ἤπερ ἐς τὸ παρὸν ἀγώνισμα, καὶ μὴ τὸ μυθῶδες ἀσπάζεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν γεγενημένων ἀπολείπειν τοῖς ὕστερον· καὶ ἐπάγει τὸ χρήσιμον, καὶ ὃ τέλος ἄν τις εὖ φρονῶν ὑπόθοιτο ἱστορίας, ὡς εἴ ποτε καὶ αὖθις τὰ ὅμοια καταλάβοι, ἔχοιεν, φησί, πρὸς τὰ προγεγραμμένα ἀποβλέποντες, εὖ χρῆσθαι τοῖς ἐν ποσί*: nullus tamen Thucydidis interpretum animadvertit, mutata interpunctione difficultatem tolli omnem: *ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων, ἔσεσθαι ὠφελιμὰ κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἕξει*: i. e. *qui autem volent rerum gestarum veritatem considerare, et futura si quando rursus, ut sunt res humanae, eadem vel similia sint, utilem esse ad ea iudicanda hanc historiam, his factum erit satis.* Genitivis usus est, quum potuisset dicere, *ἣν τὰ μέλλοντά ποτε αὖθις τοιαῦτα ᾖ καὶ παραπλησία.* Et sic Lucianum haec intellexisse apertum est *).

---

*) Interpungendum post *ἔσεσθαι* minore distinctione. Quod saepius fit, ut verbum omittatur repetendum ex praecedentibus, hic quoque factum est. Plene haec sic dixisset: *καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι μελλόντων, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἕξει.* Satis erit factum, inquit, si qui vel res quae gestae sunt

Sed ut ad ἢν cum optativo redeam, quod paullo ante dicebam, ἢν in hac constructione pro εἰ poni, id nolim sic intelligi, ac si nihil inter ἢν et εἰ interesse putem. Nam ego hoc tantum volebam, primo verbi modum spectandum esse, quod in hoc cardo rei versatur. Quod si sensus optativum requirit, altera quaestio est, utrum ei εἰ adiungi debuerit, an potuerit addi ἢν, quae particula eo ab εἰ differt, quod εἰ est *si*, ἢν autem sive ἐὰν, sive ἂν, producta vocali, *si forte:* (productione enim hoc ἂν, ut ex ἐὰν contractum, a particula potentiali differt: quae res fraudem fecit Iacobsio in Addit. animadv. ad Athenaeum p. 24. 126. Nam exempla in contrariam partem corrupta sunt, ut Lollii Bassi epigr. 3, 9. in Brunck. Anal. T. II. p. 161. In Palladae epigr 137, 4. p. 436. ὅταν ex cod. reponendum.) Homerus igitur, apud quem particula κὲν atque etiam ἂν nihil ad verbi modum pertinet, saepissime εἴ κεν optativo iunxit: vide Iliad. 18β. 123. 597. ε. 273. ζ. 50. (κ. 381.) η. 387. ϑ. 196. 205. ι. 141. (283.) 445. ν. 288. τ. 322. χ. 220. 351. ψ. 346. 592. Od. η. 315. ϑ. 353. ο. 545. τ. 589. quorum locorum aliquos iam Schaeferus in Meletem. p. 50. s. attulit. Differunt ab his locis ii, in quibus coniunctivus est: qui futuri exacti significationem habent: v. Iliad. β. 364. ι. 412. π. 32. ρ. 39. σ. 91. χ. 349. Od. ε. 417. ϑ. 355. φ. 383. quibus addendi videntur, coniunctivo restituto, Od. μ. 345. ρ. 556. atque ipsum etiam futurum invenies Iliad. β. 258. ο. 213. ρ. 558. Et sic etiam, ubi εἰ est *an*, hoc quidem discrimine, ut optativus posse aliquid fieri, coniunctivus simpliciter futurum esse indicet. Od. χ. 75.

ἐπὶ δ᾽ αὐτῷ πάντες ἔχωμεν
ἀϑρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ ϑυράων,
ἔλϑωμεν δ᾽ ἀνὰ ἄστυ, βοὴ δ᾽ ὤκιστα γένοιτο·

---

accurate considerare, vel ubi futura, ut fieri solet, eamdem aut similem formam habebunt, utilem iudicare hunc librum voluerint.

an eum limine depulsuri, exitumque inventuri simus, et auxilium ferri possit. Sic optativi exempla habes Iliad. α. 60. Od. μ. 113. s. ξ. 120. coniunctivi Iliad. α. 207. ϑ. 532. ο. 403. (unde corrigendum λ. 792.) π. 861. χ. 244. (emendatum a Schaefero in add. ad. Eurip. Pors. p. 564.) Od. χ. 7. (ubi nunc Wolfius τύχωμι dedit, unde corrigenda Iliad. ε. 279. η. 243.) Od. ϱ. 51. (sed mox versu 60. ob tempus praeteritum requiritur τελέσσαι, non secus ac δ. 35. παῦσαι: nam Eustathii interpretatio vereor ut admitti possit) ω. 217. ubi ἐπιγνοίη in coniunctivum mutari debet. Ipsum futurum reperies Od. γ. 216. ο. 524. π. 238. futurum et coniunctivum σ. 265. Sed cave Iliad. η. 41. s. optativum e particula ἤν pendere putes: nova enim ibi constructio incipit, hac sententia: *illi vero ipsi tum aliquem ad certamen missuri essent.* Quin etiam cum indicativo aoristi εἴ κεν iunctum invenitur, ut Od. ζ. 282. et aliis in locis apud Schaeferum in Meletem. p. 51. quo clarius intelligi potest, Homericum εἴ κεν usu certe aliud esse quam ἤν, etsi idem est significatione. Hinc recte Schaeferus his exemplis non est usus in Append. ad Bastii epist. crit. p. 26. ubi κἂν pro καὶ ἐὰν cum indicativo tueri studet, qua quidem de re non praeripiam, quae Erfurdtius meus admonebit. Homericum quidem sermonem qui non putant ad grammaticas leges exigendum esse, hoc velim meminerint, si quibusdam in rebus hic alias leges sequitur, eas non esse nullas, et, si eae leges 19 etiamnum magnam partem latent, id et ab recensionum varietate, et ab eo repetendum esse, quod hae res incredibilem quamdam sibi curam diligentiamque poscunt. Vt hoc utar exemplo, quis non fateatur soloecismi speciem habere hos versus:

ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χάμαδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος.

Non potuit tamen quidquam rectius dici. Nam etsi metrum et πημανέουσιν et πημήνωσιν ferebat, neutrum tamen dici poterat, quod utroque modo indicaretur, fore, qui foedus violarent. Hoc vero, quod posuit, idem est

ac si dixisset, εἰ ποτεροὶ πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν, *utinam male pereant, si qui priores foedus violent.* Hinc non raro, ubi nihil vitii est, doctis viris orta dubitatio: ut quum Schaeferus in Melet. p. **109.** in Homerico hymno Cereris v. **274.** verba ὄργια ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε, soloecismo foedari putabat. Quo in loco optativus, quem codex habet, servatus est etiam a Wolfio, ob rationem illam, quam supra iam tetigi, quaeque satis ex tali loco, qualis hic est Od. μ. **156.** perspici poterit:

> ἀλλ' ἐρέω μὲν ἐγών, ἵνα εἰδότες ἤ κε θάνωμεν,
> ἤ κεν ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν.

Sic optativus recte positus est Iliad. η. **342.** θ. **291.** κ. **166. 171.** ρ. **640.** Od. β. **53.** s. κ. **434.** π. **257.** ω. **532.** Posset optativus etiam Od. ι. **356.** κ. **341.** defendi, ubi nuper coniunctivo cessit. Defendi posset etiam ν. **402.** ubi tamen cum Schaefero ad Eurip. Pors. p. **564.** coniunctivum praeferam, reponendum etiam Iliad. γ. **436.** (fortasse etiam ε. **215.** quamquam ibi defendi potest optativus, si locus sic intelligatur, ut Od. π. **103.**) ζ. **432.** ι. **245. 397.** ψ. **487.** Od. ξ. **183. 184.** (de quo loco iam monuit Schaeferus ad Eurip. Pors. p. **564.**) ρ. **250.** Defendi poterit optativus etiam Iliad. η. **340.** κ. **307.** Od. δ. **600.** η. **33.** ο. **21.** quamquam non ubique eodem modo. Defendendus videtur etiam Iliad. ψ. **494.** Od. ζ. **286.** contra Schaeferum in Melet. p. **122.** s. ac necessario defendendus est Od. α. **47.** quem locum ibidem sollicitavit Schaeferus. Contra coniunctivus recte post praeterita, certis quidem conditionibus usurpatur, ut Iliad. δ. **485.** ε. **128.** κ. **225.** Od. γ. **320.** Defendi potest Iliad. π. **100.** sed praetulerim tamen cum aliis libris optativum. Hic, opinor, aliquando coniunctivum etiam ex his locis expellet: Iliad. β. **4.** δ. **230.** ε. **567.** ν. **649.** ξ. **522.** ο. **23. 598.** π. **650.** ω. **581.** Od. γ. **2.** ι. **102.** κ. **24.** π. **369.**, quibus adde ι. **377.** σ. **348.** υ. **286.** ex quibus locis, quorum emendationem occupatam video a censore Homeri editionis

20

Wolfianae in Diar. litt. Ienens. **1809**. n. **247**. p. **154**. rarior optativi forma, *δυίη*, *ἀναδυίη*, ut *φυίη*, quod alibi Theocrito a me vindicatum, nunc etiam Buttmannus in Gr. gr. p. **309**. commemoravit, recipietur aliquando in verbi temporum modorumque enumerationem. Quod si quis me temerius sentire de constituenda Homeri lectione putabit, is si consideraverit, quantum in hoc genere vel duae postremae Wolfii editiones discrepent, mutabit spero sententiam. Quin his ipsis locis, quos modo dixi emendandos mihi videri, aliquot alios adiicere debuissem, nisi novissima editio occupasset, quae in schedis meis dudum reposita habebam.

DE CANTICO IN ROMANORVM FABVLIS SCENICIS DISSERTATIO *).

3 Quid Romani in tragoediis et comoediis canticum appellassent, satis videbatur constare, quum Car. Aug. Boettigerus, vir celeberrimus, in dissertatione de quattuor aetatibus rei scenicae apud veteres, quam Vimariae a. cIↄIↄccxcviii. edidit, p. 15. novam de ea re opinionem afferret. Cuius viri quo maior est in his rebus auctoritas, tanto minus mirer, si multis persuaserit. Me quidem si in his non esse profiteor, ipse, quae est eius comitas, dissentientem facile feret; aliis autem non ingratum fortasse fecero, si ostendero, cur ab eo dissentiendum putem. Sic autem ille statuit, finito quoque actu actorem primarium ad tibiam saltando spectatores oblectasse, idque vocatum esse canticum. Atque hoc quidem non est dubium, quin finito actu, ante quam rursum in scenam histriones prodirent, interdum tibicen cantu tibiae aliquod spectatoribus oblectamentum exhibuerit: produxitque in eam rem Boettigerus idoneum testem, Plautum, qui in Pseudolo I. 5, 160. sic dicit:

Tibicen vos intereu hic delectaverit.

Nihil tamen ex hoc loco aliud collegerim, quam, quod dixi, interdum hoc factum videri. Aliud, sed diversi ge-

*) Edita est a. 1811.

neris exemplum, in Sticho est, actu V. scena 4, 5, et 6. Sed habet Boettigerus alium auctorem, Donatum, qui in argumento Terentii Andriae p. 85. ed. Westerh. sic scribit: *est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit: quod quum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere.* Hic vero nescio an etiam infirmet Boettigeri sententiam. Quum enim chori mentionem faciat, hoc videtur dicere, ubi in Latinis fabulis scena a spectatoribus vacua sit, ut, si istae Graecae essent fabulae, chorus vel tibicen audiri possit, ibi actum finitum debere intelligi. Certe quum tibicinem commemoraret, respicere potuit *διαύλιον*. Scholiastes Aristophanis ad Ran. 1282. quem ipsum locum non neglexit Boettigerus: *φασὶ δὲ διαύλιον λέγεσθαι, ὅταν ἡσυχίας πάντων γενομένης, ἔνδον ὁ αὐλητὴς ᾄσῃ.* Quamquam hoc incertum est. Vtut sit, illud certe e Donati verbis non videtur colligi posse, apud Romanos semper finito actu auditum esse tibicinem. Nam quid est, quod Vitruvius, qui in praefatione ad libr. V. de archit. sic scribit: *Graeci quoque poetae comici, interponentes e choro canticum, diviserunt spatia fabularum: ita partes cubica ratione facientes, intercapedinibus levant actorum pronunciationes:* quid est, quod hic Graecos tantum comicos, non etiam Latinos commemorat? Sed aliud affert Boettigerus. In Terentii Heautontimorumeno in fine scenae secundae (primam dicere volebat) actus quinti Menedemum intro abire, ut filio Chremetis animum patris declaret, et, quum interea Chremes duo versiculos loquutus esset, redire cum huius filio, rebus omnibus transactis. Quod quoniam parum verisimile videatur, hic putat intercessisse canticum, ab actore primario ad tibiam saltatum. Quid vero, quum ibi non finiatur actus? immo, quum ibi tibicen ne potuerit quidem canere? Videamus ipsa Terentii verba.

ME. Itane vis? CH. ita. ME. fiat. CH. ac iam, uxorem ut accersat, paret.
Hic ita, ut liberos est aequom, dictis confutabitur.

Sed Syrum. ME. quid eum? CH. egone? si vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me di ament, auderet facere haec viduae mulieri,
Quae in me fecit.

Hic in medio versu scena finitur, quemadmodum in eiusdem versus medio scena, quae sequitur, incipit. Parum spatii Menedemo ad res intus transigendas relictum esse fateor. At paullo plus ei concedemus. Nunc enim admodum nihil habet, qui postquam illud *quid eum* interrogavit, tamen antequam introiret, audire debuerit, quid 5 responderet Chremes. Cur vero istud *quid eum* interrogat? De Syrone ille hic sollicitus sit, ubi longe alia ei curae cordique sunt? Tu vero tribue haec verba Chremeti, qui ipse se, quid Syro facturus sit, interrogat. Ita Menedemus abierit, postquam Chremes dixerat, *ac iam, uxorem ut arcessat, paret:* satisque temporis habebit, quo rem omnem Clitiphoni paucis exponat: praesertim quum Chremes quinque reliquos versus meditabundus secum loquatur. Iam quaero, ubi hic tibicinis cantui locus sit? Vtrumne statim ut Menedemus abiit? At quis hoc ferat, Chremetem iram indignationemque suam differre, donec tibicen spectatores, nihil hic minus quam tibiae cantum desiderantes, dicamne delectaverit, an enecuerit? An vero in media Chremetis oratione? Multo mehercule minus. An denique finita ea? At in medio versu? Quin ob id ipsum in medio versu finis et initium duarum scenarum conveniunt, ut interpellari a Clitiphone Chremetis sermonem appareat. Facessat ergo hinc tibicen, cui si erat in media aliqua scena tibiis canendum, accommodatior locus monstrari poterat III. 1. post v. 98. Cum tibicine ex isto quidem Terentii loco simul, opinor, illum quoque abire iussimus, qui ibi ad tibiam saltasse dicebatur. Sed omnino unde illud, ad cantum tibicinis saltatum fuisse a quoquam, et quidem a primario histrione? De hac salta-

tione, inquit, accipienda sunt verba parum intellecta, quae in didascaliis fabularum Terentianarum reperiuntur: *egit Ambivius.* Nescio quo argumento hoc dicat, mirorque placere ei interpretationem, quae ab omni verisimilitudine abhorreat, displicere illam, quae fieri vix potest quin vera sit. Nam ut tantisper concedamus, in usu fuisse aliquam inter actus mimicam saltationem, quis credat eam dignam esse habitam, quae in didascaliis commemoraretur, quum ne ad ipsam quidem fabulam pertineret; illud autem non fuisse adnotatum, qui histriones primas partes egissent? Et cur duo fere memorantur, qui egerint? ut in Andria, in Eunucho, in Heautontimorumeno, in Phormione: *egerunt L. Ambivius Turpio et L. Atilius Praenestinus.* In Adelphis: *egere L. Atilius Praenestinus, Minutius Prothymus.* Magis etiam rem declarat Hecyra. Ad eius primum prologum v. 1. ita scribit Donatus: *virtute actorum L. Ambivii et L. Turpionis est commendata.* Ex titulo, in quo est, *egit L. Ambivius Turpio: placuit:* coniicias scribendum esse, *virtute actorum, et L. Ambivii Turpionis*, nisi nomen actoris secundarum partium excidit. Idem ad initium secundi prologi: *nam totiens expulsa fabula quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius probaret et poetam et comoediam, cuius auctoritas elucet ex verbis?* Sed quid Donato auctore utor, quum ipse in eo prologo Ambivius v. 31. de se testimonium edat?

Primo actu placeo: quum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores, populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.

Haec, opinor, nihil dubitationis relinquunt, quid sit illud, *egit Ambivius.*

Sed progrediamur. De eadem ista mimica saltatione, quae inter actus exhibita fuerit, haec quoque didascaliarum verba, *modos fecit Flaccus*, intelligenda

putat Boettigerus, et ita quidem, ut Flaccum pythaulen fuisse existimet. Huic quoque opinioni auctorem adhibet Donatum, cuius e libello de tragoedia et comoedia haec verba profert: *diverbia histriones pronunciabant: cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicae factis.* Quae sit huius argumenti vis, non perspicio: nisi si ita ratiocineris, quoniam inter actus tibicen cecinerit, hos modos fecisse Flaccum. At non ante sic liceret concludere, quam ubi haec tria demonstrata essent, primo, tibicinem non aliter in comoedia, nisi inter actus, auditum esse; deinde hunc tibicinis cantum vocatum esse canticum; denique modos facere esse canere tibia. Haec omnia secus esse, infra apparebit. Nunc illud quaeram, quo iure Flaccus pythaules habeatur. Non infitior, periti tibicinis mentionem fieri in didascaliis potuisse. Tamen multo veri similius videtur, non tibicinem, sed, quem Donatus dicit artis musicae peritum, qui modos tibicini praescripserit, intelligendum esse. Et 7 sic hoc interpretati sunt etiam Salmasius ad Scriptt. Hist. Aug. p. 70. et du Bos in meditationibus de poesi et pictura vol. III. p. 180. aliique. Ac nisi haec vera interpretatio esset, prorsus inepte Donatus poetae mentionem iniecisset, modos non a poeta, sed a perito artis musicae factos dicens. Pergit vero ille sic: *neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis: ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huiuscemodi modos faciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant. Huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur* *). Haec non usque quaque

---

*) Tractarunt hunc locum G. A. B. Wolffius in libello de actibus et scenis p. 19. et A. G. Langius in Vindiciis tragoediae Romanae p. 44. qui vidit scribendum esse interpunctione mutata: *Illius, qui huiuscemodi modos faciebat, nomen* etc.

aut plana aut mendo vacua sunt. Quod dicit, tres numeros, qui mutatos modos cantici contineant, in comoediis poni solitos esse, vix aliter potest intelligi, quam ut iis cantici versibus, in quibus mutabantur modi, adscriptos putemus numeros I. II. III. Simile quiddam commemorat in praefatione ad Eunuchum his verbis: *saepe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit: quod significat titulus scenae, habens subiectas personis litteras M. M. C.* Itaque ei scenae, in qua canticum esset mutatis modis, litterae M. M. C. quae mutari modos cantici indicarent, praemittebantur, quod etiam Salmasio placet ad Scriptt. H. A. p. 495. ipsi autem cantico, si recte coniicio, suis locis addebantur numeri I. II. III. ut, ubi fieret ista mutatio, intelligeretur. Quod inde dicit, qui huiuscemodi modos fecerint, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superposuisse, nemo non sentiet, scriptorem non satis apte de poeta intelligi posse. Hoc enim ad fabulam totam, non ad modos pertinebat: neque qui modos faciebat, curare opus habebat, cuius poetae ea fabula esset, sed illud erat indicandum, quis modos fecisset, et quis actor canticum, cui facti erant modi, saltaret. Quare scriptor dici videtur ille artis musicae peritus, qui modos fecerit: nec, si recte sentio, aliud quidquam continetur Donati verbis, quam in principio fabulae adscriptum fuisse id ipsum, quod in titulis ordine inverso legimus: *egerunt L. Ambivius Turpio, L. Atilius Praenestinus: modos fecit Flaccus.* Neque repugnant reliqui loci, in quibus Flacci mentionem facit Donatus: 8 in praefatione ad Eunuchum: *item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra, ob iocularia, multa permixta gravitate.* Et in praefatione ad Hecyram: *modulatus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus.* Et in praefatione ad Phormionem: *modos faciente Flacco Claudii f. tibiis Serranis.* Nam *modos fecit et modulatus est* significat ἐμελοποίησεν, ut recte iudicavit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 70. Cicero de Or. III. 26. 102. *neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summitti-*

tur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur. Sed redeo ad Donati locum, de quo disputabam. Ac reliqua verba ut nunc leguntur, tam sunt inepta, ut dubitari non possit, quin corrupta sint. Nam quis credat ante ipsum fabulae initium unquam carmen aliquod ex ea fabula ad tibiam cantatum esse? Potius hoc equidem Donatum dicere arbitror, usitatum fuisse, ut ante quam histriones in scenam prodirent, immo ante quam fabulae titulus pronunciaretur, tibicen tibia modos caneret eos, qui deinde canticis essent adhibendi. Quare sic scribendum puto: *huiusmodi adeo carmina assis tibiis fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur.* De ista tituli pronunciatione, in qua nunc fabulae, nunc poetae nomen primum locum tenebat, idem Donatus in praefatione ad Andriam: *pronunciataque est Andria Terenti, ob incognitum adhuc nomen poetae, et minoris apud populum auctoritatis ac meriti.* Et in praefatione ad Eunuchum: *haec edita tertium est, et pronunciata Terenti Eunuchus, quippe iam adulta commendatione poetae, ac meritis ingenii notioribus populo.* Et in praefatione ad Adelphos: *hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetae. Itaque sic pronunciatam, Adelphoe Terenti, non Terenti Adelphoe, quod adhuc magis de fabulae nomine poeta, quam de poetae nomine fabula commendabatur.*

Apertum iam esse arbitror, nec Flaccum pythaulen fuisse, et tibicinem cecinisse, ante quam ullus in scena actor apparuisset. Nunc videamus, quid canticum sit. Diomedes libro III. p. 489. *membra comoediarum tria* 9 *sunt: diverbium, canticum, chorus.* Et statim: *diverbia sunt partes comoediarum, in quibus diversorum personae versantur.* Tum paullo post: *in canticis autem una tantum debet esse persona, aut, si duae fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat.* Et deinde: *Latinae vero comoediae chorum non habent,*

sed duobus tantum membris constant, diverbio et cantico. Et p. 488. *Latine fabulae appellantur, sive fatibulae. In Latinis enim fabulis plura sunt cantica, quae canuntur.* Vel haec satis docent, cantica, quae fere idem erant, quod apud Graecos ἀπὸ σκηνῆς vocabatur, partes ipsarum fuisse fabularum, non saltationem ad tibiam, quae inter actus spectatorum oblectandorum caussa exhiberetur. Confirmant hoc etiam haec Donati, in praefatione ad Andriam: *diverbiis et canticis lepide distincta est:* ad Eunuchum: *diverbia multa saepe pronunciata, et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt:* ad Hecyram: *cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt:* ad Phormionem: *totaque diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum, et suavissimis ornata canticis fuit.* Haec omnia apertum est sic dici, ut partes fabularum, et quidem quae non solo gestu, sed etiam oratione et cantu constiterint, intelligi debeant. Addam his Quintilianum XI. 3. 167. *pleniore tamen haec canali fluunt, vos, Albani tumuli atque luci: nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt: saxa atque solitudines voci respondent.* Hoc quoque loco iam usus est du Bos in meditationibus de poesi et pictura vol. III. p. 177. Alios duos Quintiliani locos, I. 8. 2. et 10, 23. quorum alterum idem du Bos commemoravit, praetereo, quod in his incertum est, an de scenicis canticis sermo sit. Rectius huc trahi posset canticum a Macrobio Sat. II. 7. commemoratum, cuius clausula fuit, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, quod tamen, etsi ex tragoedia sumptum, non in tragoedia ab Hyla, histrione mimico, agebatur. Sed apertius Cicero ad div. IX. 22. *itaque non modo in comoediis res ipsa narratur: ut ille in Demiurgo, modo (forte nosti canticum, meministi Roscium) ita me destituit nudum.* Suetonius Ner. c. 39. *et Datus, Atellanarum histrio, in cantico quodam,* ὑγίαινε, πάτερ, ὑγίαινε, μῆτερ, *ita demonstraverat, ut bibentem, natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinaeque significans; et in novissima clausula, Orcus vobis ducit pedes, senatum gestu notaret.*

10 Idem Galb. c. 13. *siquidem Atellanis novissimum canticum exorsis, venit io simus a villa, cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac, saepius versu repetito, egerunt.* Hoc quidem in loco canticum est chori seu catervae. Nam quum a cantu ductum sit hoc nomen, per se non indicat, utrum unius an plurium cantus intelligatur. Itaque Vitruvius, cuius locum supra attuli, *e choro canticum* dixit, carmen a choro cantatum significans. Sic etiam Phaedrus fab. V. 7. 25.

Tunc chorus ignotum more docto canticum
Insonuit, cuius haec fuit sententia:
Laetare incolumis Roma, salvo principe.

Sic etiam v. 31. Inde *cantores* de caterva apud Ciceronem pro P. Sextio c. 55. qui Graecis *χορευταί*. Sed quum in tragoediis et comoediis apud Romanos unus tantum caneret, isque solus secum aliquid, non cum aliis, loquens, factum est, ut canticum saepissime de *μονῳδία* diceretur, quo vocabulo usus est Donatus, canticum significans, ad Terentii Hec. V. 3, 18. Operae pretium faceret, qui cantica in Terentii Plautique fabulis a diverbiis distingueret, quod in Plauto plerumque facilius est, quam in Terentio.

Satis demonstrasse mihi videor, cantica et partes ipsarum fuisse fabularum, neque oratione et vocis cantu caruisse. Tamen nondum otium nobis facit Boettigeri disputatio. Nam hic, quum illud Plauti, de quo supra dictum est, commemorasset,

Tibicen vos interea hic delectaverit,

hinc, inquit, *etiam intelligi posse puto, quid in scena actitaverit Roscius ille, summus aetate Ciceronis artifex, et gestuum mira varietate et veritate laudatissimus, quid Aesopus, quid alii tragoedi et comoedi tunc temporis nobilissimi. Aluit Roscius, ut ex oratione Ciceronis pro eo novimus, gregem histrionum, quibus ipse monstraret gestus et artem histrioniam. Quotiescumque*

igitur operam suam aedilibus aliisque ludorum scenicorum editoribus locaret, ipse, quod summum in arte eius habebatur, egit cantica ad tibicinem, diverbiis sive dialogis gregi suo relictis. Ipsa posui viri celeberrimi verba, quo ne dubium esset lectoribus, Roscium Aesopumque ei visos esse nihil praeter cantica egisse, et 11 haec quoque expressisse tantum gestu, non pronunciasse aut cecinisse. Non vereor, ne cui hoc credibile videatur, praesertim recordanti, quae Plutarchus de Cicerone in vita eius scribit p. 1582. ed. Steph. *λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν ὑπόκρισιν, τοῦτο μὲν Ῥωσκίῳ τῷ κωμῳδῷ, τοῦτο δ' Αἰσώπῳ τῷ τραγῳδῷ προςέχειν ἐπιμελῶς.* At, inquis, habebat fortasse vir doctissimus, quae pro sua illa opinione afferret. Videamus. Vtrumne haec Ciceronis pro Archia 8. 17. *quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui quum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Sane ita hic loquitur Cicero, ac si omnis Roscii ars in solo corporis motu posita fuisset. Verum quis non intelligat, in histrione, praesertim si cum poeta comparetur, gestum magis, quam quidquam aliud, laudari debuisse? An hoc afferet eiusdem Ciceronis in III. de orat. 26. 102. *numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest,*

> *Nam sapiens virtuti honorem praemium,*
> *haud praedam, petit,*

sed abiicit prorsus, ut in proximos,

> *Et quid video, ferro septus possidet*
> *sedes sacras,*

incidat, adspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter:

> *Quid petam praesidi?*

quam leniter, quam remisse, quam non actuose. Instat enim,

O pater, o patria, o Priami domus,

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. At licebit monêre, agere actorem dici etiam ea, quae cum motu gestuque aliquo pronunciat. Diomedes p. 488. *nam et agi fabula, non referri ab actoribus dicitur.* An denique hoc proferet ex I. de or. 60. 254. *solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores*
12*tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum.* Cum quo loco alius congruit de legg. I. 4. 11. *quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu leniverat* (sic fortasse pro *cecinerat* scribendum*)) *ipsasque tardiores fecerat tibias.* Haec vero per se sola non multum probatura essent, quum neque aperte indicetur, cecinisse alium, quam ipsum histrionem, neque, si ita factum est, non egisse eum diverbia appareat. Sed accedit fortasse aliquid ponderis ex his locis. T. Livius VII. 2. *Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigenti motu, quia nihil vocis usus impediebat: inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.* Valerius Maximus II. 4, 3. de eodem Livio: *isque sui operis actor, quum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit.* Lucianus de saltatione c. 30. T. II. p. 286. πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ

---

*) Muretus (orat. 19. vol. II. p. 385.) in Cicerone legerat *inciderat*, quod non probaverim. Multo minus *ceciderat*, quod multi libri habent, ut id sit a *cadere* dictum, ferri potest. Melius conveniret *inciderat*.

ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο· εἶτ᾽, ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν. Gellius XX. 3. *Sicinnium genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt.* Isidorus Orig. XVIII. 44. *orchestra autem pulpitus erat scenae, ubi saltator agere posset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetae comoedi et tragoedi ad certamen conscendebant, iisque canentibus alii gestus edebant.* Alium locum Eusebii in chronico p. 155. *Pylades Cilix pantomimus, quum veteres ipsi canerent et saltarent, primus Romae chorum et fistulam sibi praecinere fecit*, accurate tractavit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 491—504. ostenditque alio spectare, quam ad hunc morem, de quo Livius et Valerius Maximus loquuntur. Ex his vero luce clarius apparet, histriones diverbia pronunciasse, cantica autem egisse tantum, canente alio. Et, si hic mos, ut ex Livii verbis videtur colligi posse, semper observatus est, hoc certe extra dubitationem erit positum, Roscium Aesopumque cantica tacentes egisse, sive saltasse. Saltare enim tragoediam dicitur, qui gestus agit; cantare, qui versus canit. Vnde saltare proprium est histrionis, cantare cantoris. Distincte de utraque re loquitur Suetonius in Caligula c. 54. *idem cantor, atque saltator.* Et statim: *canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus et tragoedo pronuncianti concineret, et gestum histrionis, quasi laudans vel corrigens, palam effingeret.* Idem in Nerone c. 46. *observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice, Oedipodem exsulem, atque in hoc desiisse versu:* 13

θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

Sed haec iam accuratissime exposuit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 352. et 503. Alia vero hic oritur quaestio, semperne cantica ab aliis cantata fuerint, quam a quibus gestu exprimerentur, an interdum etiam histriones ipsi simul et saltaverint et cantaverint fabulam. Hoc postremum

colligas fortasse ex his Suetonii verbis in Nerone c. **21.** *tragoedias quoque cantavit personatus. Inter caetera cantavit Canacen parturientem, Oedipodem excaecatum, Herculem insanum. In qua fabula fama est tirunculum militem, positum ad custodiam aditus, quum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendae opis gratia.* At hic quidem, ut praecedentia docent, et Dio Cassius in fine libri XLI. de citharoedis sermo est, cantica e Graecis fabulis cantantibus. Eodemque Plinii locus spectat in Hist. Nat. XXXVII. 2. sect. 7. quem recte explicuit Casaubonus ad Suetonii locum. Sed Horatius aperte cantorem et histrionem eumdem esse significat, quum dicit,

donec cantor, vos plaudite, dicat.

Sunt, qui eodem referant etiam haec Ciceronis in orat. pro P. Sextio c. 55. *nam quum ageretur togata, Simulans, ut opinor, caterva tota, clarissima concentione in ore impuri hominis imminens concionata est, huic vitae tuae, et, post principia atque exitus vitiosae vitae. Sedebat exanimatus: et is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare suas solebat, cantorum ipsorum vocibus eiiciebatur.* Sed de hoc loco quid sentiam, supra indicatum est. Quin fateor potius, nihil dum me reperisse, unde certo intelligi posset, histrionem cantica interdum etiam cecinisse. In quam rem mox proferam locum Ciceronis non minus memorabilem, quam quae supra e III. de or. 26. 102. attuli, ubi de Aesopo canticum agente sic loquitur, ut non sine caussa
14 solum gestum, non etiam vocem cantumque commemorare videatur. Sed priusquam istuc veniam, illud non est praetereundum, quod Boettigerus Roscium Aesopumque non nisi cantica egisse, diverbia autem gregibus suis reliquisse dicit. Quis enim, etiam si omnes ea de re scriptores tacerent, sibi persuadeat, Ballionem et Aiacem in canticis ab Roscio et Aesopo, in diverbiis ab alio ignobiliore actore actum esse? quis, ut caetera praeteream, non videat, si qua scena, ut saepe, e cantico in diver-

bium abibat, non potuisse actorem, finito cantico, sine summa offensione spectatorum de medio tolli, aliumque eius loco Ballionem vel Aiacem suffici? Quod si opus est in re per se minime dubia testes afferre, apertum faciam, et Roscium et Aesopum etiam diverbia non solum egisse, sed etiam pronunciasse. Cicero de off. I. 31. 114. *ne scenici plus quam nos videantur habere prudentiae. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt; qui voce freti sunt, Epigonos, Medumque; qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram: semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam; non saepe Aesopus Aiacem.* Idem de or. I. 27. 124. *caeterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerint, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi id, quod scirent, putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut crudior fuit.* Et c. 61. 258. *itaque nos raucos saepe attentissime audiri video: tenet enim res ipsa atque caussa; at Aesopum, si paullum irrauserit, explodi.* Et II. 46. 193. *quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulae? tamen in hoc genere saepe ipse vidi, quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondalia illa dicentis:*

Segregare abs te ausus, aut sine illo
Salamina ingredi?
Neque paternum adspectum es veritus?

Numquam illum adspectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. At (sic scribe) *idem inflexa ad miserabilem sonum voce,*

quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, exstinxti;
neque fratris necis,
Neque gnati eius parvi, qui tibi in tutelam est traditus,

15 *flens ac lugens dicere videbatur.* Et in epist. ad div. VII. 1. *deliciae vero tuae, noster Aesopus, eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare quum coepisset, vox eum defecit in illo loco, si sciens fallo.* Iamne apparet, non mutos in scena stetisse Roscium et Aesopum? Sed non possum, quin moneam, in hoc postremo Ciceronis loco observandum esse ter positum verbum *dicere.* Vnde apparet, non esse haec cantata. Et recte, ut in diverbio Telamonis et Teucri, quod contra, quae in Quaestt. Tusc. I. 44. 106. ex cantico quodam deprompta affert, *pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concini, septenariis ad tibiam fusis*, narrat. Indidem colligitur, vitiosum vocabulum *spondalia*, neque in *spondialia*, ut videbatur Adr. Turnebo, neque in *spondaulia* *), ut Salmasius volebat, mutari posse: quae coniecturae etiam propter alias causas admitti nequeunt. Codd. praeter vulgatam lectionem etiam *spondali illa* et *spondalli illa* habent. Quod si venia est de loco tam desperato suspicionem aliquam proferenti, facilius mihi persuadeam, litteras *li* vel *lli* errore librariorum ex sequente *illa* natas esse, quum Cicero scripsisset, *e sponda illa dicentis.* Non inepte certe credas Telamonem, *cuius corpus*, ut ipse in illa fabula de se praedicat apud Nonium p. 159. *annisque et aetate putrebat*, quum accepto de filii morte nuncio in lectulo consedisset, e sponda increpare Teucrum; Aesopumque, quod senile corpus ad iram furoremque gestu satis exprimendum vix esse idoneum sentiret, tanto magis sensus istos oculis significasse. Iam denique, quo res conficiatur, illum videamus locum, de quo supra dixi, in oratione pro P. Sextio, c. 56. *Quid fuit illud, quod, recenti nuncio de illo senatusconsulto, quod factum est*

---

*) Invenitur *spondalium* apud Diomed. p. 472. versu penultimo, quod ipsum Salmasius, et recte sane, *spondaulium* scribendum esse vidit. Sed Cicero si eo verbo usus est, certe non satisfaciunt, quae Osannus attulit in libro quem Germanice de Sophoclis Aiace scripsit p. 87. seqq.

in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato, consessu maximo, summus artifex, et mehercule semper partium in republica, tamquam in scena, optimarum, flens et recenti laetitia, et misto dolore ac desiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam caussam, quam egomet de me agere potuissem? Summi enim poetae ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat: quid enim? qui rempublicam certo animo adiuverit, statuerit, steterit cum Achivis. Vobiscum me stetisse dicebat: vestros ordines demonstrabat: revocabatur ab universis. Re dubia nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit. Haec quantis ab illo clamori- 16 *bus agebantur, quum iam, omisso gestu, verbis poetae, et studio actoris, et exspectationi nostrae plauderetur? Summum amicum, summo in bello, (nam illud ipse actor adiungebat amico animo, et fortassis homines propter aliquod desiderium approbabant) summo ingenio praeditum. Tum illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo post in eadem fabula sunt acta: o pater — Me, me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu ac illis nostris incendiis ac ruinis, quum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam eversamque, sic egit, ut, demonstrata pristina fortuna, quum se convertisset, haec omnia vidi inflammari, fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. Pro dii immortales, quid, illa quemadmodum dixit idem, quae mihi quidem ita et acta et scripta videntur esse, ut vel a Catulo, si revixisset, praeclare posse dici viderentur. Is enim libere reprehendere et accusare populi nonnumquam temeritatem solebat, aut errorem senatus: o ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneficî. Non erat illud quidem verum: non enim ingrati, sed miseri, quibus reddere salutem, a quo acceperant, non liceret: ne-*

que unus in quemquam umquam gratior, quam in me universi: sed tamen illud scripsit disertissimus poeta pro me; egit fortissimus actor, non solum optimus, de me, quum omnes ordines demonstraret, senatum, equites Romanos, universum populum Romanum accusaret: exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini. Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in caussa hominis non popularis, equidem audiebamus: existimare facilius possunt, qui adfuerunt. Et, quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, quum ita dolenter ageret caussam meam, ut vox eius illa praeclara lacrimis impediretur. Neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaque populus Romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit. Vtrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Attium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto: Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat. Millies revocatum est. Iam nemini posthac, spero, in mentem veniet, Roscium Aesopumque diverbia gregibus suis reliquisse, ipsos autem sola egisse cantica, nec vocem eorum 17 in scena esse auditam; multo minus, canticum dictum esse, si quando tibicen finito actu tibia cecinisset, aut ad istos tibicinis sonos actorem aliquem, et quidem primarum partium, nescio quid mimica saltatione expressisse. Sed illud non est in hoc Ciceronis loco negligendum, quod neque canere usquam dicit Aesopum, neque haec, quae in cantico erant, dicta ab eo, sed, quasi studiose illo verbo abstinens, acta refert. Quo fit, ut certe non labefactetur illud, quod Livius scribit, sola ab histrionibus diverbia pronunciata esse. Illa enim, *o pater*, et, *haec omnia vidi inflammari*, ex cantico esse, nisi metra docerent, ipse testatur Cicero in Quaestt. Tusc. I. 35. *at certe ei melius evenisset, nec tam flebiliter illa canerentur*,

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari.

Et III. 19. quum et hos versus, et illos, o *pater*, commemorasset, addit: *praeclarum carmen: est enim et rebus, et verbis, et modis lugubre.*

DISSERTATIO DE PRONOMINE *ΑΥΤΟΣ* *).

I.

De propria significatione pronominis αὐτός.

42 In magno illarum rerum numero, quae quod satis notae videntur, negligi plerumque, neglectae autem nonnumquam errorem parere solent, etiam usus pronominis *αὐτὸς* est. In cuius pronominis praecipuis significationibus explicandis si quid operae posuero, id non ingratum fore spero his, qui sciunt, nec bonum interpretem, nec probabilem criticum talium quaestionum tenuitate supersedere posse. Atque illud quidem non potest obscurum esse, quum nomen *αὐτὸς* ex adverbio *αὖτε* ortum sit, propriam eius significationem hanc esse, quasi quis *iteratum* dicat. Hinc apertum est, hoc nomen natura sua pronomen esse, quippe quod per se intelligi nequeat, nisi referatur ad aliquid, quod sit cogitatione iterandum. Itaque sive Graece *αὐτός*, sive Latine *ipse*, sive alia lingua aliter dicas, id proprie nihil aliud significat, quam *hic, de quo loquor.* Qui autem tali pronomine notionem eius rei, de qua loquitur, iterat, is facit hoc eo consilio, ut se quam

*) Edita est in Beckii Actis Seminarii Regii et Societatis philologicae Lipsiensis, vol. I. p. 42. seqq.

maxime de ista re loqui ostendat. Hinc primarius istius 43 pronominis usus in eo versatur, ut rem ab aliis rebus discernendam esse indicet. Itaque *ipse* oppositum habet alium. Ista vero discretio tot modis fieri potest, ut aliqui eorum pene sibi repugnent. Vt quod Polyphemus, quum ab Vlysse excaecatus esset, de patre suo Neptuno praedicat Odyss. ι. 520.

αὐτὸς δ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἰήσεται, οὐδέ τις ἄλλος:

quod idem est, ac si dixisset *hic solus.* Illud Lucretii vero,

ipse Epicurus obit, decurso lumine vitae,

sic est dictum, ut non solus Epicurus, sed hic pariter cum hominibus omnibus significetur. Atqui hoc quoque in versu Epicurus, ut istic Neptunus, ab aliis discernitur, sed alio modo. Hoc enim dicit Lucretius, *quid alios memorem, quum Epicurus obierit?* Persequar nunc, quae in hoc genere, quod in plurimas partes diffusum est, praecipua reperiuntur, ita quidem, ut in solo Homero consistam, qui quod prima quasi stamina continet, unde omnis contexta est Graecorum oratio, in huiusmodi disputationibus omnibus primum debet locum obtinere.

II.

Αὐτὸς variis distinctionibus inservit.

Ac primo, quum quis *ipse* dicitur, nunc anima intelligi potest, secluso corpore: cuius quidem generis nullum exstat in Homerica poesi exemplum, sed non prorsus tamen dissimile est illud Odyss. λ. 601.

τὸν δὲ μετ' εἰςενόησα βίην Ἡρακληείην,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς.

Obiter adiicio, quum in primo horum versuum anastrophen in praepositione admisi, id me scientem fecisse, qui 44 mihi videar demonstrare posse, grammaticorum praeceptionem, a qua illi Iliad. σ. 191. ipsi exceptionem sta-

tuunt, esse falsam: vide Schol. Ven. ad Iliad. β. 150. σ. 191. 400. Gazam p. 349 ed. Bas. 1541. Neophytum in commentariis ad Gazam p. 1064., qui nescio unde ex Dionysio periegeta exemplum afferat, quod Homeri est Iliad. σ. 400. Nunc corpus intelligitur, animae oppositum, ut in illo:

πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων· αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

Saepe opponitur is, qui *ipse* dicitur, iis rebus, quas ipse habet: Iliad. α. 46.

ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
αὐτοῦ κινηθέντος.

Od. τ. 329. et 332.

ὃς μὲν ἀπηνὴς αὐτὸς ἔῃ, καὶ ἀπηνέα εἰδῇ,
ὃς δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ, καὶ ἀμύμονα εἰδῇ.

π. 387.

εἰ δ' ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βόλεσθε
αὐτόν τε ζώειν, καὶ ἔχειν πατρώϊα πάντα.

Ita in vexato illo loco, Iliad. λ. 49. (vide etiam μ. 77.)

αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
ῥώοντο,

hic sensus est: *equis suis aurigisque relictis, ipsi pedestrem pugnam ciebant.* Iliad. κ. 570.

νηῒ δ' ἐνὶ πρύμνῃ ἔναρα βροτόεντα Δόλωνος
θῆκ' Ὀδυσεύς, ὄφρ' ἱρὸν ἑτοιμασσαίατ' Ἀθήνῃ·
αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ.

ψ. 291.

ἵππους δὲ Τρωοὺς ὕπαγε ζυγόν, οὕς ποτ' ἀπηύρα
Αἰνείαν· ἀτὰρ αὐτὸν ὑπεξεσάωσεν Ἀπόλλων.

Sic etiam ζ. 40. 42., ubi observanda distinctio *αὐτῷ μέν*,
45 *αὐτὸς δέ*, et v. 25., ubi notanda inversio, *χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε*, pro *αὐτὸς δὲ χρυσὸν ἔδυνε*. Similis inversio est Od. ρ. 124.

ὦ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ
ἤθελον εὐνηθῆναι, ἀνάλκιδες αὐτοὶ ἐόντες.

Saepe distinguuntur ii, quibuscum aliquis esse solet: Iliad. *ε*. 460.

ὣς εἰπών, αὐτὸς μὲν ἐφέζετο Περγάμῳ ἄκρῃ·
Τρωὰς δὲ στίχας οὖλος Ἄρης ὤτρυνε μετελθών.

ϑ. 4.

αὐτὸς δέ σφ᾽ ἀγόρευε, θεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἄκουον.

τ. 302.

αὐτὸν δ᾽ ἀμφὶ γέροντες Ἀχαιῶν ἠγερέθοντο,

ubi Achilles a familiaribus suis distinguitur. Aut quae circa sunt: Od. *γ*. 170.

ἢ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης,
νήσου ἐπὶ Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ᾽ ἀριστέρ᾽ ἔχοντες,

Chium. Est etiam, ubi totum parti opponitur: Iliad. *η*. 474.

ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ᾽ αὐτῇσι βόεσσιν.

Quin per idem pronomen eadem persona sibimet ipsi opponitur, ita quidem, ut aliquid alius rei adiumento, aliquid ipsa facere dicatur. Vide Iliad. *ϑ*. 75. *ρ*. 48. Interdum paullo obscurior, ut Od. *ζ*. 328.

τοῦ δ᾽ ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη·
αὐτῷ δ᾽ οὔπω φαίνετ᾽ ἐναντίη.

Preces eius, inquit, *audivit: ipsi vero non est ausa in conspectum venire.* Iliad. *ι*. 449.

ὅς μοι παλλακίδος πέρι χώσατο καλλικόμοιο,
τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν:

ipse eam amabat, neque ab aliis volebat amari.

III.

Αὐτὸς significat vel, adeo, statim. *Indicat caritatem. Adverbium αὐτοῦ.*

Alia ratio est, quum quid propterea, quia vel omnino, vel pro praesenti rerum statu praecipuum habetur, 46 ab aliis rebus distinguitur. Iliad. *ζ*. 450.

ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
οὔτ' αὐτῆς Ἑκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
οὔτε κασιγνήτων.

Vide Odyss. ξ. 98. π. 251. 303. τ. 376. φ. 109. χ. 425. Hinc frequentissime cum deorum nominibus *αὐτὸς* iungitur: ut Iliad. β. 309. 827. δ. 167. ε. 51. 338. 433. ι. 445. κ. 329 μ. 27. 234. 236. ν. 58. 319. ξ. 54. ο. 610. π. 690. ρ. 178. 322. σ. 371. φ. 215. ω. 140. 360. Odyss. α. 384. γ. 76. δ. 181. ζ. 188. λ. 139. μ. 38. ν. 323. 387. ξ. 273. 310. 348. 357. π. 197. τ. 396. υ. 202. ψ. 185. ω. 401. hymn. Ven. 152. Ab hac significatione non multum deflectit illa, qua id indicatur, quod ante alias res memorabile accidit, ita ut per *vel* aut *adeo* exprimi possit, ut Iliad. μ. 429., ubi poeta multos vulneratos esse dicit *διαμπερὲς ἀσπίδος αὐτῆς*. Et β. 597.

στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι ἀείδοιεν.

Hinc usurpatur etiam, quum quid quasi de industria sic, neque aliter se habet: quod nos *gleich* vel *gerade* dicimus: Iliad. ν. 614.

ἤτοι ὁ μὲν κόρυθος φάλον ἤλασεν ἱπποδασείης
ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν.

Non multum abludit illa ratio, quum hoc pronomen addita praepositione *σὺν* celeritatis significandae caussa usurpatur: Iliad. ι. 193.

ταφὼν δ' ἀνόρουσεν Ἀχιλλεὺς
αὐτῇ σὺν φόρμιγγι·

i. e. *statim, ut erat, cum cithara:* vide Schol. ad σ. 392. Sic etiam ξ. 498. Od. ν. 118. Idem quomodo sine ista praepositione dicatur, ostendi in dissertatione de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua p. 164. Exempla apud Homerum inveniuntur Iliad. ϑ. 24. 290. ι. 542. λ. 699.
47 υ. 482. ψ. 8. Odyss. ϑ. 186. ξ. 77. υ. 219. φ. 54. hymn. Merc. 69. 84. Euripides in Hippolyto v. 1202.

μάρπτει δὲ χερσὶν ἡνίας ἀπ' ἄντυγος,
αὐταῖσιν ἀρβύλαισιν ἁρμόσας πόδα·

simulatque in curru constitit, prehendit habenas. Huc pertinet usus adverbii *αὐτοῦ*, quod quum proprie *hoc ipso* in loco significet, saepius tamen de tempore dicitur, ut sit pene idem quod *αὐτίκα*. Nos *auf der Stelle*. Eamdem significationem infra in adverbiis *αὔτως* et *ὧδε* videbimus.

Alius apud Homerum usus nominis *αὐτὸς* ille est, quum significandae caritatis caussa aliquis ipse aliquid fecisse dicitur: Iliad. ε. 734. et ϑ. 385.

> *πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει,*
> *ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν.*

ο. 198. *οὓς τέκεν αὐτός.* Odyss. ξ. 141. *καί μ' ἔτρεφον αὐτοί.* Et huius quidem generis exempla exstant plurima.

IV.

Αὐτὸς sponte, solus, familiariter.

Congeri possent plures huiusmodi distinctiones, sed satis habeo duas adiicere, quae in primis memorabiles sunt. Quum enim, quae quis vi aut necessitate compulsus facit, non ipse facere videatur, interdum *αὐτὸς* idem significat quod *αὐτόματος*, *sponte.* Iliad. ρ. 254.

> *ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω.*

Sic etiam ψ. 591. Odyss. δ. 420. Deinde quoniam *αὐτὸς* saepe sic dicitur, ut ad communitatem coniunctionemque cum aliis hominibus respiciatur, interdum non multum interest, utrum aliquem ipsum, an solum intelligas, ut Iliad. ν. 729.

> *ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.*

υ. 310.

> *Ἐννοσίγαι' αὐτὸς σὺ μετὰ φρεσὶ σῇσι νόησον*
> *Αἰνείαν, ἤ κέν μιν ἐρύσσεαι, ἤ κεν ἐάσῃς.*

Odyss. ζ. 218. 48

> *ἀμφίπολοι, στῆθ' οὕτω ἀπόπροθεν, ὄφρ' ἐγὼ αὐτὸς*
> *ἅλμην ὤμοιϊν ἀπολούσομαι.*

φ. 193.

ἔπος τί κε μυθησαίμην·
ἦ αὐτὸς κεύθω;

Vt rem significantius exprimeret, οἶος addidit Od. ξ. 449.

ὃν ῥα συβώτης
αὐτὸς κτήσατο οἶος, ἀποιχομένοιο ἄνακτος.

Inde nonnumquam αὐτὸς etiam apertius est *solus*, ut Iliad. ϑ. 99.

Τυδείδης δ', αὐτός περ ἐών, προμάχοισιν ἐμίχϑη.

φ. 466.

ἀλλὰ τάχιστα
παυσώμεσϑα μάχης· οἱ δ' αὐτοὶ δηριαάσϑων.

Odyss. ο. 311.

κατὰ δὲ πτόλιν αὐτὸς ἀνάγκῃ
πλάγξομαι.

Servarunt hanc significationem etiam Attici in formula αὐτοί ἐσμεν, qua utuntur, qui se ut inter amicos et familiares liberius loqui indicant. Vide Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 230. Heusd. Spec. crit. in Plat. p. 30. Heindorf. ad Plat. Parmen. p. 220. Huius quoque usus prima vestigia apud Homerum reperiuntur. Odyss. η. 237. et τ. 104.

ξεῖνε, τὸ μέν σε πρῶτον ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.

τ. 509.

ξεῖνε, τὸ μέν σ' ἔτι τυτϑὸν ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.

Nos *im Vertrauen*. Hinc videri possit Odyss. ψ. 75. recepta lectio,

ἔϑελον δὲ σοὶ αὐτῇ
εἰπέμεν,

cedere debere alteri, αὐτή. At ne in dativo quidem est, quod reprehendi possit. Eodem modo haec intelligenda sunt, γ. 19.

λίσσεσϑαι δέ μιν αὐτόν, ὅπως νημερτέα εἴπῃ,

49 et 327.

λίσσεσϑαι δέ μιν αὐτόν, ἵνα νημερτὲς ἐνίσπῃ.

et ξ. 331. τ. 288.

ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν.

Simili ratione explicandus est locus difficillimus, Od. ϑ. 396., ubi quum Alcinous Phaeacum principes hortatus esset, ut dona Vlyssi conferrent, de Euryalo, qui iniquum se Vlyssi praebuerat, sic dicit:

Εὐρύαλος δέ ἑ αὐτὸν ἀρεσσάσϑω ἐπέεσσιν
καὶ δώρῳ.

Haeserunt hic viri docti, quum intelligerent, non de Vlysse ipso, sed de Euryalo ipso debere sermonem esse. Atque acute Stephanus Berglerus scribendum indicavit *αὐτός*. Verum obstat vulgatae lectionis sinceritas, munita eo, quod Aristarchus et Herodianus, ut Scholiastes apud Porsonum refert, accentum prioris pronominis inclinabant, probante etiam Apollonio in libro de Syntaxi p. 142, 2. Quod si hoc dici statuemus, *illum familiariter sibi conciliet*, recte stabit antiqua lectio.

V.

Οὐδ' αὐτὸς post μή, καὶ αὐτὸς post οὐ. Explicationis caussa additum. Explicatum per nomen.

Haec quidem attuli, ut ostenderem, quam variis distinctionibus inserviret pronomen *αὐτός*. Nunc quosdam eius usus pluribus persequar, postquam haec duo adiecero, unum, interdum in constructione huius pronominis figuram inveniri, quam *πρὸς τὸ νοούμενον* vocant grammatici. Iliad. ω. 569.

μή σε, γέρον, οὐδ' αὐτὸν ἐνὶ κλισίῃσιν ἐάσω,

ubi constructio postulabat *μηδ' αὐτόν*; et Od. η. 73.

οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσϑλοῦ,

ubi dicendum erat *οὐδ' αὐτή*. Alterum, ut interdum *αὐτὸς* explicandi caussa post nomen ipsum adiicitur, veluti in hymno Cereris v. 1. 50

Δήμητρ' ἠΰκομον, σεμνὴν ϑεὸν, ἄρχομ' ἀείδειν,
αὐτὴν, ἠδὲ ϑύγατρα τανύσφυρον,

(vide etiam v. 493.) ita nonnumquam praegredi *αὐτός*, et nomen explicationis caussa subiici: Iliad. α. 143.

> *ἂν δ' αὐτήν, Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον,*
> *βήσομεν.*

Ita interpungi postulat usus epicorum hic et alibi, ut Odyss. τ. 429.

> *βάν ῥ' ἴμεν ἐς θήρην, ἠμὲν κύνες, ἠδὲ καὶ αὐτοί,*
> *υἱέες Αὐτολύκου.*

Hesiodus in Scuto Herc. 192.

> *ἐν δὲ καὶ αὐτός, ἐναρφόρος οὔλιος Ἄρης.*

Vbi tamen verbum medium est inter pronomen et nomen, aut nulla admittenda est interpunctio, aut ante verbum ponenda, ut Iliad. ϑ. 442.

> *αὐτὸς δέ, χρύσειον ἐπὶ θρόνον εὐρύοπα Ζεὺς*
> *ἕζετο.*

Odyss. ε. 230. κ. 543.

> *αὐτὴ δ', ἀργυφέον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη.*

Hic quidem ne quis ante *νύμφη* interpungat, etiam rhythmica observatio obstat, de qua vide Porsonum in Postscripto ad Odyss. β. 77.

VI.

Αὐτὸς, hic.

Sed veniendum est ad illos usus pronominis *αὐτὸς*, de quibus explicatius me dicturum esse promisi. Ac primo observandum est, Graecos, maximeque Homerum, saepe sic uti isto pronomine, ut Latino sermone per pronomina *hic* vel *ille* exprimi possit. Nos mira quadam proprietate, quum *αὐτὸς* simplicis pronominis loco positum per *derselbe* reddamus, aucta tamen vi huius vocabuli non hoc nomine, sed altero, *er*, *sie*, uti cogimur, ideoque *αὐτὸ* cum vi quadam positum quomodo Germanice dicamus, non habemus, quum neque *dasselbe* isto

51

significatu dici possit, *es* autem ubique encliticum sit. Sed ut ad Graecos redeam, aliquot istius usus exempla sunt apud Homerum. Iliad. *γ*. 282.

αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα·
ἡμεῖς δ' ἐν νηέσσι νεώμεθα ποντοπόροισιν.

η. 284.

Ἰδαῖ', Ἕκτορι ταῦτα κελεύετε μυθήσασθαι·
αὐτὸς γὰρ χάρμῃ προκαλέσσατο πάντας ἀρίστους.

ϑ. 242.

αὐτοὺς δήπερ ἔασον ὑπεκπροφυγεῖν κακότητα.

ι. 45.

ἀλλ' ἄλλοι μενέουσι καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
εἰςόκε περ Τροίην ἐκπέρσομεν· εἰ δὲ καὶ αὐτοί,
φευγόντων.

129. (vide etiam 271.)

ἃς, ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτός,
ἐξελόμην.

682.

αὐτὸς δ' ἠπείλησεν, ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφιν
νῆας ἐϋσσέλμους ἅλαδ' ἑλκέμεν ἀμφιελίσσας.

ξ. 474.

αὐτῷ γὰρ γενεὴν ἄγχιστα ἐῴκει.

φ. 490.

δεξιτερῇ δ' ἄρ' ἀπ' ὤμων αἴνυτο τόξα·
αὐτοῖσιν δ' ἄρ' ἔθεινε παρ' οὔατα μειδιόωσα
ἐντροπαλιζομένην.

600.

αὐτῷ γὰρ Ἑκάεργος, Ἀγήνορι πάντα ἐοικώς,
ἔστη πρόσθε ποδῶν.

Odyss. *δ*. 444.

ἀλλ' αὐτὴ ἐσάωσε.

ε. 198. 52

αὐτὴ δ' ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο.

Interdum sic etiam Attici. Aeschylus Prom. 440.

ἀλλ' αὐτὰ σιγῶ.

Vide Heindorfium ad Plat. Lys. p. 4.

VII.

Αὐτὸς omisso pronomine personali cuiuscumque personae.

Liberius in hoc genere dominata est lingua Graecorum, quum etiam de prima ac secunda persona nomine αὐτὸς usa est, omisso personae pronomine: Iliad. ν. **252**.

οὐδέ τοι αὐτὸς
ἦσθαι ἐνὶ κλισίῃσι λιλαίομαι.

Sic etiam ξ. **276**. τ. **89**. Odyss. ν. **422**. Et pro *me*. Iliad. ω. **503**.

ἀλλ᾽ αἰδεῖο θεοὺς, Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ᾽ ἐλέησον.

Sic etiam **430**. *Nos*, η. **331**.

αὐτοὶ δ᾽ ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρούς.

Sic ο. **296**. ρ. **634**. Od. ν. **365**. ξ. **415**. χ. **165**. *Tu*, Iliad. ν. **448**.

δαιμόνι᾽, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐναντίος ἵστασ᾽ ἐμεῖο.

Sic α. **133** χ. **8**. ω. **218**. Odyss. β. **356**. θ. **443**. hymn. Apoll. **190**. *Te*, Odyss. ξ. **389**.

ἀλλὰ Δία ξένιον δείσας, αὐτόν τ᾽ ἐλεαίρων.

Vos, Iliad. ρ. **332**.

ἀλλ᾽ αὐτοὶ τρεῖτ᾽ ἄσπετον.

Sic Od. ν. **39**. hymn. Apoll. **337**. Falleretur tamen, qui in huiusmodi locis nomen αὐτὸς simpliciter pro personae pronomine positum putaret. Nam, ut ait Apollonius de syntaxi p. **145**., συνηθέστερόν πως ὁ ποιητὴς ἐλλειπτικός ἐστι τῶν προκειμένων μορίων, ἀρκούμενος διὰ τῆς συντάξεως τοῦ λόγου τὸ λοιπὸν ἐμφανίσαι. Itaque potius omissum esse pronomen putandum est, idque non pauci confirmant loci. Iliad. ρ. **162**.

53 αἶψά κεν Ἀργεῖοι Σαρπηδόνος ἔντεα καλὰ
λύσειαν, καί κ᾽ αὐτὸν ἀγοίμεθα Ἴλιον εἴσω,

pro καί κέ μιν αὐτόν. Sic quod Iliad. ρ. **634**. est,

ἀλλ᾽ ἄγετ᾽, αὐτοί περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην,

versu 712. ita dicitur:

ἡμεῖς δ᾽ αὐτοί περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην.

Ita Od. β. 374.

πρίν γ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται,
ἢ αὐτὴν ποθέσαι·

quae verba quum hic de tertia persona intelligantur, in quarto libro v. 748. sic traducta sunt ad secundam, ut legatur *ἢ σ᾽ αὐτήν*: quod quidem, quum neque personarum ulla oppositio sit, et prior locus superfluum esse personae pronomen monstret, inclinato accentu *ἤ σ᾽ αὐτὴν* scribendum puto.

VIII.

Αὐτὸς reciprocum, et pro eo pronomen personale. Ambo iuncta. Μὶν pro ἕ.

Sed dicendum est de hac re explicatius. Ac recte a grammaticis observatum est, ubi pronomen et verbum de eadem persona intelligantur, pronomen non esse encliticum; itaque quum et *σὲ γὰρ ἅζομαι* et *σὲ γὰρ αὐτὴν παντὶ ἐΐσκεις* dixerit Homerus, alterum inverti posse, *ἅζομαί σε*, alterum non posse inverti, nec dici recte *ἐΐσκεις σε παντί*. Vide Apollonium p. 143. Quamquam Homerus, liberior in huiusmodi rebus, Iliad. υ. 361. dixit,

οὔ μέ τί φημι μεθησέμεν.

Latini quidem et Germani etiam in hac constructione enclitico utuntur. Graeci vero, quum, quae huius gentis subtilitas est, si actio, quae verbo indicatur, ad eum ipsum rediret, de quo pronomen est, id, tamquam quod non de more fieret, recto accentu notare consuevissent: factum est, ut postea, etiam ubi nulla distinctione opus esset, alterum pronomen *αὐτὸς* adiicerent: 54

ἐγὼ δ᾽ ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω·

vel *πόλιν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ*: de qua formula v. Bastii epist. crit. p. 212. ed. Lips. Et recentiores quidem sic semper

loquuntur. Exstant autem huius quoque usus prima vestigia apud Homerum, qui quidem quum compositis pronominibus, *ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ,* ut grammatici adnotarunt, nusquam utatur, nunc solum ponit personae pronomen, ut Iliad. *δ.* **497.** (et *o.* **574.**)

ἀμφὶ ἓ παπτήνας.

ε. **800.**

ἦ ὀλίγον οἷ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς·

κ. **378.**

ζωγρεῖτ'· αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι·

ν. **269.**

οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς·

Odyss. *θ.* **221.**

τῶν δ' ἄλλων ἐμέ φημι πολὺ προφερέστερον εἶναι·

(quos locos attigit Apollonius p. **142**, 3. **143**, **27**. **144**, 3. **147**, **12**. **150**, **13**.) nunc solo utitur pronomine *αὐτός*: atque inde quum utrumque pronomen iungit, non uno id modo facere solet. Ac solo *αὐτὸς* utitur in his locis: Iliad. *ι.* **341.**

ἐπεὶ ὅςτις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται,

suam: v. Apollon, p. **144**, **32.** Et Odyss. *ξ.* **51.** *αὐτοῦ ἐνέυναιον.* Iliad. *μ.* **103.**

οἳ γάρ οἱ εἴσαντο διακριδὸν εἶναι ἄριστοι
τῶν ἄλλων μετά γ' αὐτόν,

post se. Sic etiam *γ.* **90.** Et Odyss. *β.* **125.**

μέγα μὲν κλέος αὐτῇ
ποιεῖται,

sibi: de quo loco disseruit Apollonius p. **146.** Deinde *δ.* **247.**

55 *ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκεν,*

se. *κ.* **27.**

αὐτῶν γὰρ ἀπωλόμεθ' ἀφραδίῃσιν,

nostris. *ω.* **269.**

αὐτὰρ ἔφασκεν
Λαέρτην Ἀρκεισιάδην πατέρ' ἔμμεναι αὐτῷ,

sibi. Ambo autem pronomina ubi iunguntur, fere semper 55 praecedit pronomen personale: *ἐμέθεν αὐτῆς* Odyss. *τ*. 93. *σέο αὐτοῦ* *λ*. 369. *ἕο αὐτοῦ* Iliad. *τ*. 384. Od. *ϑ*. 210. *ἐμοὶ αὐτῷ* *ι*. 421. *ἑοῖ αὐτῷ* Iliad. *ν*. 494. Odyss. *δ*. 38. *οἷ αὐτῷ* Iliad. *κ*. 307. *π*. 47. Odyss. *ο*. 285. *φ*. 304. Sic etiam *χ*. 214. collocandus accentus:

Μέντορ, μή σ' ἐπέεσσι παραιπεπίθῃσιν Ὀδυσσεὺς
μνηστήρεσσι μάχεσθαι, ἀμυνέμεναι δὲ οἷ αὐτῷ,

diserte monentibus Apollonio p. 147, 3. et Scholiasta Ven. ad Iliad. *ο*. 226. Etiam in hymno Apollinis v. 275. recte scripsisse mihi videor,

ὡς εἰποῦσ', Ἑκάτου πέπιθεν φρένας, ὄφρα οἷ αὐτῇ
Τιλφούσσῃ κλέος εἴη ἐπὶ χθονὶ, μηδ' Ἑκάτοιο.

Deinde *ἐμὲ αὐτὸν* Iliad. *α*. 271. *ἑὲ αὐτὸν* *υ*. 171. *ἓ αὐτὸν* Od. *ρ*. 387.

πτωχὸν δ' οὐκ ἄν τις καλέοι, τρύξοντα ἓ αὐτόν·

Sic enim scribendus accentus, ut eodem illo loco monuit Apollonius. Porro *ἓ αὐτὴν* Iliad. *ξ*. 162. *ρ*. 551. *σφῶν αὐτῶν* *μ*. 155. *τ*. 302. *σφίσιν αὐτοῖς* Od. *δ*. 683. eodemque modo scribendum in his *υ*. 213.

τὰς δ' ἄλλοι με κέλονται ἀγινέμεναι σφίσιν αὐτοῖς
ἔδμεναι.

ἡμέας αὐτοὺς Iliad. *ϑ*. 529. *σφέας αὐτοὺς* *μ*. 43. 86. *ν*. 152. Od. *μ*. 225. Ad eamdem loquendi rationem pertinent *ἑῷ αὐτοῦ* Iliad. *κ*. 204. et alibi saepe; *νωΐτερον αὐτῶν* *ο*. 39. *αὐτῶν σφετέρῃσιν* Od. *α*. 7. Mirifice in hoc genere decipi se passus est Buttmannus in quinta ed. Gr. gramm. p. 572. *σ' αὐτοῦ* Od. *ξ*. 185. et *σ' αὐτῆς* Iliad. *ζ*. 400. per crasin prorsus inauditam pro *σέο αὐτοῦ, σέο αὐτῆς* dicta putans. Ordine autem inverso Od. 56 *ρ*. 595.

αὐτὸν μέν σε πρῶτα σάω,

recte inclinato accentu, quia pronomen *σέ*, ita postpositum, explicationi tantum inservit. Similis ratio est huius

loci, qui solus est, in quo *μὶν* pro *ἕ* dictum inveniatur, *δ*. 244.

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας.

de quo loco vide Apollon. p. 144, 32. 145, 27.

IX.

Ἐγὼ αὐτός, αὐτὸς ἐγώ.

Haec quidem de his locis, in quibus pronomen *αὐτὸς* reciprocam significationem habet, eiusdemque personae est, cuius verbum. Media quaedam ratio inter hanc et illam, quum pronomen alius personae quam verbum est, in nominativo obtinet. In hoc genere si personae distinguuntur, praecedit pronomen personale: Iliad. *χ*. 428.

μήτηρ θ', ἥ μιν ἔτικτε δυςάμμορος, ἠδ' ἐγὼ αὐτός.

Sic *ψ*. 415. 579. Odyss. *β*. 194. *ζ*. 126. *θ*. 391. *σύ γ' αὐτὴ τ*. 121. Sin oppositio non tam personarum est, quam quod ipse aliquis, non cum aliis, aut per alios, aut quocumque modo talia mente concipiantur, aliquid faciat, *αὐτὸς* priorem locum tenet. Iliad. *ο*. 234.

κεῖθεν δ' αὐτὸς ἐγὼ φράσομαι ἔργον τε ἔπος τε.

Sic *π*. 239. *ψ*. 244. Odyss. *θ*. 356 *λ*. 508. *τ*. 501. *υ*. 263. *φ*. 113. 207. *ψ*. 357. *ω*. 321. 445. *αὐτὸς ἔγωγε* hymn. Merc. 406. *αὐτὴ ἐγὼ* Od. *τ*. 255. *αὐτὴ σὺ δ*. 395. *αὐτὸς οὗτος* h. Merc. 346.

Alia denique ratio est illorum locorum, in quibus pronomen de alia persona est, quam de qua verbum intelligitur. A qua disputatione segregandi sunt loci, in quibus singula pronomina ad alia verba referuntur, ut Iliad. *κ*. 242.

57 *εἰ μὲν δὴ ἕταρόν γε κελεύετέ μ' αὐτὸν ἑλέσθαι,*

quem locum attigit Apollonius p. 144, 25. Sed quum utrumque pronomen ad unum verbum refertur, pronomen personale, ubi personarum distinctione opus est, recto accentu praecedit: Iliad. *ε*. 63.

αἵ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
οἷ τ' αὐτῷ·

de quo loco disputat Apollonius p. 142, 4. 148. seq. ο. 226.

ἀλλὰ τόδ' ἡμὲν ἐμοὶ πολὺ κέρδιον, ἠδὲ οἷ αὐτῷ·

v. schol. et Apollon. p. 147. Sic *ἐμεῦ αὐτῆς* Od. τ. 93. *σεῦ αὐτῆς* Iliad. ξ. 327. *σεῖο αὐτῆς* σ. 358. *τοῦδ' αὐτοῦ* Odyss. ξ. 161. τ. 306. *ἐμοὶ αὐτῇ* Iliad. χ. 451. Od. ε. 188. *σοὶ αὐτῷ* Iliad. γ. 51. ν. 817. ο. 231. τ. 416. ψ. 80. Od. ο. 514. h. Merc. 458. *τῷ αὐτῷ* Od. δ. 107. *ἐμὲ αὐτὸν* hymn. Ven. 104. *σὲ αὐτὸν* Iliad. ν. 273. Nec dubium videtur, quin etiam Od. κ. 284.

οὐδὲ σέ φημι
αὐτὸν νοστήσειν

scribendum sit. Quum vero aut nulla est personarum distinctio, aut ei distinctioni ipsum nomen *αὐτὸς* inservit, pronomen encliticum nunc post *αὐτὸς* collocatur, ut *αὐτῷ μοι* Iliad. ε. 459. *αὐτῷ τοι* ι. 18. Od. χ. 345. *αὐτῷ οἱ* β. 190. *αὐτόν με* ρ. 9. *αὐτόν σε* 81. 494. ω. 249. *αὐτήν μιν* Iliad. λ. 117. nunc etiam priorem locum tenet, ut *τοι αὐτῷ* Iliad. ι. 42. *τοι αὐτῇ* Od. ζ. 35. *οἱ αὐτῷ* δ. 65. *οἱ αὐτῇ* Iliad. ι. 324. *μ' αὐτὸν* ω. 198. Od. υ. 315. *σε αὐτὸν* Iliad. κ. 388. Od. ι. 406. Caeterum hic illic in hoc genere accentus in dubitationem venit. Sic Iliad ρ. 687. scribendum videtur:

ἤδη μέν σε καὶ αὐτὸν ὀΐομαι εἰσορόωντα
γιγνώσκειν,

non *ἤδη μὲν σέ*. Neque recte legitur *σοι αὐτῷ* Iliad. ι. 521. ψ. 342. ω. 310. Odyss. δ. 601. ε. 178. ζ. 39. 60.58 κ. 300. ρ. 583., quod vel formae *σοὶ* indicio, quae aliter *τοὶ* esse deberet, *σοὶ αὐτῷ* scribendum, quemadmodum legitur Iliad. τ. 178. ψ. 80. et *ἐμοὶ αὐτῷ* ν. 73. Falleretur, qui inclinationem accentus Iliad. ω. 310. Od. ε.187. κ. 300. eo tueri vellet, quod in repetitione horum versuum, Iliad. ω. 292. *ὅς τε οἱ αὐτῷ*, diserte testantibus grammaticis, et Od. ε. 179. κ. 344. *μή τί μοι αὐτῷ* legitur: nam

hic oppositio non est in pronomine personali, sed in nomine *αὐτός*, ut saepius, v. c. Iliad. *ε*. 458.

> *Κύπριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χεῖρ᾽ ἐπὶ καρπῷ·*
> *αὐτὰρ ἔπειτ᾽ αὐτῷ μοι ἐπέσσυτο.*

Contrario modo aliquando etiam pronomen personale solum oppositionem continet, ideoque rectum habet accentum, ut Od. *τ*. 196.

> *καὶ οἷ, τοῖς τ᾽ ἄλλοις ἑτάροις, οἳ ἅμ᾽ αὐτῷ ἕποντο,*
> *δημόθεν ἄλφιτα δῶκα.*

Illud non possum praeterire, Schaeferum, virum in rebus grammaticis accuratissimum, graviter tamen errasse, quum in Tryphiodoro p. 18. v. 405. ederet:

> *ὡς ὤφελέν τις*
> *Ἀργείων ἐπὶ σοῖσι γόοις ὀλέσαι μὲ καὶ αὐτήν,*

quasi umquam *μὲ* recto accentu dici potuerit: v. eum ad v. 408. Nemo enim huc trahi volet illud temere vexatum *ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ*, et si quae similia reperiuntur.

X.

Nec pronomen personale, neque αὐτὸς abundare.

Sed haec duorum pronominum consociatio monet me, ut errare ostendam eos, qui alterum horum pronominum nonnumquam abundare apud Homerum putant. Fuerunt quidem iam veteres grammatici in hac opinione, in iisque Apollonius Dyscolus, vir excellentis iudicii, et nihil non 59 diligenter ponderare solitus. Et hic quidem p. 145. sic censet, pronomen personale abundare. At neque in his locis, quos ipse affert, neque in caeteris, quos quis pro hac sententia afferre possit, *αὐτός* simplicis pronominis loco esse, sed aliam quamdam vim habere intelligetur, si quis accurate hos locos considerare volet. Notavi autem hosce: Iliad *ι*. 470.

> *εἰνάνυχες δέ μοι ἀμφ᾽ αὐτῷ παρὰ νύκτας ἴαυον·*

cui loco simillimus est hic, Od. λ. 371.

εἴ τινας ἀντιθέων ἑτάρων ἴδες, οἵ τοι ἅμ' αὐτῷ
Ἴλιον εἰς ἅμ' ἕποντο.

In utroque loco pronomen encliticum ostendit, praepositionem cum solo nomine *αὐτῷ* construendam esse, quasi dicas, *vigiles mihi circa me ipsum aderant; qui tibi comites tecum ipso profecti erant.* Nam ut in altero loco haec subest sententia, *tu et ipse in illa expeditione fuisti, et socios tecum habuisti*, ita in priore loco hoc dicit: *vigiles mihi accubabant, ita ut ipse in medio eorum essem.* Iliad. τ. 178.

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ φρεσὶν ἵλαος ἔστω·

i. e. *tu etiam ultro te facilem praebe.* Eodem modo Od. ε. 190.

οὐδέ μοι αὐτῇ
θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων·

ultro misericors sum. Iliad. τ. 192.

σοὶ δ' αὐτῷ τόδ' ἐγὼν ἐπιτέλλομαι.

Hic primo adspectu, quia praecessit, *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς μιμνέτω, μίμνετε δ' ἄλλοι πάντες*, dicendum fuisse videbitur *σοὶ δὲ* sine *αὐτῷ*. Verum quum Agamemnon et in principio alloquatur Vlyssem, et totam orationem ad hunc convertat, recte se habere *αὐτῷ* intelligitur, ut quod relationem ad superiora contineat, hoc modo: *recte dixisti: itaque tu ipse dona Achilli apportes, caeteri hic maneant.* Iliad. φ. 243.

ἡ δ' ἐκ ῥιζῶν ἐριποῦσα 60
κρημνὸν ἅπαντα δίωσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα
ὄζοισιν πυκινοῖσι, γεφύρωσεν δέ μιν αὐτόν.

Ineptissima sunt, quae ad hunc locum Eustathius profert p. 1235, 22. Hoc dicit poeta: *arbor eruta et undas Scamandri ramis obtexit, et ipsum tamquam ponte pervium reddidit.* Eodem in libro v. 318.

κὰδ δέ μιν αὐτὸν
εἰλύσω ψαμάθοισιν, ἅλις χεράδος περιχεύας,
μυρίον·

sic enim haec legi atque interpungi suadet usus poetae, atque ita etiam Apollonio placuisse puto, qui p. 145, 32. ut ostenderet *μὶν* abundare, nihil amplius attulit, quam *κὰδ δέ μιν αὐτὸν εἰλύσω ψαμάθοισιν.* Ne hic quidem quidquam abundat. Nam hoc dicit: *et arma eius obruam limo, et ipsum.* Iliad. *χ.* 82.

> *Ἕκτορ, τέκνον ἐμὸν, τάδε τ' αἴδεο καί μ' ἐλέησον αὐτήν,*

et mammae, quae te nutriit, et mei ipsius miserere. Et 346.

> *αἲ γάρ πως αὐτόν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη*
> *ὤμ' ἀποταμνόμενον κρέα ἔδμεναι.*

Oraverat Hector, ne canibus se praedam fieri sineret Achilles: itaque hic respondet, *utinam ego ipse te canum more dilaniare possem.* Et 351.

> *οὐδ' εἴ κέν σ' αὐτὸν χρυσῷ ἐρύσασθαι ἀνώγοι*
> *Δαρδανίδης Πρίαμος.*

nec si multo maiorem pro te mercedem offerrent, *nec si tuum ipsius pondus auro aequari iuberet Priamus.* *ψ.* 311.

> *οὐδὲ μὲν αὐτοὶ*
> *πλείονα ἴσασιν σέθεν αὐτοῦ μητίσασθαι.*

Hi, inquit, *qui tecum certaturi sunt, equos regere non* 61 *rectius te ipso callent.* *ω.* 472. *ἐν δέ μιν αὐτὸν εὗρε.* Volebat dicere, *invenit eum, ipsum, et duos sodales:* sed negligentius pergit:

> *ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο, τὼ δὲ δύ' οἴω,*
> *ἥρως Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος, ὄζος Ἄρηος,*
> *ποίπνυον παρεόντε·*

haec, non *τῷ δὲ δύ' οἴω,* usui poetae convenientior lectio est. Similis ratio est horum, versu 729.

> *ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅστε μιν αὐτὴν*
> *ῥύσκευ, ἔχες δ' ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα·*

hoc est *αὐτήν, καὶ ἀλόχους, τέκνα τε,* et versu 732.

σὺ δ' αὖ, τέκος, ἢ ἐμοὶ αὐτῇ
ἕψεαι,

quia sequitur: *ἤ τις Ἀχαιῶν ῥίψει ἀπὸ πύργου.* 608.

φῆ δοιὼ τεκέειν, ἡ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς.

Hoc in loco interpretationi inservit *αὐτή*, quia ambiguum est *ἡ δέ. Niobe Latonam duos peperisse aiebat, se ipsam autem multos.* Odyss. *α.* 276.

σοὶ δ' αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι.

Monuerat Minerva Telemachum, quid procis, quid Penelopa fieri deberet: tum addit, *nunc te ipsum quid facere oporteat, dicam.* Quamquam hoc etiam sic intelligi potest: *tibi soli, ut amico, dicam:* cuius generis supra allata sunt exempla. Deinde 305.

σοὶ δ' αὐτῷ μελέτω, καὶ ἐμῶν ἐμπάζεο μύθων,

tu vero et me audi, et ipse prospice. β. 33.

ἐσθλός μοι δοκεῖ εἶναι ὀνήμενος· εἴθε οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ἀγαθὸν τελέσειεν, ὅ τι φρεσὶν ᾗσι μενοινᾷ.

bonus est: ideoque et ipsi bene res succedat. γ. 49.

ἀλλὰ νεώτερός ἐστιν, ὁμηλικίη δ' ἐμοὶ αὐτῷ,

mihi ipsi, qui haec dico. δ. 117.

μερμήριξε δ' ἔπειτα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἠέ μιν αὐτὸν πατρὸς ἐάσειε μνησθῆναι,
ἢ πρῶτ' ἐξερέοιτο.

Fallitur Apollonius p. 145, 32. *μὶν* abundare putans. Sensus est: *deliberabat, utrum exspectaret, dum ille* 62 *ipse*, i. e. sponte, *patris mentionem faceret, an prius eum interrogaret.* 177.

οἳ περιναιετάουσιν, ἀνάσσονται δ' ἐμοὶ αὐτῷ·

respicit ad ante dicta: *urbem ei dedissem earum, quibus ego ipse impero.* 601.

ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα·

tibi ipsi, qui eos mihi dare volebas. 653.

ἐν δ' ἀρχὸν ἐγὼ βαίνοντ' ἐνόησα,
Μέντορα, ἠὲ θεόν· τῷ δ' αὐτῷ πάντα ἐῴκει.

illi ipsi, Mentori, non deo. 667.

ἀλλά οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ὀλέσειε βίην, πρὶν ἡμῖν πῆμα φυτεῦσαι,

sic, non ἀλλά οἷ αὐτῷ, scribebant veteres grammatici, et recte quidem: v. schol. Ven. ad Iliad. ω. 292. Apollon. p. 141, 32. Herodianum p. 270. in ed. Ald. a. 1512. Characem fol. 228. b. *hic*, inquit, *prius*, *quam nobis perniciem paret*, *ipse pereat*. Deinde pergit:

ἀλλ' ἄγε μοι δότε νῆα θοὴν καὶ εἴκοσ' ἑταίρους,
ὄφρα μιν αὐτὸν ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω·

ut ei, qui nobis malum machinatur, ipsi insidias struam. ε. 178.

εἰ μή μοι τλαίης γε, θεά, μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
μή τί μοι αὐτῷ πῆμα κακὸν βουλευσέμεν ἄλλο.

Eadem verba repetuntur 187. Et hic quidem negari non potest, et αὐτῷ et ἄλλο abundare. Verum quod saepius in Homerica poesi factum videmus, hi versus ex alio loco, in quo omnia recte se habent, adsciti sunt, κ. 299. et 343. Ibi enim id agitur, ut ne Vlysses ipse quoque, ut socii eius, humana forma exuatur, aliove aliquo afficiatur malo. ζ. 277.

ποῦ δέ μιν εὗρε; πόσις νύ οἱ ἔσσεται αὐτῇ;

63 Inest hic aliquid malignitatis, quasi Nausicaa sibimet ipsi potius, quam aliis, tam pulcrum hospitem invenerit. λ. 134. (et ψ. 281.)

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται,

quia sequitur:

ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται.

ν. 189.

πέρι γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν,
Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός, ὄφρα μιν αὐτὸν

ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιτο,
μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη, ἀστοί τε φίλοι τε,
πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτῖσαι.

Negligentius composita oratio hunc sensum habet: *quo neque ipse Ulysses patriam agnosceret, neque, si a Minerva non esset admonitus, agnosceretur ab suis citius, quam par esset.* ο. 167.

φράζεο δή, Μενέλαε διοτρεφὲς, ὄρχαμε λαῶν,
ἢ νῶϊν τόδ' ἔφηνε θεὸς τέρας, ἦε σοὶ αὐτῷ.

tibi ipsi, ante cuius aedes visa est aquila. 371.

ἀλλά μοι αὐτῷ
ἔργον ἀέξουσιν μάκαρες θεοί,

quia statim additurus est,

ἐκ δ' ἄρα δεσποίνης οὐ μείλιχον ἔστιν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἔπος, οὔτε τι ἔργον.

π. 170.

οὐδ' ἐγὼ αὐτὴ
δηρὸν ἄπο σφῶϊν ἔσομαι·

ne ego quidem ipsa diu abero. Denique de illo exemplo, quod ex hymno Merc. 239. proferri posset, exposui in praefatione ad istos hymnos p. 62. sed satis dictum est de prima significatione nominis *αὐτός*, eiusque variis usibus.

XI. 64

Αὐτὸς pronomen relativum. Ὅς et ἵ. Αὐτὸν encliticum.

Proximum locum illa tenet significatio, qua hoc pronomen minore cum vi pronunciatum pro pronomine relativo usurpatur, ut sit, quod Latini per *is*, Germani per *derselbe*, vel per enclitica *er*, *sie*, *es*, significant. Nam quum *αὐτός*, ut supra ostendimus, proprie indicet hunc, de quo sermo est, facile intelligitur, duobus modis hoc fieri posse, uno, ut hoc significemus, *hic*, *neque alius*, de qua significatione explicatum est; altero, ut simpliciter, omissa exclusione aliarum rerum, eum notemus, de

quo reliqua oratio est. Atque haec quidem significatio nihil habet, quod commemoratione dignum sit, praeter haec duo: primum, non inveniri eam in nominativo: quod non est mirum, quum Graeci ita abstinuerint usu pronominis relativi in tertiae personae nominativo, ut etiam quae propria sunt tertiae personae pronomina, nominativos ὅς et ἵ prorsus amiserint: quorum ἵ ab Apollonio in Excerptis p. 547. (422. B.) a scholiasta Ven. et Vict. ad Iliad. χ. 410. ab Etym. M. p. 588, 11. 615, 7. a Constantino Lasc. de pronominibus, quem iam Maittairius de dialect. p. 262. (196. B.) citavit, commemoratur, non alia tamen auctoritate munitum, quam uno Sophoclis loco ex Amphiarao, qui locus et apud Apollonium et in scholiis Vict. apud Heynium ad Hom. vol. VIII. p. 332. tam vitiose scriptus legitur, ut, nisi ex melioribus libris, non videatur corrigi posse. Sylburgius in indice ad Etym. M. in v. ἵ etiam ἵς addit, idemque facit Heynius ad Hom. vol. VI. p. 629. nescio quo auctore: quamquam illud video, pro ea forma Latinum *is* afferri posse.

Alterum hoc est. Accusativum αὐτὸν inclinare ac-
65 centum contendunt grammatici, Apollonius de syntaxi p. 140. quem cum Herodiano hac de re auctorem adhibet scholiastes Ven. ad Iliad. μ. 204. tum Charax fol. 228. et Aelius Dionysius fol. 233. a. Graviter vero errat Neophytus, qui in commentariis ad quartum librum Theodori Gazae p. 822, 12. Apollonium ita intellexit, ac si is de accusativo σφέας loqueretur. Quae de accusativo αὐτὸν tradunt grammatici, etiam in accusativos generis neutrius αὐτὸ et αὐτὰ quadrant, ut hi quoque casus inclinasse accentum videantur. In Homero quidem Fr. Aug. Wolfius semel tantum istam inclinationem admisit, Iliad. μ. 204. quae, si ego recte interpretor grammaticos, locum habet etiam Iliad. γ. 25. ο. 43. σ. 269. Od. δ. 110. ϑ. 347. ι. 205. ϱ. 367. φ. 196. hymn. Merc. 359. Nam quod illi de solo isto loco, qui in duodecimo Iliadis libro est, monuerunt, id propterea factum puto, quod hic solus locus alium sensum praebet, si inclinatur accentus, quam si non inclinatur. Quamquam dubitari potest, an apud Home-

rum saltem nusquam encliticum sit *αὐτόν,* quum is hoc pronomen etiam in initio versus posuerit, qui locus inclinationi accentus contrarius est. Intelligent periti, cur, quum alii loci desint, etiam talibus hoc locis probari existimem, in quibus accentus etiam propter alias caussas inclinationem repellit. Sic igitur Odyss. *π.* 369.

ἵνα φθίσωμεν ἑλόντες
αὐτόν.

Iliad. *ξ.* 456.

καί μιν ὀΐω
αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἄϊδος εἴσω.

et in hymno Apoll. 345.

οὔτε πότ᾽ ἐς θῶκον πολυδαίδαλον, ὡς τὸ πάρος περ
αὐτῷ ἐφεζομένη πυκινὰς φραζέσκετο βουλάς.

Minime omnium autem accentum inclinandum puto in illo 66 ipso loco, ad quem de ea re praecipiunt grammatici, Iliad. *μ.* 204. Verba poetae haec sunt:

ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε, περησέμεναι μεμαῶσιν,
αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπ᾽ ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,
φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
ζωόν, ἔτ᾽ ἀσπαίροντα· καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
κόψε γάρ αὐτον ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρήν,
ἰδνωθεὶς ὀπίσω.

Ita accentum scribebant grammatici, eo fine, ut pronomen e participio pendere ac de dracone accipiendum esse intelligeretur: *draco vulneravit aquilam, a qua ipse tenebatur:* vide Wolfii praefationem p. 50. At hoc poeta sic opinor dicturus fuisset, *κόψεν ἔχοντα ἓ αὐτόν,* quemadmodum loquitur Odyss. *ρ.* 387.

πτωχὸν δ᾽ οὐκ ἄν τις καλέοι, τρύξοντα ἓ αὐτόν.

Quod quum non fecerit, *αὐτὸν* recto accentu esse, ipsamque aquilam, quae draconem tenebat, intelligi debere arbitror. Atque ut hic *αὐτὸν ἔχοντα* dicit, quod recentio-

res dicturi fuissent *αὐτὸν τὸν ἔχοντα*, eodem modo loquutus est Od. *ι*. 257.

δεισάντων φθόγγον τε βαρύν, αὐτόν τε πέλωρον

XII.

Αὐτὸς idem.

Venio nunc ad illam significationem nominis *αὐτός*, quae est *idem*. Atque etsi valde diversa sunt *idem* et *ipse*, quum per nomen *idem* aequiparetur aliquid alii rei, exclusis reliquis rebus; per nomen *ipse* autem aequiparetur sibi, seiunctis aliis: tamen quoniam utriusque nominis opposita, ad quae plerumque respicitur, *diversus* et *alius*, simillima sunt, obtinuit apud Graecos, ut alius vocabuli penuria *αὐτὸς* etiam *idem* significaret. Sed illud, quod 67 indicavi discrimen, paullo clarius explicandum est. Quod Horatius dicit, *informes hiemes reducit Iuppiter: idem submovet*, hanc vim habet: qui hiemes reducit, Iuppiter est; qui eas submovet, Iuppiter est: ideoque qui submovet, non est diversus ab eo, qui reducit. Non potuisset dici, *Iuppiter idem submovet*, nisi altera praecessisset sententia, *Iuppiter reducit hiemes*: quia nomen *idem* indicat, hunc, de quo sermo est, comparari cum quopiam alio. Hoc vero, *Iuppiter ipse submovet hiemes*, stare per se potest, quia sic Iuppiter sibi ipsi comparatur, neque aliud his verbis continetur, quam hoc, *Iuppiter, hic, non alius, submovet hiemes.* Saepe vero nihil refert, utrum *ipse*, an *idem*, eorumque opposita adhibeas. Vt, *eadem via redii, non diversa: illa ipsa via redii, non alia.* Hinc ergo Graeci *αὐτὸς* etiam pro *idem* usurpare coeperunt, et quidem etiam sine pronomine *ὅ*, cuius omissionem nolim cum Schaefero ad Greg. Cor. p. 303. Ionicam vocare, quum ea potius ad antiquum epicorum sermonem pertineat. Exemplis, quae attulit Schaeferus ex Iliad. *μ*. 225. et Od. *π*. 138. adde Odyss. *ϑ*. 107.

ἦρχε δὲ τῷ αὐτὴν ὁδόν, ἥνπερ οἱ ἄλλοι.

κ. 158.

ὅς ῥά μοι ὑψίκερων ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν αὐτὴν ἧκεν.

263.

τὸν δ' αἶψ' ἠνώγεα αὐτὴν ὁδὸν ἡγήσασθαι.

φ. 366.

αὐτὰρ ὃ θῆκε φέρων αὐτῷ ἐνὶ χώρῳ.

In hymno Apoll. 179.

ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην καὶ Μῃονίην ἐρατεινήν,
καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν·
αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.

Hesiod. Scut. Herc. 35.

αὐτῇ μὲν γὰρ νυκτὶ τανυσφύρου Ἠλεκτρυώνης
εὐνῇ καὶ φιλότητι μίγη, τέλεσεν δ' ἄρ' ἐέλδωρ·
αὐτῇ δ' Ἀμφιτρύων λαοσσόος, ἀγλαὸς ἥρως,
ἐκτελέσας μέγα ἔργον, ἀφίκετο ὅνδε δόμονδε.

Sic intelligendum puto etiam hoc, Iliad. *ο.* 724. 68

ἀλλ' εἰ δή ῥα τότε βλάπτεν φρένας εὐρύοπα Ζεὺς
ἡμετέρας,, νῦν αὐτὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει.

Grammatici veteres, ad v. 694. s. respicientes, haec aliter interpretantur. Alia ex epicis exempla attulit Schaeferus in Melet. crit. p. 65. Sed iam Homerus etiam *ὁ αὐτὸς* usurpavit, Iliad. *ζ.* 391. Od. *η.* 55. 326. *π.* 334. plane ut nos dicimus *derselbe.* Attici vero, quod equidem sciam, sic semper. Nam si qui forte loci repugnare videantur, hos emendatione indigere vix dubium est. Euripidis versum in Electra 521. emendarunt alii, quum Canterus insolentem formam *ταυτῆς* pro *τῆς αὐτῆς* reponendam iudicasset, quam defendit Aemilius Portus e Sophoclis Philoct. 852. et ex Aristot. Polit. VIII. 1. 172. K. Rhetor. III. 16. 226. I. At in Aristotele ille aperte vitiosa scriptura se decipi passus est: Sophoclis autem locum iure suspectum habet Schaeferus ad Greg. Cor. p. 303. quamquam coniecturam eius, *εἰ γ' αὐτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις,* ut in scriptore Attico, probare non ausim.

In hac quidem Sophoclis fabula, quae prae reliquis corrupta ad nos pervenit, non mirer, si gravior corruptela lateat, quam quae certa emendatione sanari possit. Verum tamen aliquid saltem ad huius loci explicationem videor mihi conferre posse. Chorus, quum obdormivisset Philoctetes, monet Neoptolemum, ut cum arcu illius aufugiat. Respondet Neoptolemus, arcum nihil prodesse, nisi ipsum Philoctetam secum abducant; hoc enim iussisse deum; ac turpem esse gloriam, rem imperfectam destituisse. Tum chorus, postquam deo relinquendam esse hanc curam dixit, his verbis Neoptolemum monet: *οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι, εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις, μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη.* Scholia Romana sic habent: *οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι· δι᾽ ὃν λέγω. οἷον τὸν Φιλοκτήτην. διὰ μέσου τοῦτο εἴρηκε. εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν. εἰ τὴν αὐτὴν τῷ Ὀδυσσεῖ γνώμην ἔχεις, ὥστε αἴρειν τὸν Φιλοκτήτην ἐντεῦθεν. ἄπορα πυκινοῖσιν. ἄπορόν ἐστι καὶ τοῖς συνετοῖς ἰδεῖν τὸ πρακτέον. λείπει οὖν ὃ καί. γράφεται, πυκνοῖσιν, ἵν᾽ ᾗ ἐν πράγμασι πυκνοῖς συνιδεῖν τὸ πρακτέον, ἄπορον.* Hinc Brunckius suam interpretationem hausit: *scis enim quem loquar; si cum illo sentis, prudentibus maxime datum perspicere, quo se pacto ex difficultatibus extricent.* At hic sensus nullo modo in verbis istis inesse potest, tametsi illud recte monuisse videtur Brunckius, et *ὃν* et *τούτῳ* ad Vlyssem spectare. Quae vero sequuntur, in his ne scholiastae quidem interpretatio admitti potest, quia, si *ἄπορα πυκινοῖς* pro *ἄπορόν ἐστι πυκινοῖς* poeta dixisset, *πάθη* non potuisset sic nude addere, nedum ut id *τὸ πρακτέον* significaret. Quodsi dici non potuit *ἄπορά ἐστι πυκινοῖς, ἐνιδεῖν πάθη,* multo minus ita haec intelligi potuerunt, ac si scriptum esset, *ἔξεστι πυκινοῖς ἐνιδεῖν ἄπορα πάθη.* Quae quum ita sint, adducor, ut duorum vocabulorum sede mutata sic scribendum putem:

> *ἀλλ᾽ ὅ τι δύναιο μάκιστον*
> *κεῖνό μοι νῦν, κεῖνο λάθρα*
> *ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις.*

οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι,
εἰ τούτῳ ταὐτὰ γνώμαν ἴσχεις
μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς συνιδεῖν πάθη.

Chorus Neoptolemum, cunctantem ubi festinato opus erat, ita monet: *vide quid agas, si tibi cum eo, quem nominare nolo, eadem sententia est de malis, quae inextricabilia imminere prudentes intelligunt.* Hoc est, si sic sentis, ut Vlysses, facile intelliges, nisi statim aut arcum, aut ipsum Philoctetam hinc auferas, mox, illo expergefacto, eam rem plurimum difficultatis habituram esse. Ad constructionem quod attinet, *ταὐτὰ γνώμαν ἴσχεις ἄπορα συνιδεῖν πάθη* dictum est pro *ταὐτὰ γιγνώσκεις περὶ ἀπόρων συνιδεῖν παθῶν*: cuiusmodi constructionum exempla, qui tragicorum lectione exercitati sunt, plurima inveniri sciunt. Caeterum *συνιδεῖν* e scholiis Romanis, cuius lectionis vestigium etiam in scriptura *πυκινοῖσιν*, invenitur, praeferendum duxi. Strophicus autem versus, in quo hiatum iam olim sed non satis recte explevi, sic est scribendus: 70

πολύ τι, πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

Metrum dochmiacum est.

XIII.

Αὐτῆμαρ et similia. Ὑπ' αὐτό, ὑπὸ τὸ αὐτό. Ἐν αὐτῷ.

Redeo ad nomen *αὐτός*. Alii loci, quos Schaeferus eadem pagina et sequente attulit, ut *αὐτὸς* pro *ὁ αὐτὸς* ab Atticis eorumque imitatoribus dici ostenderet, alieni sunt ab hac ratione, quum in omnibus hoc nomen *ipse* significet, ut in adverbiis *αὐτῆμαρ, αὐτοετεί,* aliisque, quorum nollem mentionem fecisset vir praestantissimus p. 57. quo quidem loco etiam alia quaedam exempla affert, quae quamvis speciosa sint, tantum tamen abest, ut illam sententiam confirment, ut magis contrarium verum esse demonstrent. Ordiar a formula *ὑπ' αὐτό*, quam *sub idem tempus* significare putat Toupius ad Longinum p. 302.

Schaefero non improbante. Plutarchus quidem, quo auctore utitur Toupius, dixit, uti debebat *ὑπὸ τὸ αὐτό*.
71 Quid vero hoc ad Longinum? Hic X. 3. quum celebratissimum illud Sapphus carmen attulisset, ita pergit: *οὐ θαυμάζεις, ὡς ὑπ᾽ αὐτὸ τὴν ψυχήν, τὸ σῶμα, τὰς ἀκοάς, τὴν γλῶσσαν, τὰς ὄψεις, τὴν χρόαν, πάνθ᾽ ὡς ἀλλότρια διοιχόμενα ἐπιζητεῖ;* Mirum vero, doctissimos homines non vidisse, Longinum hic ne addito quidem articulo sic loqui potuisse. Nam sane *ὑπὸ τὸ αὐτὸ* est *sub idem tempus:* at hoc Graecis Latinisque non de iis rebus, quae uno eodemque temporis momento fiunt, sed de his usurpatur, quae circiter in idem tempus incidunt, nec longo intervallo distant. Id vero de his, quae quis paucis versibus complexus est, ineptissime diceretur. Nimirum Longini loco satius est abstinere, qui, ut aliquot alii in hoc scriptore loci, meliorem codicem desideret. Aliquid tamen in his tenebris ut certum deprehendisse mihi videor. Nam quae in edd. praecedunt Sapphus verba,

ἀλλὰ πᾶν τολματόν, ἐπεὶ πένητα,

quis credat aut a poetria sic scripta esse, quum facilius alia omnia in isto carmine, quam quidquam de paupertate dici potuerit, aut Longinum his verbis, quae minime ad id, de quo agitur, pertinent, finiturum hos versus fuisse, et quidem abrupta media oratione? Ac librorum MSS. lectio, quae haec fere est, *ἀλλὰ πᾶν τολματὸν ἐπεὶ καὶ πένητα οὐ θαυμάζοις ὡς ὑπ᾽ αὐτό,* satis mihi videtur prodere, haec omnia Sapphus verba esse, in quibus quidem de vera lectione nihil nisi *ἐπεί κε* et participium *θαυμάζοισα* agnosci potest. Non magis in alio Longini loco, XII. 4. Mori et Weiskii patris interpretationem probo: *ὁ δὲ Κικέρων, ὡς ἀμφιλαφής τις ἐμπρησμός, οἶμαι, πάντη νέμεται καὶ ἀνειλεῖται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ᾽ ἀλλοίως ἐν αὐτῷ, καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον.*
72 Hic illi *ἐν αὐτῷ* significare putant *in eodem loco.* At hoc a mente scriptoris alienum est. Nec filius Weiskii rem expediit. Mihi quidem videtur difficultas interpun-

ctione tolli posse: *πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ᾽ ἀλλοίως, ἐν αὐτῷ καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον*: *multum habens et semper permanentem calorem, divisumque alibi aliter, simul etiam per vices augescentem.* *Ἐν αὐτῷ*, hoc est, *in ipsa illa re*, *ἐν τῷ διακληρονομεῖσθαι ἄλλοτ᾽ ἀλλοίως.*

XIV.

Κατ᾽ αὐτό. κατὰ τὸ αὐτό.

Venio nunc ad *κατ᾽ αὐτό*, quod quum Toupio ad Suidam T. II. p. 73. *eodem tempore* significare visum esset, Schaeferus ad Lambertum B. p. 210. et 550. id ubique, ubi hanc vim haberet, in *κατὰ ταυτὸ* mutandum censebat. Vellem mansisset in hac sententia. Sed in adnotationibus ad Greg. Cor. p. 57. pene in eo est, ut assentiatur Toupio. Non attenderunt hi doctissimi viri ad discrimen, quod inter has formulas satis magnum est. Nam *κατὰ ταυτὸ* est eodem tempore: Hesychius: *κατὰ τὸ αὐτό, ὁμοῦ.* Exempla attulerunt Toupius ad Longinum p. 302. et Schaeferus ad Lamb. B. p. 210. *Κατ᾽ αὐτὸ* vero significat, quod nos *gerade*, *eben*, Latini nunc *admodum*, nunc *forte*, vel etiam aliis modis dicunt. Sic intelligenda exempla, quae Toupius ad Suidam attulit: Herodiani I. 12, 7. *ἐπέσχε δὲ κατ᾽ αὐτὸ καὶ λιμὸς τὴν πόλιν*: *ac forte fames esse coepit in urbe; und gerade trat auch Hungersnoth ein.* Polybii in Excerptis Vales. p. 1455. (T. IV. p. 560. ed. Schweigh.) *ἐκπορευομένων γάρ ποτε κατ᾽ αὐτὸ πάντων ἐκ τῆς οἰκίας τῆς τοῦ Φαβίου*: quae recte sane Toupius interpretatur, *egressis simul omnibus ex Fabii domo*, modo memineris, hoc non esse *eodem tempore*, quod dicendum fuisset *κατὰ ταυτό*, ut Schweighaeuserus edidit, immerito ob id lau- 73 datus a Schaefero, sed *plane omnibus:* Germanice: *da einmal eben alle aus dem Hause gegangen waren.* Strabo T. V. p. 651. (978. D. Almel.) commemoratus a Schaefero ad Gregor. p. 57. *ὥςτε τὸ ἐπ᾽ εὐθείας μῆκος*

τῆς Ἰωνίας εἴη ἂν κατ' αὐτὸ ἢ μικρῷ πλέον τῶν ὀκτακοσίων: sic recte cod. Mosc. pro vulgato κατὰ ταυτό, i. e. *ut Ioniae longitudo admodum* Ioccc *stadia contineat, vel paullo plus.* Quid, obsecro, hic sibi vellet κατὰ ταυτό? Sed in loco lexici SGerm. qui in adnotationibus ad Gregor. p. 57. affertur, neque hoc κατ' αὐτό, cuius modo exempla vidimus, neque κατὰ ταυτό, quae coniectura eruditissimo Bastio, festinantius locum adspicienti, excidit, quaerendum est.

XV.

Αὐτὸ μόνον. Αὔτως. Αὕτως.

Similem significationem, sed diversam tamen habet αὐτὸ μόνον, de qua vide Valcken. ad fragm. Callim. p. 28. et Bastii epist. crit. p. 135. ed. Lips. Sed illud non video a quoquam animadversum esse, eamdem significationem, qua recentiores αὐτὸ μόνον dixerunt, apud Homerum in adverbio αὔτως inveniri. De quo adverbio hoc magis hic explicandum duxi, quod ineptissima de eo commenti sunt grammatici. Et hi quidem duo distinguunt adverbia, αὕτως, quod, mirum dictu, a feminino αὕτη, ut οὕτως a masculino, dictum putant: v. Favorin. in v. αὕτως et οὕτως; et αὔτως, quod Eustathius p. 235, 5. 407, 42. Aeolice, p. 1755, 15. autem Ionice lenem spiritum habere dicit, quamquam postremo loco addit, ἢ καὶ ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτός; alii autem grammatici pro ἀέτως dictum opinabantur: v. Etym. M. p. 272, 42. Zonar. p. 349. Favorin. in v. αὔτως. At unum exstat et solum adverbium αὔτως, cuius quidem si alia adhuc for-74 ma, αὕτως, usurpata fuit, eam aut Atticorum propriam fuisse crediderim, quos aspero spiritu delectatos esse novimus, aut excogitatam esse a grammaticis, ex quorum subtilibus inventis multa in usum et consuetudinem venerunt, non secus ac nunc in Germanica lingua pusillorum hominum distinctionibus novas

verborum formas, v. c. *ahnen*, *ahnung*, procudi, et ab imperitis, (sunt autem patriae linguae plerique omnes, qui ea utuntur, imperiti,) usurpari videmus. Homerus certe semper dixit *αὔτως*. Significat autem hoc adverbium numquam, ut Etymologus, Eustathius, quum alibi, tum maxime p. 545, 29. H. Stephanus, cum eoque alii lexicographi tradunt, idem quod *οὕτως*, *sic*, sed *hoc ipso modo*, *ὡςαύτως*, ut Hesychius interpretatur. Nos, *eben so*, *gerade so*. Quamquam alios etiam habet significatus. De omnibus ordine dicam.

Ac prima significatio est, quam modo commemoravi, *hoc ipso modo*. Od. *π*. 143. Eumaeus, quum Laertem ante Telemachi discessum nec cibo nec potu abstinuisse narrasset, addit:

> *αὐτὰρ νῦν ἐξ οὗ σύγε ᾤχεο νηῒ Πύλονδε,*
> *οὔπω μίν φασιν φαγέμεν καὶ πιέμεν αὔτως.*

Sic Iliad. *δ*. 17. *χ*. 125. Apud Sophoclem in Oed. R. 931. nuncio, dicenti

> *ἀλλ' ὀλβία τε καὶ ξὺν ὀλβίοις ἀεὶ*
> *γένοιτο,*

respondet Iocasta,

> *αὔτως δὲ καὶ σύγ', ὦ ξένε.*

Inde est *ὡςαύτως*, quod Homero semper divisim dicitur, *ὡς δ' αὔτως*, Iliad. *γ*. 339. *η*. 430. *ι*. 195. *κ*. 25. Od. *γ*. 64. *ζ*. 166. *ι*. 31. *υ*. 238. *φ*. 203. 225. *χ*. 114. *ω*. 409. Sophocles Trach. 1047.

> *ἂν ὧδ' ἐπίδοιμι πεσοῦσαν*
> *αὔτως, ὧδ' αὔτως, ὥς μ' ὤλεσεν.*

Iam hoc adverbium aut ad eum statum refertur, qui antehac fuit, aut ad praesentem. Si ad illum, qui antehac, pene idem significat, quod *adhuc*, nobis *immer noch*. Iliad. *ψ*. 267. 75

αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,
καλόν, τέσσαρα μέτρα κεχανδότα, λευκὸν ἔτ᾽
αὔτως.

Adhuc splendidum, nec dum fumo ac fuligine obductum. Sic σ. 338. ω. 413. Od. ν. 336. υ. 130. Interdum haec significatio proxime contingit aliam, *frustra*, de qua infra dicetur: Iliad. ψ. 72.

τῆλέ με εἴργουσιν ψυχαί, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
ἀλλ᾽ αὔτως ἀλάλημαι ἀν᾽ εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Sin ad praesentem statum refertur, significat, *ut nunc sum*, quod nos dicimus *gleich so.* Iliad. ε. 255,

ὀκνείω δ᾽ ἵππων ἐπιβαινέμεν, ἀλλὰ καὶ αὔτως
ἀντίον εἶμ᾽ αὐτῶν.

Cui loco non dissimile est illud Iliad. σ. 392.

Ἥφαιστε, πρόμολ᾽ ὧδε·

ubi scholiastes: *οὕτως, ὡς ἔχεις σχήματος. τοῦτο γὰρ ἂν σπουδαῖον φαίνοιτο, ὡς Ἀχιλλεύς, αὐτῇ σὺν φόρμιγγι.* In eodem libro ν. 198.

ἀλλ᾽ αὔτως ἐπὶ τάφρον ἰών, Τρώεσσι φάνηθι,

sic, ut es, sine armis.

Deflectit haec significatio in varias partes, pro cuiusque rei statu et conditione. Sic Iliad. ι. 598.

τῷ δ᾽ οὐκέτι δῶρ᾽ ἐτέλεσσαν
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ᾽ ἤμυνε καὶ αὔτως,

sic quoque, nihilo minus, i. e. nullis praemiis excitatus. ψ. 620.

δίδωμι δέ τοι τόδ᾽ ἄεθλον
αὔτως. οὐ γὰρ πύξ γε μαχήσεαι, οὐδὲ παλαίσεις.

quamvis non certaturo, i. e. *gratis*. Nos *auch so*, adverbio *so* accentum non inclinante, sed rectum servante.

Ex eadem praesentis status significatione oritur illa, 76 quae est *αὐτὸ μόνον*, *tantummodo*, *nihil amplius*. Nos *bloss*. Odyss. *υ*. 379.

ἀλλ' αὔτως ἄχθος ἀρούρης,

i. e. *ἄχθος ἀρούρης, αὔτως*: *inutile terrae pondus*, *hoc ipsum*, *nihil aliud*. §. 151.

ἀλλ' ἐγὼ οὐκ αὔτως μυθήσομαι, ἀλλὰ σὺν ὅρκῳ.

Vide Iliad. *α*. 133. *β*. 342. *κ*. 50. *ν*. 104. *ξ*. 18. *ρ*. 633. Od. *ζ*. 143. *ν*. 281. *ο*. 83. *ρ*. 303. Inde coniungitur cum adverbiis, *μὰψ αὔτως*, *nihil aliud quam temere*, Iliad. *υ*. 348. Odyss. *π*. 111. hymn. Merc. 488. cum adiectivis, *παῖς νήπιος αὔτως*, *nil nisi infans puer*, Iliad. *ζ*. 400. *χ*. 484. *ω*. 726. *ἄφρονα αὔτως* *γ*. 220. *ἀκλεὲς αὔτως* *η*. 100. *ἀνεμώλιον αὔτως* *φ*. 474. cum verbis, ut Odyss. *π*. 313.

δηθὰ γὰρ αὔτως εἴσῃ ἑκάστου πειρητίζων,
ἔργα μετερχόμενος.

Nam nihil aliud quam diu circumibis, *singulos explorans*. Sic *εὔχεσθαι αὔτως*, *λ*. 388. *ν*. 447. *ρ*. 450.

Atqui qui tantummodo gloriatur, is gloriatur *temere et sine caussa*. Inde haec quoque non rara est significatio: ut Iliad. *ζ*. 55.

τίη δὲ σὺ κήδεαι αὔτως
ἀνδρῶν.

Vide *ρ*. 143. Odyss. *δ*. 665. *μ*. 284. Sic etiam unus et alter locorum supra allatorum intelligi potest, ut Iliad. *β*. 342.

αὔτως γάρ ῥ' ἐπέεσσ' ἐριδαίνομεν.

Quoniam vero, quae fieri tantum, ac nihil amplius, dicuntur, etiam sic intelligi possunt, ut quae sine effectu sint, *αὔτως* etiam *frustra* significat. Iliad. *ο*. 128.

ἦ νύ τοι αὔτως
οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί;

Sic 513. *π*. 117. *σ*. 584.

ORATIO IN SVPPLICATIONE OB SVSCEPTVM AB ELECTORE SAXONIAE FRIDERICO AVGVSTO NOMEN REGIVM *).

Regem hodie, pace pacta, salutamus principem nostrum, cives, Fridericum Augustum, quem nemo est nostrum, nemo omnium Saxoniae civium, qui non colat, non veneretur, non amet. Non haec est eiusmodi solemnitas, ad quam inviti, aut metu coacti convenerimus, sed quam pietate, quam amore invitati celebramus; in qua adesse omnibus exoptatum est; a qua abesse nemo non triste putaturus esset. Nam quid esse dulcius nobis potest, quam ei, cuius sapientissimo imperio salvi beatique vivimus, iis rebus gratulari, quibus ille nihil habet sanctius. Erepta est eius consilio et moderatione e belli calamitatibus patria; restituta est civibus incolumitas; reddita commerciis, artibus, litteris securitas; coluntur rura, in quibus modo tormentorum fragor et morientium eiulatus perstrepebat; reficiuntur flammis deflagrata et vastata latrociniis civium

*) Hanc orationem, quae non fuit typis descripta, propterea edendam putavi, quod habita est impune, maximam templi partem obtinente cum ducibus suis Gallici militis praesidio, quod pompam Academiae multorum cum tympanorum strepitu comitans, illuc ingressum erat. Factum id est a. 1807.

tecta; repetunt penates suos, qui hostili terrore palati, unde viverent nescii, oberrabant; quique omnia, ipsamque spem, ultimas miserorum divitias, amiserant, denuo sperare discunt. Tanti recordationem beneficii, quae nunc omnium Saxonum animos tenet, maxime ab nobis, qui litterarum studiis vitam consecravimus, suscitari alique par est. Nam litterarum cognitio, cuius hoc proprium est, homines ab agresti ferocia liberare, et ad vitae, quae proprie vereque humana sit, cultum evehere, uti natura sua prorsus contraria est feritati bellorum, ita inter hostiles tumultus, quum de sua quisque salute sollicitus est, ruinaeque ruinas adducunt, non modo otio, tranquillitate, adiumentis destituitur, sed, quod gravius est, labefactatur, inclinatur, corruit; eoque casu vis iustitiam, libido moderationem, scelus virtutem, barbaries humanitatem expellit. Quare si cuiquam hodie laetandi gratulandique caussa est, est ea nobis profecto maxima, qui non modo nosmet ipsos optimi principis sapientia salvos esse gaudemus, sed litteris quoque ita videmus prospectum esse, ut haec saluberrima studia, quae temporum iniquitate nimis iam alibi torpere incipiunt, in Saxonia tutum habeant securumque domicilium. Agite ergo, cives huius Academiae, grato pioque animo recordamini magnitudinem huius, quod nobis contigit, beneficii; et recordamini ita, uti merita postulant eius, quem quum semper, tum maxime nunc patrem patriae sumus experti.

Ac quid est, quod prius in mentem nobis veniat, quam id, ad quod haec ipsa nos adhortatur solemnis supplicatio? Regem enim venerantes ante omnia reputare decet, quid hoc, quantumque sit, regem esse: quoniam haec demum vera est et iusta veneratio, cuius caussas aliquis et vim et pondus perspexerit. Neque vero is, pro cuius incolumitate deum precaturi in hoc templo convenimus, talis est, qui ab ista cogitatione nos avocet: immo haec inhaeret animis nostris Friderici Augusti imago, quae, quo magis aliquis regias virtutes consideret, eo clariore lumine exsplendescat. Aliud est enim regem

nominari; aliud esse regem. Multi vocati sunt reges, a quorum ingenio factisque abhorrebat tanti nominis sanctitas: quod contra aliqui fuerunt, quibus denegaverat fortuna dignum hoc meritis nomen, sed regia praediti indole, factis clari, memoria immortales. Neque enim fortuna arbitra est meritorum; nec nomen decorat virtutem, sed virtus nomen. Non illum recte regem vocabimus, qui inerti desidia commissam sibi populorum curam negligit, contemptus a civibus; aut illum, qui impotenti dominatione atque atrocibus ausis gloriam quaerit, palam metutus, clam exsecratus: sed is hoc sibi nomen vindicat, qui civium saluti atque incolumitati prospicere primam laudem esse putans, cum prudentia fidem, cum consilio constantiam, cum fortitudine iustitiam consociat.

Prisca hominum aetas eum regem esse iubebat, qui et fortior aliis et sapientior haberetur: recte sane pro temporum illorum conditione. Simplex enim erat quum privatorum hominum vita, tum reipublicae administratio. Suo quisque vivebat arbitrio, morum magis a patribus acceptorum tenax, quam legum diligens observator. Pro iustitia aequitas, pro iudice erat arbiter. Vt quisque natu maior erat, ita maiore pollebat auctoritate: sapientior enim habebatur, qui plura vidisset audissetque. Deorum metus et reverentia seniorum continebat temeritatem, frenabat libidinem, leniebat iras. Publice quae agenda erant, bello decernendo gerendoque, tum foedere faciendo et iure dicundo continebantur. Ducis erat regisve strenue pugnare, aliisque praeire fortitudinis exemplum; caetera domi degebat, parum diversus a privatis, nisi quod opulentior fere esset et honoratior. Mutata temporum facie, quum multiplices artes effloruissent, quum negotiorum admirabilis orta esset varietas, quum vivendi rationes discretae essent, quum homines genere, consuetudine, vicinia coniuncti tamquam peregrini inter peregrinos vivere coepissent, quum universus terrarum orbis commerciorum communicatione esset coniunctus, quum gentium denique eadem et consociatio et alienatio, quae privatorum homi-

num est, exstitisset, alia regum quoque nata sunt negotia, alia officia, aliae virtutes: quodque ante facile fuerat, difficile redditum est et periculosum, neque ab uno sustineri potuit sceptri pondus.

Ac quum ante primum in regiis virtutibus locum tenuisset fortitudo, secundum sapientia: cessit, ut par erat, fortitudo sapientiae, privata virtus publicae. Fortem enim esse regem decet, quia civis est; sapientem, quia rex. Si olim primus pro patria caput offerre morti debebat rex, quod hac re maxime prodesse civibus poterat, et facile, qui eius locum expleret, alter reperiebatur: nunc vivere pro patria regis est, non perire, quod rege perempto concidit rerum ordo, neque idem manet consilium, aut eadem rei publicae conditio. Sanctum est regis caput: qui ut ignavus foret, si detrectaret mortis periculum, quum in extremo rerum discrimine inflammandae sunt ad fortitudinem bellantium catervae, ita idem temerarius esset, si, militis laudem regio officio anteponens, privatae virtutis gloriam quaereret, communis salutis oblitus. Omnis virtus, quae regii muneris propria est, nunc in sapientia versatur, cuius duae sunt partes, diversissimae illae quidem, sed non dissociabiles, prudentia et iustitia. Nihil est enim earum rerum, quae populorum regnatoribus agendae sunt, quin his duabus virtutibus indigeat; nihil usquam, quod laudi esse ac decori regibus possit, quin iisdem virtutibus comprehendatur.

Ordiamur a prudentia, quae dignitate quidem inferior iustitia, sed necessitate par, ordine etiam prior est. Habet autem prudentia quoque suas partes, unam late patentem, paratu difficilem, cognitu subtilem; alteram intricatam in iudicando, molestam curis, ancipitem periculis: cognitionem rerum, quas principem scire oportet, dico, et sagacitatem in eligendo, quod utile sit. Ac primum principi gentis, cui praefectus est, res gestae, instituta, mores, ingenium; regionisque, quam in sua ditione tenet, situs, cultus, proventus cognoscendi sunt.

Neque in illo terrarum spatio, quod ipse possidet, consistere debet eius scientia, sed alios quoque populos complectatur oportet, neque solum eos, quorum vicinia vel utilitatem promittit, vel damnum minatur, sed caeteros quoque, a quibus commerciorum communitate vel artium litterarumque incrementis aliquis fructus percipi possit. Amicitiae ei tenendae sunt gentium, atque inimicitiae; foedera discenda, eorumque foederum fontes, et factae iam ac futurae vicissitudines. Nec negligenda ei est humanae naturae cognitio, qui perspicere debeat, cum quibus quidque, et per quos agatur; qui aliis fidere, aliis diffidere; tectus erga omnes, obnoxius nemini esse debeat. Ad has tantas tamque late diffusas artes acre oportet iudicium accedat, et indefessa vigilantia, si quis prudens populi gubernator appellandus sit. Nam quemadmodum etiam qui summo ingenio praeditus est, si ei desit illarum rerum quas modo enumeravi cognitio, parum idoneus est populorum rector, qui quamvis cupiat prodesse civibus, materiam, qua prosit, aut nullam habeat, aut ineptam eligat, aut aliorum fraude vel inscitia oblatam amplectatur: ita etiam qui omnia ista tenet, quae fundamenta sunt fontesque civilis prudentiae, si ingenii dexteritas absit, aut nihil, quod utile sit et fructuosum civibus, efficiet, aut perverso usu pro commodo damnum, pro salute perniciem inferet reipublicae. Indiget autem haec pars prudentiae, quae in iudicio est et utilitatum comparatione posita, multa diligentia, multo labore, multis curis ac sollicitudinibus: quare maior est atque excellentior illis virtutibus, quae, ad speciem insigniores, nec tantum molestiae requirunt, et remissionem admittunt frequentiorem. Audaci facto una hora omnium tibi pepereris admirationem: prudentem administrationem reipuplicae pauci agnoscunt, plerique ne animadvertunt quidem, multi etiam reprehendunt. Percellunt enim animos, quae insolenter fiunt, bona pariter ac mala, honesta aeque ac turpia: sed delitescunt, quae tempore indigent; si recte fiunt, quod non videntur aliter geri debere; sin male, quod damnum non est conspicuum. At

qui utra tandem maior est et praestantior virtus? utrumne illa, quae opera facilis, tempore brevis, laude speciosa est, an haec, quae summo labore paratur, quae totius vitae sibi tempus vindicat, quae ad speciem levis, ad fructum magna, diuturna, immortalis est? Illae demum gentes felici sorte et florente statu gaudent, quarum regnatores indefesso studio utilitates ponderant; quae temporum cursus mutari postulat, abrogant; quae recentior aetas artium et doctrinarum inventa protulit, introducunt; leges accommodant rationibus et moribus civium; foederum societates, quae damnosae aut periculosae sunt, declinant; quae utiles tutaeque, ineunt; temporibus cum dignitate et honestate inserviunt; in amicis et adiutoribus eligendis peritiam, probitatem, fidem spectant; adulatorum blanditias vitant; honestorum libertate non indigantur. Hisce artibus non plausus vulgi, sed approbatio sapientum; non abiecta veneratio plebis, sed amor civium; non laudes parum sincerae aequalium, sed certa admiratio posteritatis paratur. Et ipsi regi ecquod dulcius potest atque exoptatius praemium esse amore civium, quo nullum firmius, nullum incorruptius est bene meritorum testimonium? Hoc ille praesidio tutus, nullius timens insidias, desideratus omnibus, aequo animo adspernatur civium pernicie emptam gloriam.

Sponte intelligitis cives, quae nostra debeat pietas esse, qui sive regem vocaverimus Fridericum Augustum, sive, ut consuevimus, patrem patriae, perinde est. Huius prudentiae atque infatigabili studio debemus, quod per tot annos tranquilla in pace non modo salva fuit Saxonia, sed floruit etiam cultu, commerciis, artibus, litteris; et magis floruit, quam aliae regiones plurimae. Huius sapienti consilio debemus, quod his ipsis temporibus, ubi non solum Germania funestis cladibus afflicta est, sed universus terrarum orbis magnorum motuum incendiis flagrat, ubi regna pereunt et nascuntur, ac novus rerum ordo devorat antiquum, periturus ipse, inter medias ruinas diu tuti, denique, quum prope et in ipsis Saxoniae

campis belli furor grassaretur, post breve tempus ex malis, quantum licebat, liberati, et in securitatem restituti sumus. Scientibus dicerem, si dicerem, quanta eius in his periculis circumspectio, quanta moderatio, quanta fortitudo fuerit. Nec dici commemorarique hae res, sed cogitari sentirique postulant. Ea est enim optimi principis modestia, rara comes excelsioris fortunae, ut meruisse laudem, quam ea praedicari malit. Itaque conticeat de his rebus oratio nostra, quas ne potest quidem satis digne laudare, nisi qui pari in loco constitutus et difficultatem earum et discrimina est expertus.

Illa vero, quae altera est regiarum virtutum, taceri non potest, iustitia: quae regia est virtus, non quod propria sit regum, sed quod, quum ab rege aliena est, magis atque aegrius, quam in quocumque alio, desideratur. Nam si quis recte aestimare velit, neque regia est, neque privata virtus, sed, quod maius est atque excelsius utroque, humana. Fons illa est omnis honestatis, omnium recte factorum, dux ad veram laudem, mater immortalitatis: quam habere necesse est; qua carere turpe est ac foedum: quae a quo abest, sive privatum, sive regem, ex hominum numero submovet et detrudit ad belluas. Existimabitis fortasse, iustitiam iniuria dici virtutem, quod, si quis eam possideat, is nihil habeat, nisi quod abesse ab homine non possit; si quis autem ea destitutus sit, is ne sit quidem hominis loco habendus. Et recte ita existimaretis, nisi, proh dolor, tot hominum cuiuscumque conditionis, tot etiam regum exempla exstarent, quorum crudelia atque immania facta ostenderunt, vitio carere, id esse virtutem dicendum. Is, qui ipse iustus est, nec virtutis loco numerat iustitiam, nec laudem ea quaerit: sed illi, ad quos iniustitiae pestifera damna, iustitiae salutares fructus pertinent, illi demum, quantum hoc sit, quamque praestans, iustum esse, cognoverunt. Nec sane hoc leve putandum est aut facile esse, praesertim in eo, quem muneris amplitudo multis et perplexis implicat negotiis: in quibus saepe ambigui, saepe obscuri sunt iustitiae atque

iniustitiae fines; in quibus cum iustitia concilianda est utilitas, ab utilitate segreganda iniustitia; in quibus si uni se iustum praebet, metuendum est, ne iniustus erga alios sit; in quibus iniustitiae saepe proposita sunt praemia, iustitiam consequuntur poenae. Quare alia est multoque excellentior in rege, quam in privato homine iustitia, non quod ipsa dissimilis sibi iustitia sit, sed quod in privato facilis, in rege difficilis; in privato paucarum indigens aliarum virtutum, in rege et plurimis opus habens et maximis, diligentia, vigilantia, prudentia, moderatione, fortitudine, constantia. Non decet nos haec singula persequi, quae tam varia tamque implicata sunt, ut generatim comprehendi ab nemine, in singulis caussis perspici ab eo tantum possint, qui ipse rerum summae praefectus est. Illud potius vos, cives, quibus contigit iusto sub principe vivere, nunc contemplamini, qui fructus e regis iustitia in rempublicam, quae damna ex iniustitia redundent, quidque pretii iusto regi, quid iniusto sit statuendum. Tuti vivitis tectique legum saluberrimarum praesidio, quas impune violare nemini licet, quibusque ille ipse, qui eas tulit, sese adstrictum fatetur. Bene enim ille intelligit, duplicem se sustinere personam, unam principis, alteram civis, nec principi condonandum censet, quod non liceat civi. Sapiens, continens, moderatus, mitis, beneficus, civibus praeit exemplum, in quod intueantur, quod imitentur, quod vereantur; nullus ad eum cupiditatibus aut libidinibus, quibus foedatur solii maiestas, aditus patet; pius sanctusque ipse pietatem suam et sanctitatem cives docet aemulari. Qualis erga hos est, quibus ipse imperat, talem se praebet etiam adversus exteros; non quaerens ambigua lucra, sed contentus paratis; non captans opportunitates perfidiae, sed fidem servans incorruptam; nulli damnum inferens, sed pericula ab suis arcens; non invadens et rapiens aliena, sed tuens et conservans propria. Evolvite monimenta historiae; considerate illos reges, qui sibi scripta negarunt iura; qui cives mancipia, sese dominos esse putarunt: videte quam facilis ad eos accessus fuerit adulationi, fraudi, ac turpitudini; quam,

dummodo ipsi quibusvis voluptatibus fruerentur, parvi fecerint laborem, molestiam, miseriam, ipsamque vitam civium; quam legum apud eos vanum fuerit nomen atque inanis auctoritas, ubi silere cogebantur, quum regi eiusve amicis placuisset; quam foederum temere conculcaverint sacrata iura, fidem in perfidiam mutantes, si insatiabilis incitaret avaritia; quam large profuderint sanguinem insontium, si dira vindictae pervicacia, vel gloriae furens cupido adderet stimulos. Et ita illi ad laudem et gloriam viam sibi parari existimarunt? Eane laus est et gloria, sibi vivere, in commune inutilem aut perniciosum? sibi vivo parare monimenta, quae mox sequutura aetas deleat? viventium oculos in se convertere, avertere oculos posteritatis? Non haec iusto principi mens est, qui hominem sese esse sciens, illud omnium habet antiquissimum, servare officia humanitatis, nec putat regiam dignitatem sustineri ab se posse, si humanam exuerit. Non ille sibi populum, sed se populo datum esse iudicat: cuius verae perpetuaeque utilitati inservire, id muneris sui proprium esse censet. Non ille aliam quaerit gloriam, quam quae parta, conservata, aucta incolumitate civium continetur, parum sollicitus de tali praeconio, quod in ancipiti fastigio collocatum, non longius a vitio, quam a virtute abest; sed certus eius laudis, quae sceleris expers, saepe tarda, saepe sera, sed non dubia, sed intemerata elucet. Quid enim aequalium voces curet is, cuius facta atque instituta non unius hominum aetatis, sed saeculorum diuturnitatem habent? qui non diruere ac delere, quae priores condiderunt, sed serere, unde posteri fructum percipiant, sibi decorum putat? qui vitam hominis non mortalem esse, sed ubi quis semel natus sit, eius facta per omne aevum, sive bona sint sive mala, vigere, nec boni, quod fecerit, finem, nec mali terminum esse usquam, intellexit; qui novit severam esse et incorruptam regum iudicem posteritatem, quae alios memoriae, alios oblivioni tradit; et quos tradit memoriae, eorum alios clara luce circumfundit, aliorum nominibus comitem addit horrorem, ut habeant, qui sequuntur, quos aemulentur, et quos reformident.

O beatum populum, cui talis divinitus datus est rex: o beatam Saxoniam, quae regem habet, qui melior atque excelsior est nominis splendore, regem carum civibus, honoratum exteris; magnum apud aequales, maiorem apud posteros; desideratum viventibus, nulli accusatum apud manes mortuorum, ubi sceptra cadunt, et infimus par est regi; ubi iudicem iudicant damnati, et caesi ulciscuntur occisorem; ubi necessitas imperat, et aeterna sunt praemia, aeternae poenae. Sero ad hos perveniat, cui non formidabile est supremum iter, rex noster, Fridericus Augustus: quem tu, summe deus, qui regna tribuis et adimis, atque occulto tramite cursum dirigis fatorum, diu salvum ac sospitem cum omni eius gente conserva. Fac saluberrima eius instituta ne concidant gentium ruinis, quibus universus terrarum orbis quassatur; fac, sicut ille sapientis iustique regis exemplum est, ita sit etiam felicis; fac illustre in illo documentum exstet tuae aequitatis, diuque carus caro sibi intersit populo: mortisque frena caecos impetus, ut ab sancto eius capite diu territa recedat, aliorsum iustas effundens iras.

CARMEN SAECVLARE
NOMINE
ACADEMIAE LIPSIENSIS
D. IV. DECEMBR. A. P. C. N. cIↄIↄcccIX.
QVINTVM SAECVLVM SOLEMNITER AVSPICANTIS
DICATVM.

Descende, sedes sanguinis inscias,
O Musa, linquens, et nimium diu
Deserta vastatae cruentis
Caedibus arva revise terrae:

Revise notae moenia Lipsiae,
Et culta puro corde sacraria,
Latumque honoratis per orbem
Nominibus celebrem palaestram.

Nam saecularis lumine candido
Dies renatus ducere iam choros,
Monetque non venale carmen
Liberiore sonare plectro,

Priscamque Boiae tollere laudibus
Vrbem Libussae, dissidio gravi
Iactatam, et egressas catervas:
Vnde novos tenuit colonos

Dilecta Phoebo Lipsia, plurimam
Mirata pubem et laurigeros duces,
Mirata et Ottonem recenti
Agminis imperio potitum.

Quem magna longis ordinibus cohors
Sequuta, vitae lampade tradita,
Vrgetur aeterno sopore,
Nil nisi, quo veniemus omnes,

Praegressa. Quamquam, dum bona singulos
Mater reposcit terra, fidelium
Stat res virorum intacta plagis
Omnia dissociantis aevi.

Aevum latenti momine temporis
Diem diebus, saecula saeculis
Addens, retractari negante
Arbitrio moderatur orbem,

Nunc firma servans, quae temerarios
Ausus malignae fraudis et efferos
Odere fastus, nunc ab alto
Culmine deiiciens potentem

Turpi ruina. Cernit enim nefas,
Auditque iudex additus inferis,
Quisquis sub Orco congregatis
Conqueritur novus hospes umbris,

Seu sancta fidae foedera dexterae
Contempta narrans, sive malam sitim
Auri, tumescentisque diros
Luxuriae memorans furores;

Martisve dicens insatiabiles
Rixas, et atri flumina sanguinis
Per prata, per campos virentes
Fusa, trucesque necis figuras.

Quali tumultu nuper inhorruit
Concussus orbis, quum propero gradu
Bellona tellurem pererrans
Puniceum quateret flagellum,

Qua dura sensit proelia Sarmata
Adusque Gades, exitialibus
Armis ubi iratus rebellat
Cantaber, indocilis domari.

Quin et parentis Teutoniae genus
Magno resurgens vidimus impetu
Tentare fortunam fugacem, et
Luctificas iterare clades,

Quam pene nostris contiguas focis,
Quum pervicaces non sine numine
Turmae propinquarent nigrique
Dux equitis, generosus exsul. *)

O clara Pragae filia, te suam
Praesens tremenda protegit aegide
Regina Pallas; te benigno
Lumine respiciunt Camenae,

---

*) Hanc et praecedentem stropham omitti iusserant in exemplis publice distributis qui tum res nostras nimis meticulosi regebant.

Arcentque sacro limine barbarum
Hostem, proterva ne violet manu
Stantem quater centum per annos
Teutoniae veterem magistram,

Quam nunc beatam iustitiae tenax
Sceptrum gubernat Principis optimi;
Gubernet et seros in annos,
Incolumemque potente dextra

Conservet, addens praesidium grave,
Pravus decorem ne vitiet situs,
Antiqua neu moles fatiscens
Quadrifidae titubet columnae;

Neve aut honores immeritos ferat
Tardae dolosus fucus inertiae,
Aut nullum adulans vera virtus
Exiguo lare pulsa cedat.

Dissolve curam et sollicitos metus:
Florebis, artes donec erit sacras
Quae palma claret; donec acris
Insita pectoribus cupido

Caliginoso tramite terminos
Veri flagrabit tangere; dulcium
Donec repertricem modorum
Helladis ingenuae loquelam

Discet Britanno non minor aemulo
Germanus, et vim pandet amabilem
Quondam sonatarum deabus
Aonio Helicone vocum.

Florebis, et, post non secus ac prius,
Sempervirenti plurima gentibus
    Dicere crines cincta lauro
        Nobilium genitrix virorum,

Lux veritatis Lipsia posteris,
Princeps sororum: dum populos deus
    Levare fessos, et furentis
        Frangere tela velit duelli.

VIRO ILLVSTRISSIMO

ET

DE PATRIA MERITISSIMO

GEORGIO GVILIELMO

COMITI

AB

HOPFFGARTEN

POT. REGI SAX. AB INTERIORE CONCLAVI

ADMINISTRO CET.

SEMISAECVLAREM HONORVM

DECVRSVM

GRATVLATVR

ACADEMIA LIPSIENSIS.

cIↄIↄcccxII. A. D. II. DEC.

Longum mitte silentium,
Ad dulcésque redi, Musa, lyrae modos.
Dicendus tibi iam senex,
Qui per lustra decem maxima sustinens
Sancta munera cum fide,
Quaesitae meritis praemia gloriae
Et votis sociam piis
Communem patriae laetitiam videt.
Cessas? Scilicet anxiae
Mentem virgineam sollicitudines
Turbant, et trepidus pavor,

Quod parere novis tempora legibus,
  Et rupto vaga vinculo
Discunt insolitas fata sequi vias,
  Armorum et resonat fragor,
Qua Sol Hesperium deproperans iter
  Immitis fera Cantabri
Ferro bella videt iuncta Britannico;
  Vel qua terribilem rigens
Veloci Tanais mittit equo virum,
  Pontique efferus accola,
Vrbes ipse suas urere pervicax,
  In nostrum quoque militem
Ira saevit atrox exitiabili.
  At tu pelle animo metum:
Aequa lance deus pondera pensitans,
  Nutu turbinibus feris
Et quamvis tumidis fluctibus imperat.
  Quin suavi citharae sono
Annosum eximii pande decus senis,
  Qui Regem patriae patrem,
Qui recto patriam consilio iuvans,
  Veris fulget honoribus,
Dum cura vigili damna cavet mala,
  Nec leges populi sacras
Firmatamve sinit foederibus fidem,
  Custos impiger additus,
Laedi, nec latitare aut scelus aut nefas.
  Illum nunc pia civium
Gratorumque frequens turba clientium
  Cum primis populi viris
Circumstant, neque abest, quisquis amicior:
  Et quo quisque potest modo,
Festum laetitia concelebrant diem,
  Seu necti viridantibus
Ramis serta libet, sive placent magis
  Dulci carmina cum lyra.
O Grandaeve Senex, carmina nos Tibi
  (Nam sic convenit unice)

Gratantes ferimus, debita munera.
  Tv, quos nobilis artium
Doctarum ingenua ducit amor fide,
  Musarum comites sacros,
Distinguis populo, comis, et ad Tvam
  Admittis faciles domum,
Doctorum ipse virorum in numero micans:
  Indoctos etenim notat
Fastu cum tumido vana superbia.
  Vivas incolumis diu,
Et Regi et patriae dulce decus, neque
  Nobis Te invideat deus.
Tv firmum columen praesidiumque eras,
  Praesens auxilio gravi,
Quo quamvis dubiis rebus et asperis
  Staret nostra sodalitas,
Floreretque bonis inclita legibus;
  Idem scita patrum sacra
Suspensis manibus tangere providus.

ALEXANDRO
RVSSORVM
IMPERATORI AVGVSTISSIMO
LIBERATA EVROPA
REDVCI
LITTERARVM
IN VNIVERSITAE LIPSIENSI
CVLTORES
M. IVL. A. DOM. cIↄIↄcccxiv.

Non ante visis ausibus addita
Mosquae vetustis plurima Pergamis
Quum flamma regales per arces
Corriperet laqueata tecta,

Exarsit acri vulnere percita
Mens alta magni CAESARIS, et, satis,
Dixit, ruinarum: severus
Vltor ero scelerisque vindex.

Hinc excitatas horrida vidimus
Ad bella gentes confluere undique,
Durisque permixtos Gelonis
Ire sagittiferos Bechiras,

Teque, o nivalem qui Tanain bibens,
Confisus hastae cuspide, caetera
Securus, effusis iubatum
Certus equum moderare frenis.

Venit Borussus, nec patiens morae
Alta repostas mente resuscitat
Iras, et omnes arma clamant,
Arma gravi metuenda Gallo.

Venere ab Istri flumine Martium,
Longa subacti militia, genus;
Ensemque commutans aratro
Boius habet nova miles arma.

Quin transmarinas iungere maximo
Ardens duello Suecia copias
Venit: fatigatumque frangunt
Cladibus assiduis tyrannum.

Eheu, rubentes sanguine vidimus
Vndas Elystri: vidimus improbam
Stragem, et cruentis sparsa campis
Corpora et exuvias virorum:

Quum victus hostis cessit, et omnibus
Clarata saeclis Lipsia liberae
Princeps, io, dixit, triumphe
Teutoniae, cupidusque Saxo

Mutavit hostem, signaque contulit
Infesta Gallis. Vnde ferocior
Bellona iam torquet flagellum, et
Cum Bavaro parat arma Suevus.

Iamque et Batavi proelia concitant,
Et roboratos Marte Britannico
Dux magnus invictos Iberos
Laude iubet cumulare laudem.

Quid multa? Sensit milite barbaro
Devictus audax accola Sequanae,
Iramque divorum pavescens
De patriis trepidavit arvis.

Sed stans sua vi vera potentia
Spernit, quod ultra iustitiam est, neque
Permittit insontem malorum
Non meritas tolerare poenas.

Dicende seris magne nepotibus
Tv, mite, Caesar, consilium probas,
Et pristinos reges avito
Restituis revocasque regno.

Idem, scelesto quum furor hosticus
Teneret igni moenia Lipsiae,
Lenis pepercisti novenis
Laedere templa sacrata Musis.

Quin et potentem consilio virum,
Qui dira belli Saxonibus mala
Levare curaret, dedisti,
Praesidium o columenque nostrum.

Vnum precamur: restituas Patrem,
Reddasque nobis, hei nimium diu
Desideratum, quem fideli
Corde memor populus requirit.

IN REDITV

FRIDERICI AVGVSTI

PATRIS PATRIAE

LITTERARVM CVLTORES

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

MDCCCXV.

Tandemne caelo candidum tollis iubar,
  Desiderata lux diu?
Tandemne REGEM Saxones vident suum,
  Domumque priscam principum?
Longo timore dubia vix credunt sibi
  Contrita corda civium,
Dum triste sensim rumpitur silentium,
  Laetaeque voces perstrepunt.
Ergo ipse coram fidus ad fidus redux,
  Desiderate REX, ades?
Desiderate, pectoris quantum intimi
  Non ulla vis effabitur.
Hei gravia multa, multa perpessu aspera
  Cives fatigarunt TVOS:
At illud ante cuncta praepotens malum,
  TE cernere ereptum sibi,

Germanicorum principum priscum genus,
Caris amatum civibus.
Sed dum ipsa Clio non fugit laurum sibi
Deripere venali manu,
Tv, semper idem, fortis extremum pati,
Rex esse facto comprobas,
Indigna digne perferens; quidvis magis,
Quam facere, quod nefas, amans;
Quantoque gravior diritas urget mali,
Tanto Ipse maior eminens.
Vnde omne in aevum mentis excelsae manet
Dicenda laus nepotibus.
Ergo, Pater, salvere Te iubent Tui,
Gens universa Saxonum:
Ardet iuventus, et viri fervent, senes
Novis calescunt gaudiis;
Ducunt choreas virgines, matres manu
Regem tenellis indicant.
Illi quoque ipsi, saeva quos necessitas
Regno revellit a Tuo,
Gaudent reversum, et cum dolente pectore
Amica vota nuncupant.
Quid? nostra turbae mixta gratanti manus
Num segnius fundat preces,
Qui redditum Te, redditum nobis quoque
Laetamur imis cordibus?
Tv nos benigna mente, Rex, Pater bone,
Vti solebas, respicis:
Tv nos tueris, Tv potens servas Tuae
Phoebea templa Lipsiae.
Tuere porro deditum hunc chorum Tibi,
Defensor et praeses gravis,
Sempervirenti cana grandaevus senex
Lauru decorus tempora.
Fatis reguntur caetera. In caelo deus
Aequa movet sortes manu,
Adversa faustis temperans, atque e malo
Solamen excitans mali,

Nunc erigens collapsa, nunc stantem gravi
Citus ruina perdere,
Virtutis altor et stator: sed impiis
Vltor trisulco fulmine.

INDEX GRAECVS.

INDEX LATINVS.

INDEX SCRIPTORVM.

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOLVMEN SECVNDVM.

LIPSIAE, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM

1827.



INDEX OPVSCVLORVM.

pag.

DE ARGVMENTIS PRO ANTIQVITATE ORPHEI ARGONAVTICORVM MAXIME A KOENIGSMANNO ALLATIS DISSERTATIO *).

Quum ante hos quinque annos carmina, quae Orpheo 3 adscribuntur ederem, in eo potissimum elaborabam, ut Argonautica multo, quam quibusdam visum erat, recentiora esse ostenderem. In quam rem iis utebar argumentis, quae quod ex mutationibus deprompta essent, quas epica Graecorum poesis paullatim subiisset, omnium videbantur certissima esse. Praevideri tamen poterat, fore nonnullos, quibus hoc genus demonstrationis non satisfaceret. Nam et in multas partes diffusum est, et sensu quodam indiget e diligenti earum rerum observatione nato, ad quas plerique ne attendere quidem solent. Fuit autem eorum, qui dissentirent, primus Io. Henr. Vossius: quem tamen ego nihil moror. Neque id periti quidem mirabuntur. Mox a. cIↃIↃcccvi. Huschkius, vir ingenio pariter ac doctrina excellentissimus, Rostochii edidit dissertationem de Orphei Argonauticis, in qua etsi ille hoc tantum egit, ut carminis istius scriptorem contra Schneideri criminationes defenderet, ipse quid de eius aetate sentiret, studiose celans, tamen non est obscurum, non-

*) Edita est a. 1811.

nihil distare eius sententiam ab ea, quae a me est defensa. Quidquid vero eum moverit, ut aliter statuendum putaret, illud certe non temere videor colligere, aliquid apud eum Draconis Stratonicensis auctoritatem valuisse, cui Ruhnkenius quoque tantum tribuebat, ut hoc teste antiquitatem istius poetae satis evinci arbitraretur. Ac mihi quidem, quum dissertationem de aetate Orphei Argonauticorum scriberem, non viso Draconis libello, non licebat ulterius progredi, quam ut istud testimonium, quod mirifice refragatur iis rationibus, quas ipsum carmen suppeditabat, suspectum reddere conarer. Postea contigit mihi apographum nancisci istius libelli, quod ne quis forte, ut fit, non integrum aut parum fideliter descriptum putet, sponsorem habeo omnium maxime idoneum, Bastium, virum celeberrimum, qui rogatu meo codicem 4 Parisiensem ea, qua solet, diligentia, contulit. Nihil enim omittendum putabam, quo mihi plane constaret, quid sentiendum de isto Draconis libro esset. Ac tantum abfuit, ut me poeniteret, fidem eius, certe quod ad Orpheum attinet, in dubitationem vocasse, ut, quo magis librum considerarem, tanto magis suspicionem meam confirmari intelligerem. Quin nuper Haasius, vir doctissimus, vel in parte illa commentationis, quam de hoc Draconis libro in Notitiis et Excerptis MSS. bibliothecae Imperialis T. VIII. part. II. p. 33—77. edidit, nonnulla commemoravit, quae faciant, ut assensionem peritorum iudicum haud difficulter mihi videar impetraturus esse. Sic autem sentio, librum istum de metris poetarum, non talem, qualem Draco eum ediderat, sed ab aliis interpolatum ad nos pervenisse, ac fortasse ne integrum quidem. Quam usitatum enim fuerit, scripta grammaticorum in compendium redigi, inserique rursum excerpta ex aliorum libris grammaticorum, neminem fugit. Quin quae ad nostram aetatem pervenerunt, grammaticorum scripta pleraque ex huiusmodi compendiis excerptisque enata sunt. Draconis quidem liber utrum integer sit, an, quod nondum viso suspicabar, epitome, nunc non quaeram. Illud certe non poterit afferri, quod, quum scholiastes He-

phaestionis in ed. Flor. allatus a Dorvillio in Vanno crit. p. 418. post verba p. 3. ed. Turn. et Pauw. *διὰ τοῦ ὅτερος καὶ ὅτατος*, addat, *διαλαμβάνει περὶ τούτων ὁ Δράκων ἐν τῷ περὶ μέτρων πλατύτερον μετὰ πολλῆς τῆς ἀκριβείας, καὶ ὁ βουλόμενος ἐκεῖθεν σαφῶς εἴσεται*, nihil de formis *ὅτερος* et *ὅτατος* in Draconis libro reperitur. Nam scholiastae istius adnotatio non ad has formas, sed ad nomina vocalem ancipitem habentia, quae ante ab eo enumerata erant, spectat, de quibus sane uberius disserit Draco. Potius ex isto scholiastae testimonio colligi posset, aut illi epitomen Draconis ante oculos fuisse, aut, qui in cod. Parisiensi est Draconis liber, multis additamentis esse auctum. Scribit enim scholiastes: *τὰ δὲ σεσημειωμένα ἐν τοῖς βραχέσι μακρὰ τῶν φωνηέντων, ἃ καὶ χωρὶς δύο συμφώνων καὶ διπλῶν ἐκτείνονται, ταῦτά εἰσι κατὰ στοιχεῖον.* Atqui, quae deinde vocabula ponit, eorum aliquanto maiorem numerum apud Draconem invenimus. In fine tamen Draconis liber non videtur integer esse, ipsis extremis verbis arguentibus: *νῦν δὲ σαφέστερον καὶ διὰ διαγραμμάτων ἐκθήσομαι, ἵν' ἔχῃς ῥᾷον ἐξεπίστασθαι.* 5 Sed utcumque haec se habeant, satis erit, si interpolatum esse ostendero. Ac non urgebo, quod nonnulla praeter necessitatem ipsis verbis repetuntur: satis enim manifestum est, librum istum fere totum ex aliorum scriptis grammaticorum, maximeque Herodiani, decerptum esse. Illud vero gravius est, quod non pauca ille continet, quae aut ita referuntur, quemadmodum ab antiquo quidem et docto grammatico referri vix poterant, aut tam falsa sunt, ut non videantur grammatico imputari posse, qui quum, Eudocia p. 134. et Suida testibus, praeter alia de Pindari et Sapphus metris, deque Alcaei carminibus scripserit, satis debuerit poetarum lectione exercitatus esse. Prioris generis hoc exemplum apponam: *λιμός· ἡ παραλήγουσα ἐκτείνεται· πανταχοῦ γὰρ ἐκτεινόμενον εὗρον.* Horum ultima, quae quasi dubitantis verba sunt, quis credat a docto esse peritoque grammatico scripta, quem fugere non potuisset, id esse certissimum? Alterius generis haec duo exempla promam. *Δία,*

ἡ νῆσος, ἧς τὸ ια ἐκτεινόμενον εὑρίσκεται· εὑρίσκεται δὲ συνεσταλμένον παρὰ ποιηταῖς, ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ λόγῳ συνιζήσεως·

ἐν Δίᾳ λασθῆμεν καλλιπλοκάμου Ἀριάδνης.

Et: *κύτισσος· τὸ υ ἐκτεταμένον φαίνεται παρ' αὐτῷ,*

αἲξ τὸν κύτισσον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

Nam quis sibi persuadeat, veterem doctumque grammaticum tam corruptis Theocriti codicibus usum esse, quum nunc isti versus, **II. 46. X. 30.** in omnibus libris emendati exstent? Haec igitur non dubium videtur quin additamenta sint recentiorum grammaticorum: qui quae sibi in suis codicibus occurrebant, ad marginem Draconei libri adnotabant, quo vel corrigerent, quae hic dixisset, vel etiam confirmarent. Hoc si in his locis factum est, quid impedit, quo minus etiam in illis factum statuamus, in quibus Orphei mentio fit? Atque operae pretium est, hos ipsos locos considerare diligentius. Igitur Draco quum in vocabulo *Θέμις* regulas exposuisset, secundum quas genitivorum in *ιδος* desinentium alii producerentur, alii corri-6perentur, ita pergit: *οἱ ποιηταὶ δὲ η προςτιθέντες διὰ τὸ μέτρον συστέλλουσι τὸ ι, ποταμηΐδος, πηγασηΐδος λέγοντες ὅθεν καὶ Ὀρφεὺς ἐν Ἀργοναυτικοῖς,*

λαιψηροῖσι πόδεσσιν ὑπὲρ παγασηΐδος ἀκτᾶς,

ἀντὶ τοῦ παγασίδος. Easdem regulas iisdem plane verbis, si a levissimis quibusdam mutationibus discesseris, tamquam *τῶν λογιωτέρων* sententiam exhibet in tertio grammaticae libro Constantinus Lascaris, homo diligentissimus, cuius grammatica, de qua etiam praestantissimum Heerenium iniquius iudicare miror, ob id ipsum plurimi facienda est, quod bona eius pars ex Herodiani aliorumque scriptis grammaticorum collecta est: permultaque in ea reperiuntur, quae totidem verbis a Dracone adnotata sunt, cuius quidem librum an cognitum habuerit Lascaris, incertum est, quum, ubi grammaticos enumerat, e quorum scriptis hauserit, in hoc genere, quod metra et mensuram syllabarum complectitur, praeter He-

phaestionem nihil nisi *τὰ περὶ μέτρων διάφορα* nominet. Hic igitur Lascaris in sola Orphei commemoratione longius a Draconis verbis recedit. Sic enim scribit: *οἱ ποιηταὶ δὲ* (adde *τὸ η*) *τούτοις προστιθέντες, διὰ τὸ μέτρον συστέλλουσι τὸ ι, ποταμηΐδος, Παγασηΐδος λέγοντες· ὅθεν καὶ τὸ ἐν Ἀργοναυτικοῖς ἐκεῖνο Ὀρφικὸν ἔπος,*

λαιψηροῖσι πόδεσσιν ὑπὲρ Παγασηΐδας ἀκτάς,

ἀντὶ τοῦ Παγασίδας. Quorsum haec valeant, intelligetur postea. Nunc alteram Orphei mentionem, quae apud Draconem est, afferam. Nam in v. *Φόρκυνος* sic scribit: *Φόρκυνος τὸ κυ ἐκτείνει· αἱ γὰρ γενικαὶ αἱ διὰ τοῦ νος ὑπὲρ δύο συλλαβὰς ὑπάρχουσαι, εἰ παραλήγοιντο τῷ υ, ἐκτεταμένῳ παραλήγονται, οἷον Φόρκυνος, πόλτυνος· τὴν δὲ ὀνομαστικὴν συστέλλεσθαι βούλεται Ἡρωδιανός, καὶ οὕτως εὑρήσεις παρὰ ποιηταῖς· Ὀρφεύς,*

Πρωτέα καὶ Φόρκυνα καὶ εὐρυβίην Τρίτωνα,

καὶ παρ' Ὁμήρῳ ἐν τῷ τῆς Ὀδυσσείας ά,

Φόρκυνος θυγάτηρ, ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος,

καὶ αὖθις ἐν τῷ γ' τῆς αὐτῆς,

Φόρκυνος δέ τίς ἐστι λιμὴν ἁλίοιο γέροντος,

τὸ δὲ Φόρκυς Φόρκυος τὸ δίχρονον βραχύ· τὰ γὰρ εἰς ῡς λήγοντα βραχὺ τὸ δίχρονον ἔχουσι, ὅθεν καὶ Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ συνέστειλεν·

Φόρκυϊ δ' αὖ Κητὼ Γραίας τέκε καλλιπαρήους·

Cum his ante quam Lascaris verba comparabo, alium afferam Draconis locum in v. *Γόρτυν· Γόρτυν*, inquit, *τὸ υ μακρόν· τὰ γὰρ εἰς υν σπάνια ὄντα θηλυκὰ μακρὸν τὸ υ ἔχει, ὡς καὶ τὰ ἀρσενικά, οἷον Γόρτυν, Γόρτυνος· ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἐν μὲν τῇ ὀνομαστικῇ, μόνον εἶναι βραχύ φησιν, ἐν δὲ ταῖς πλαγίαις μακρόν· δοκεῖ δὲ οὕτω παρὰ ποιηταῖς εὑρίσκεσθαι. Ὅμηρος Ὀδυσσείας γ'.*

ἐσχατιῇ Γόρτυνος ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ.

καὶ αὖθις, Διονύσιος.

πὰρ δ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρώτιδα Φαιστόν.

Postrema haec Lascaris ita habet: *τὰ εἰς υν θηλυκὰ σπάνια ὄντα, προςθέσει τοῦ ος ποιοῦσι τὴν γενικὴν, ὁμοίως τοῖς ἀρσενικοῖς μακρὸν τὸ υ ἐν ταῖς πλαγίαις φυλάττοντα, οἷον ἡ Γόρτυν, τῆς Γόρτυνος.* Reliqua apud eumdem sic scripta sunt: *τὸ δὲ υς, οἱ μὲν, μακρόν, οἱ δὲ, βραχὺ ἀεὶ ἐνόμισαν· ὁ δὲ σοφὸς Ἡρωδιανὸς, ἐν μὲν τῇ ὀνομαστικῇ, μόνον εἶναι βραχύ φησιν, ἐν δὲ ταῖς πλαγίαις, μακρόν, ὅπερ ἡ χρῆσις τῶν ποιητῶν ἐκβεβαιοῖ· ὁ γὰρ παλαιὸς ἐκεῖνος Ὀρφεὺς ἐν Ἀργοναυτικοῖς οὕτω φησί,*

Πρωτέα καὶ Φόρκυνα καὶ εὐρυβίην Τρίτωνα,

οὕτως ὁμοίως καὶ ὁ ποιητὴς ἐν τῷ ά τῆς Ὀδυσσείας,

Φόρκυνος θυγάτηρ, ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος,

καὶ πάλιν ἐν τῷ ν́ τῆς αὐτῆς,

Φόρκυνος δέ τίς ἐστι λιμὴν ἁλίοιο γέροντος,

καὶ ἐν τῷ γ′ τῆς αὐτῆς,

ἐσχατιῇ Γόρτυνος ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ.

καὶ Διονύσιος ὁ περιηγητής,

πὰρ θ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρώτιδα Φαιστόν.

8*τοῦ δὲ Φόρκυς, Φόρκυος, τὸ κυ, βραχύ· τὰ γὰρ εἰς υς, βραχὺ τὸ δίχρονον ἔχουσιν· ὅθεν καὶ Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ,*

Φόρκυϊ δ' αὖ Κητὼ Γραίας τέκε καλλιπαρῄους.

Apertum est Lascarin multo accuratius, quam Draconem Herodiani sententiam retulisse. Neque enim dubitandum videtur, quin Herodianus, quum *υ* in nominativo breve esse doceret, de masculinis in *υς*, non de femininis in *υν* terminatis loquutus fuerit. Sed hoc obiter. Nunc quaeram, cuinam istae Orphei citationes debeantur. Vtrumne Herodiano? Mirarer sane, si hic ad Orpheum confugisset, ubi Homerum aliosve bonos auctores commemorare satis erat. An Draconi? Hoc quoque mirarer, et professus sum iam in dissertatione de aetate Argonauticorum.

Ergo Lascari? Hoc vero non miror. Nam unus omnium grammaticorum Lascaris saepe Orphei auctoritate utitur, ut par erat admiratorem carminis ab se primo e situ et tenebris in lucem protracti. Memorabilis est locus, in quo de ea re scribit: ἡ δὲ ποίησις τοῦ Ὁμηρικωτάτου Κοΐντου ἤδη πολὺν χρόνον πᾶσιν ἄγνωστος ἦν καὶ οἷον ἠφανισμένη· ὁ δὲ θεοσεβέστατος Βησσαρίων ὁ Νικαίας, καρδινάλις Θουσκουλάνου, ὁ πάντ᾽ ἀγαθὸς καὶ ὄντως σοφὸς, καὶ, ἵν᾽ Ὁμηρικῶς εἴπω, ἰσόθεος φώς, ἄλλα τε πλεῖστα ἐφ᾽ ἡμῶν, καὶ ταύτην ἐξ Ἀπουλίας ἀνασώσας, τοῖς βουλομένοις μετέδωκεν, ἣν καὶ αὐτὸς πάλαι μὲν ἐπόθουν, νῦν δὲ ἀγαθῇ τύχῃ κτησάμενος, δημοσίως ἀναγνώσομαι μετὰ τὰ Ἀργοναυτικὰ τοῦ σοφοῦ Ὀρφέως, ἃ δὴ πάλαι κατημεληθέντα, μόλις ποτὲ αὐτὸς ἐν Μεδιολάνῳ εὑρὼν σεσηπότα, ἐκγράψας τε, καὶ τοῖς ἄλλοις μεταδοὺς, δημοσίως ἀναγινώσκω, πολλῶν καὶ λογίων νέων φοιτώντων· καὶ νῦν ἐς τὰ ἔσχατα τῶν δυστυχῶν Ἑλλήνων ἀνεβίω ὁ ἠγνοημένος ἐκεῖνος Ὀρφεύς. Poterat hic locus I. M. Gesnerum, si is eum cognitum habuisset, revocare ab his, quae parum considerate ab eo scripta Hambergerus in praefatione ad Orpheum retulit. Sed idem locus fugit etiam Fabricium, Harlesium, et nuper Tychsenium. Iam vix opus est, ut explicatius dicam, quo mea inclinet sententia. Nam si Draconis locos, in quibus Orpheum affert, ignoraremus, quis esset, quin Lascarin istos versus primum commemorasse crederet? Nunc quum etiam in Draconis libro eos legi novimus, utrumne, quem nullus veterum grammaticorum citaverit, hunc a Dracone auctorem adhibitum esse, et quidem in rebus, quae aliis 9 et locupletioribus testibus constabant, censebimus, an hoc quoque fieri potuisse fatebimur, ut illo tempore, quo recens erat reperto omnium scilicet antiquissimo scriptore gaudium, insererentur Draconis libro tanti scilicet ponderis testimonia? Vnum addo, codicem Draconis eo tempore scriptum esse, ut scribi ab aliquo Lascaris auditore potuerit, postquam Orphei codicem repererat Lascaris, quem Mediolani sedem habuisse ab anno cIↃCCCCLIV ad annum CIↃCCCCLX homines docti ostenderunt.

Haec quidem propter Huschkium. Nuper vero alius exortus est Orphei defensor, Bern. Ludov. Koenigsmannus, Athenaei Flenopolitani rector, qui superiore anno Slesvici edidit dissertationem de aetate carminis epici, quod sub Orphei nomine circumfertur. Hic quidem hoc carmen post Nicatorem Seleucum et Antiochum Soterem, sed ante Apollonium atque Eratosthenem, ideoque Ptolemaei Philadelphi temporibus scriptum esse, primo geographicis rationibus, deinde ex eo, quod Apollonius Orpheum imitatus sit, denique ex oratione Orphei demonstrare conatus est. Quod ille quo successu fecerit, paucis declarare animus est. Et regionum qnidem notitiam, quarum mentionem facit Orpheus, tanto magis miror a Koenigsmanno ad hanc disputationem adhibitam esse, quod hoc totum argumentorum genus, si quis eo antiquitatem scriptoris probare vellet, a me prorsus reiectum erat. Sic enim comparata est haec omnis ratio, ut quam recens sit aliquis scriptor, probare possit, non item, quam sit antiquus: quod nondum reperta scire nemo potest; reperta autem vel ignorare, vel notitiam eorum dissimulare potest quivis, praesertim poeta, isque et antiquissimi scriptoris personam mentitus, et ea tantum referens, quae prius ab aliis tradita erant. Quodsi ea omnia, quae Koenigsmannus magno cum doctrinae apparatu de locorum situ, quorum fit mentio in Orphei Argonauticis, disseruit, ut frustra disputata, prorsus praeteriero, non est mihi verendum, opinor, ne detrectare magis harum rerum pervestigationem, quam refutare eum velle videar. Ac sane quum duas partes habeat eius disputatio, unam, 10 qua usque ad p. 26. docet, Orpheum post Pytheam Massiliensem vixisse, alteram, qua efficere studet, ut eum Eratosthene iuniorem esse credamus, de priore parte facile intelligitur, nihil esse, quod cum eo disceptem: quamquam non laudo, quod quum Andr. Schottus in Orphei v. **1164**. Gesn. corruptam lectionem *νήεσσιν ἐριννύσιν* optime in *νήσοισιν Ἰερνίσιν* mutasset, ipse insigni audacia *νήσοισι Βρεταννίσιν* scribendum putat: de altera vero parte, quae versatur in eo, ut ex silentio Or-

phei eum ante Eratosthenem vixisse concludatur, non magis habeo quod afferam, nisi quod iam dixi, nullam vim esse in hoc argumento. Illud tamen non est praetereundum, quod parum circumspecte dictum est a Koenigsmanno, Orpheum, si post Eratosthenem vixisset, quos Latinos vocat, huius exemplo Romanos appellaturum fuisse. Nam hoc quidem latere istum Argonauticorum scriptorem non potuit, si pro antiquo illo Orpheo haberi vellet, non esse populum nominandum, quem diu post Orpheum originem cepisse neminem fugeret.

Sed mittamus haec, et videamus, quomodo Koenigsmannus Orpheum ante Apollonium fuisse demonstret. Ac primo hoc ille agit, ut multa apud utrumque scriptorem aut iisdem aut valde similibus verbis expressa esse ostendat. Hoc quidem per se nullam vim habet: nam si uterque *πόντοιο διὰ στόμα καὶ διὰ πέτρας κυανέας* et similia posuit, (ita enim, quo magis consentiant, scribit Koenigsmannus etiam apud Orpheum, apud quem *πορθμοῖο* legitur) uter utrum imitatus sit, aliis rationibus efficiendum est. Hoc vero sic facit Koenigsmannus, ut Orpheum interdum reprehendi et corrigi ab Apollonio demonstret. Quod ut ita sit, non tamen continuo evicerit, Orpheum Apollonio antiquiorem esse. Potuit enim Apollonius etiam illos reprehendere, quos auctores multo post Orpheus sequutus est. Sed operae pretium est, accuratius hos locos considerare, quibus Koenigsmannus opinionem suam firmari putat. Quorum statim primus magnopere vereor ne contrarium arguat. Orpheus v. 490. Gesn. scribit:

γλαυκώπιδι Τριτογενείῃ
θῆκαν ἀείραντες βριθὺν λίθον.

Apollonius vero de eadem re I. 955.

κεῖσε καὶ εὐναίης ὀλίγον λίθον ἐκλύσαντες 11
Τίφυος ἐννεσίῃσιν ὑπὸ κρήνῃ ἐλίποντο,
κρήνῃ ὑπ' Ἀρτακίῃ· ἕτερον δ' ἕλον, ὅςτις ἀρήρει,
βριθύν· ἀτὰρ κεῖνόν γε θεοπροπίαις Ἑκάτοιο

Νηλεΐδαι μετόπισθεν Ἴάονες ἱδρύσαντο
ἱερόν, ᾗ θέμις ἦεν, Ἰησονίης ἐν Ἀθήνης.

Iam Orpheus, qui non dicit, unde iste sumptus fuerit lapis, si parvum dixisset, profecto ineptissimus fuisset. Nam quae diis consecrantur, aliqua certe re memorabilia sint necesse est. Atqui lapis magnitudine exiguus, pondere levis, monimentum fuisset tanto magis ridiculum, quod a viris robore et virtute excellentissimis consecrabatur. Hoc intelligere debebat etiam Apollonius, qui si Orpheum reprehendisset, quod is grave saxum memorasset, multo magis ipse ob istam reprehensionem fuisset reprehendendus. Tantum vero abest, ut id voluerit, ut magis confirmet Orphei narrationem. Nam quum eum lapidem *ὀλίγον λίθον* vocat, non voluit exiguum intelligi, sed non satis gravem, ut ancorae instar esse posset. Itaque hoc dicit, lapidem, magnum quidem et gravem, ut qui pro ancora eo usque fuisset, sed non satis tamen idoneum ad navem Argo retinendam, solutum ab rudente et ad Artacium fontem ab Argonautis relictum esse, graviore lapide ad ancorae officium adhibito. Itaque si hic alter alterum reprehendit, non Apollonius Orpheum, sed Orpheus vituperavit Apollonium. Nam Apollonius, id quod modo vidimus, non negat, gravem fuisse lapidem istum, quippe quem pro ancora usurpasse Argonautas scribat. Orpheus vero si quaeras cur aliter istam rem, quam Apollonius narraverit, quid aliud respondeamus, quam displicuisse ei ineptum hoc commentum, quo Argonautae, tam longum et periculosum iter molientes, non recte ancorae prospexisse dicerentur?

Secundus Orphei locus, quo Koenigsmannus sententiam suam tueri studet, hic est v. 859.

Φρίξου παῖς, ὅν οἱ ἔτικτεν
Χαλκιόπη· τῷ γὰρ παρελέξατο πατρὸς ἐν οἴκῳ,
ἡνίχ᾽ ὑπὲρ νώτων κριοῦ Κόλχοισι πελάσθη·

12 et mox v. 869.

τετραγύῳ θέμενος σπόρον αὔλακι, τόν ῥ᾽ ἐκόμισσεν

Φρίξος ἐϋμμελίης, ὅτ' ἔβη δόμον Αἰήταο,
ἕδνον, Ἐνυαλίοιο δρακοντείων ἀπ' ὀδόντων.

Dotem pro filia datam esse Aeetae, studiose negare dicit Apollonium II. 1149.

καί μιν ἔδεκτο
Αἰήτης μεγάρῳ, κούρην τέ οἱ ἐγγυάλιξεν
Χαλκιόπην, ἀνάεδνον, ἐϋφροσύνῃσι νόοιο.

Hic primum quaero, si alter ait datam esse dotem, alter negat, an propterea alter alterum reprehendere debuerit: quaero etiam, uter utrum reprehenderit: nam verbis eorum nihil aliud effici video, quam aut diversis eos auctoribus fidem habuisse, aut utrumque rem, ut sibi placebat, narrasse. Sed debebat Koenigsmannus alium addere Apollonii Rhodii locum, III. 176. ubi is Aeeten dentes Draconis non a Phrixo, ut Orpheo placuit, sed a Minerva accepisse scribit:

πόρε δέ σφιν ἰοῦσιν
κρείων Αἰήτης χαλεποὺς ἐς ἄεθλον ὀδόντας
Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ
Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανεν,
πέφνεν, Ἀρητιάδι κρήνῃ ἐπίουρον ἐόντα.
ἔνθα καὶ ἐννάσθη, πομπῇ βοός, ἥν οἱ Ἀπόλλων
ὤπασε μαντοσύνῃσι προηγήτειραν ὁδοῖο.
τοὺς δὲ θεὰ Τριτωνὶς ὑπὲκ γενύων ἐλάσασα,
Αἰήτῃ πόρε δῶρον ὁμῶς, αὐτῷ τε φονῆϊ.

Nunc vero rectius quaerere licebit, uter utrum reprehenderit. Non sane Apollonius Orpheum, qui quum dentes draconis a Phrixo Thebis asportatos, Aeetaeque dotis loco datos esse narrasset, nihil retulerat, quod non esset verisimile. Ab Apollonio autem Orpheus ut discederet, in ipsa Apollonii narratione caussam inveniebat satis idoneam. Neque enim hoc probabilem veri speciem habet, quod Apollonius, ut ostenderet, quomodo Aeetes dentibus illius draconis potitus esset, partem eorum a Minerva ei 13 datam scribit, quae cur non omnes Cadmo, qui draconem occiderat, dedisse dicatur, nulla ratio apparet, ut

non sit mirum, si quis hoc inepte ab Apollonio fictum contendat.

Non rectius de tertio Orphei loco sentire videtur Koenigsmannus. *Orpheus*, inquit, *Iphiclum*, *avunculum Meleagri*, *huius magistrum perhibuerat v.* 160. *seqq. Quid hic*, ait, *Apollonius? Nempe rectorem Meleagro additum fuisse observat Laocoontem; Iphiclum vero itineris comitem ei exstitisse.* Nihil amplius. Siccine ergo se effecturum putabat, ut Orpheum ab Apollonio correctum esse cuiquam persuaderet? Pene crediderim consulto eum verba utriusque poetae non adscripsisse. Nam Apollonius I. 193. quum scriberet,

τὸν μὲν ἄρ' Οἰνεὺς
ἤδη γηραλέον κοσμήτορα παιδὸς ἴαλλεν,

videri debebat aliquid detrahere Meleagro, si ei rectorem et quasi paedagogum adderet. Hoc igitur Orpheum movere potuit, ut is Iphiclum diceret Meleagri magistrum fuisse, et iis quidem verbis, quae omnem reprehensionem aspernarentur:

πέρι δ' αὖ τίεν ἔξοχα πάντων
εὐειδῆ Μελέαγρον, ἰδ' ἀγλαὰ ἔργ' ἐδίδασκεν.

Iam fac Apollonium ab Orpheo discedendum putasse. Ita profecto is corrector habendus esset, qui bona in dete rius mutaret.

Vltimus locus, quem Koenigsmannus affert, insigni potest documento esse, quam caute in hoc genere procedendum sit. *Orpheus*, inquit, *v.* 202. *seq. Nauplium Agonautam ediderat Neptuni et Amymones filium. In quo unum ex maioribus eius cum ipso confundit. Apollonius igitur*, *ut utrumque diversum esse ostendat*, *totum minoris Nauplii genus ad antiquiorem usque operose enumerat*, I. 134—138. Miror equidem, quid sit, quod non ipsa utriusque poetae verba apposuerit, quae

gravius etiam pondus opinioni eius additura fuissent. Sic igitur Orpheus:

Ναύπλιος αὖθ᾽ ἵκανεν, Ἀμυμώνης φίλος υἱός,
ὃν τέκεν εὐνηθεῖσα περικλυτῷ Ἐννοσιγαίῳ,
ἀγλαὸν ἠνορέην, δέμας εἴκελον ἀθανάτοισιν.

Apollonius vero: 14

τῷ δ᾽ ἔπι δὴ θείοιο κίεν Δαναοῖο γενέθλη,
Ναύπλιος· ὃς γὰρ ἔην Κλυτονήου Ναυβολίδαο·
Ναύβολος αὖ Λέρνου· Λέρνον γε μὲν ἴδμεν ἐόντα
Προίτου Ναυπλιάδαο· Ποσειδάωνι δὲ κούρη
πρίν ποτ᾽ Ἀμυμώνη Δαναῒς τέκεν εὐνηθεῖσα
Ναύπλιον, ὃς περὶ πάντας ἐκαίνυτο ναυτιλίῃσιν.

Manifestum sane est, reprehendi hic ab Apollonio quempiam, qui Nauplium Argonautam Neptuni et Amymonae filium perhibuisset. At hoc non eo valet, ut hic, quem notare voluerit Apollonius, Orpheus esse censendus sit. Nam etiam alii ante Apollonium de expeditione Argonautarum scripserant, de quibus disseruit Groddeckius in bibl. vet. litt. et art. part. II. p. 70. seqq. Vide etiam Fabric. bibl. Gr. ed. Harles. vol. II. p. 264. s. At, inquies, si Orpheus post Apollonium fuisset, non potuisset errorem committere, tam luculenter ab Apollonio et notatum et correctum. Itane vero? Quid igitur de Hygino statuamus, qui ipse hunc Nauplium, Argonautam, e Neptuno et Amymona natum refert p. 45. non memorato dissensu Apollonii. Atqui hic ante oculos se habuisse Apollonium, paullo ante, p. 43. profitetur, ubi scribit: *Telamon Salaminam, quam Apollonius Rhodius Atthida vocat.* Et Orpheo, ut poetae, licebat narrare, quod ipse probabilius putaret: Hyginum, enarratorem rerum mythologicarum, veritatem sectari, quantum fieri poterat, dissensumque scriptorum adnotare oportebat. Hoc si reputasset Koenigsmannus, ipse, puto, aliam amplexus esset sententiam. Etenim ex isto Hygini silentio hoc videtur colligi debere, Apollonium non alium quam semet ipsum correxisse, et quum in priore Argonauticorum edi-

tione Nauplium Argonautam Neptuni et Amymonae filium vocasset, in secunda mutatae sententiae rationes exposuisse; Hyginum autem, pariterque Orpheum, prima tantum Apollonii editione esse usos, ideoque, quum correctionem postea factam ignorarent, ne potuisse quidem Nauplium istum ab aliis parentibus, quam Neptuno et Amymona ortum perhibere. Vtramque autem Apollonii 15 editionem aliquamdiu exstitisse, ita ut in secundam, quam nos habemus, aliquot ex prima versus ab iis, qui eam cum altera comparabant, inferrentur, satis docuit Ruhnkenius in epist. crit II. p. **190.** seqq.

Iam igitur eo perventum est, ut sola supersit illa disputatio, qua Koenigsmannus orationem quoque Orphei consectatus est. Vellem sane, abstinuisset vir doctissimus ab hoc argumento, cui tractando si se parem ostendere vellet, non debebat p. **5.** et **36.** *ὄχθησι* in *ὄ̈χθησι* mutare; non debebat p. **40.** *φθίτοισι* prima producta, p. **50.** *χ᾽ ἅμα* pyrrhichium pro *καὶ ἅμα*, p. **51.** *βοόκολος*, idque secunda longa commendare; non debebat hexametros in medium proferre, quales p. **32.**

ἀλλὰ τάδ᾽ ἂν πολλὰ καὶ ἐξύστερον αὖτις ἀκούσαις,

et p. **35.**

μαρναμένοις ἐπιθῆσθε, κ᾽ ἀποφθίσειν μένος ἀνδρῶν
ἔλπησθ᾽,

et p. **36.**

ἡμετέρῃ, τότε νῆα κατὰ 'φιγμένοισιν ἑάφθαι.

non debebat assensum cuiusquam sperare, quum in hoc ipso versu *κατὰ νῆα* *ad navem* significare contenderet, aut similia vel magis etiam inaudita p. **36. 54.** et alibi, comminisceretur; ut mutationes non necessarias taceam, quas in plurimis Orphei locis faciendas esse censuit; parcere denique etiam aliis scriptoribus debebat, ut Timaeo Siculo p. **14.** Herodoro p. **21.** Straboni p. **23.** Apollonio p. **29. 30.** neque sinceras eorum lectiones tam dura

manu exulcerare: quae omnia quis ei condonabit, qui vel leviter Graecas litteras attigerit? Sed mittam haec: modo attulisset, quo id, quod volebat, efficeretur. At nimirum toto caelo a mea mente aberravit, quum refutari me posse sibi persuaderet, si operosissimo labore ex ingenti antiquiorum scriptorum numero vocabula et formulas colligeret, quas ego in Orphei carmine ut recentioris aetatis indices notaveram. Vsquamne ego contendi, verbis non prius auditis usum esse Orpheum? Ita ne Graece quidem loquutum contendissem. Hoc ergo si non feci, quid Anacreon, Sappho, tragici, Herodotus, Thucydides, Xenophon, aliique scriptores probant, nisi, quod ego sane etiam non monitus sciebam, Graeca, non pe- [16] regrina esse vocabula, quae reprehendissem? Nam quae ego de oratione Orphei disputavi, in eo versabantur, ut ostenderem, primo, vocabula quaedam, vocabulorumque significationes ab eo usurpari, quae recentiorum essent epicorum propria; deinde, eorumdem more haec eum sectatum esse, quae apud antiquos epicos rara et singularia invenirentur. Vnde apertum est, qui haec impugnare velit, primo solam debere epicorum auctoritatem adhibere; deinde illud debere ostendere, quae apud antiquos epicos rara et singularia reperiri dixeram, trita apud eos et pervulgata esse. Defungar paucis exemplis. In Argonauticorum versu **84.** formam *ἀκοή* ut recentiorem notaveram. Errasse me dicit non solum Koenigsmannus p. **39.** sed, quod profecto miror, etiam Huschkius p. **16.** Et Huschkius quidem, *βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι*, inquit, *nota sunt poetriae verba:* quibus addit versum quemdam Sopatri, ab Athenaeo servatum. Hic vero bis fallitur vir praestantissimus, primum, quod Sapphus Sopatrique auctoritatem quidquam valere putat: nam ego de epicis disputabam, non de lyricis et comicis; deinde, quod hunc Sapphus locum profert, in quo iam quum ista scriberet, dubium erat, an Sappho non scripsisset *ἀκοαί,* nunc pene certum est, *ἀκουαὶ* eam scripsisse. Iam quid Koenigsmannus? Hic vero, praeter eumdem Sapphus locum, e Pindaro, Herodoto, Ae-

schylo, Sophocle, Euripide, Isocrate exempla congessit. Per me licet centena addat alia, vel millena, si ea non sint ex epicis petita. Alterius generis illa sunt, quae idcirco, quod apud veteres raro inveniebantur, recentioribus temporibus ut exquisita frequentari coeperunt, ut *περιμήκετος*. Iam quis negabit, talia, si quis scriptor crebro iis usus sit, eo potius valere, ut eum scriptorem recentem, quam ut antiquum esse statuamus? Ita quis Appuleium Ennii Plautique aequalem fuisse contendat, quod plurima in eius scriptis reperiantur, quae ex istorum temporum sermone deprompta sunt? Immo ex hac ipsa re multo post illos eum vixisse colligendum esset. Itaque non mirabitur iam, opinor, Koenigsmannus, si nihil esse dixero in his, quae de Orphei oratione attulit, quod vel levissimum momentum ad labefactandam meam sententiam habeat. Quin quaedam ille protulit, 17 quae etiam si ab his discedas, de quibus iam monui, ipsa per se falsa sunt. Veluti, ut *τε*, *δὲ*, *γὰρ* post secundum vocabulum ab antiquis posita esse ostendat, p. 43. 47. affert *χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων, οὐ πολλαῖς δέ, οὐ δύναμαι δέ,* quae nemo non videt necessario sic dici, quia duo ista vocabula pro uno sunt, quasi tu dicas *χαμαιγενέων, ὀλίγαις, ἀδυνατῶ.* Quin, quod pene incredibile est, p. 52. affert Hesiodum in Theog. 538. ubi est *τῷ μὲν γάρ*: qui locus movit me, ut ab inspiciendis reliquis, quos larga manu citavit, abstinerem.

Sic igitur Koenigsmannus evicisse se putat, Orpheum Apollonio Rhodio antiquiorem esse. Quid vero? Non etiam de colore totius carminis; non de numerorum conformatione, unde ego praecipuum quoddam pro mea sententia argumentum petieram; non de insolenti isto *οἷ*, quod Orpheus singulari prorsus exemplo tantopere frequentavit, dicendum erat, et explicate quidem fuseque, quo rationes mihi eriperentur gravissimae? Horum neque a Koenigsmanno quidquam factum est, neque a quoquam alio. Quod ego quum reputo, pene adducor,

ut optime rem administrasse Vossium putem, qui tum ibi homines sic loquutos esse dicit: nempe, si forte quaeras, quando et quo in loco, antiquissimo quodam tempore, quo poetae epici Attica Chalcidensium lingua utebantur; quod factum esse ibi, ubi vivebat Orpheus; vixisse autem hunc illo ipso tempore locoque, quo tempore locoque lingua ista in usu fuerit.

DE LEGIBVS QVIBVSDAM SVBTILIORIBVS SERMONIS HOMERICI DISSERTATIO PRIMA *).

3 Homerum quemadmodum facillimus est ad intelligendum inter scriptores Graecos, ita idem iure habetur difficillimus. Nam si quis in universum quaerat, quae quoque in loco eius mens sit, nihil illo simplicius, nihil planius fingi potest; sin vero accuratius singula pervestiget, neque eum temere aut voces ponere nihil significantes, aut verborum tempora modosque confundere existimet, tam varia est, tamque implicata eius oratio, ut vix initium inquirendi, nedum finem invenias. Nec mirum. Sermo enim liberior, nec dum aut artis quibusdam praeceptis formatus, aut, ut postea factum, usu huc vel illuc inclinante constrictus coarctatusque, plurimas habet et perquam subtiles notionum enunciationumque rationes: quas quidem cognovisse, recteque perspectas habere, tanto magis est necessarium, quod omnis recentiorum sermo ex his quasi radicibus effloruit. Quamobrem qui grammaticam Homericam, quae quidem et plena sit, et erroribus vacua, condiderit, eum propemodum universae linguae Graecae naturam rationemque explicuisse dixerim. At nimirum hoc aliquanto difficilius est, quam visum est nuper Frider.

*) Edita est a. 1812.

Thierschio, viro praestantis ingenii, mihique veteri necessitudine coniunctissimo. Quem quum viderem in actis philologorum Monacensium de verborum modis, quibus apud Homerum tempora et caussae rerum indicantur, ita disputasse, ut, quamvis multa acute dissereret, tamen in iis, quae quasi fundamenta sunt huius quaestionis, a vero, ut ego quidem arbitror, nonnihil recederet: non alienum esse a munere meo existimavi, monere vel adolescentes, qui litteras Graecas accuratius cognoscere cuperent, vel alios etiam, qui ad assentiendum proniores essent, ne, tantae difficultatis quaestionem pro re iudicata habentes, orationem poetae, nuper eximia Wolfii sollertia a plerisque sordibus purgatam, inconsideratius sollicitatum irent. Faciam autem hoc sic, ut, quoniam tres illas regulas, quas Thierschius proposuit, neque explicatas ab eo video, neque ab omni parte veras esse puto, primo omnem illam rationem constructionum temporalium in partes quasdam describam, deinde autem de singulis partibus, quantum quidem in hac scriptionum Academicarum brevitate licet, dicam explicatius, non quo nova proferam, sed ut faciam, nota ne novis obscurentur.

Ac primum quidem tenendum est, constructiones, quibus tempora notantur, non aliis contineri regulis, quam illas constructiones, quae caussis vel finibus significandis inserviunt. Id enim, ex quo constructionis ratio pendet, commune habent: conditionem dico. Est autem omnis conditio talis, ut aut vere esse aliqnid vel non esse, aut posse esse dicatur. Hoc postremum rursus duplex est: nam quae possunt esse, ea, si philosophorum more loqui licet, aut obiective possibilia sunt, aut subiective, i. e. ut ad communem captum verba accommodem, aut nos nescimus utrum sint, necne, ideoque dubitanter loquimur, quum illa tamen re vera vel sint, vel non sint; aut, utrum sint necne, non quaerimus, sed fingimus esse, etiam si non sint, vel non esse, etiam si sint. His rationibus indicandis inventi sunt modi, indicativus, coniunctivus, optativus. *Εἰ γενήσεται*, si erit, quod futurum est; *εἰ γένηται*, si fuerit, quod an eventurum sit,

necne, nescimus; *εἰ γένοιτο*, si fiat, quod fingimus fieri, nihil curantes, futurumne sit, an forte ne possit quidem fieri. Sed quantumvis plana sit haec modorum distinctio, tamen usu fit impeditissima, et quidem propter ipsam coniunctivi optativique naturam. Nam coniunctivus quum ea notet, quae nos tantum, sintne an non sint, nescimus, necessario omnes, quae per eum modum indicantur conditiones, in futurum tempus coniicit: quia etiamsi quid ex eo pendet, ut aliquid iam multo ante factum sit, tamen, quum nos, dum coniunctivo utimur, utrum id sit factum necne, nondum sciamus, tota res in eo versatur, ut cognito demum, quid rei sit, conditio impleatur: unde coniunctivo adhaesit vis futuri exacti. Alia ratio est opta-
5 tivi, qui quum natura sua, pariter atque indicativus, non sit cuiusquam temporis proprius, usurpatur ille tamen singulari quodam modo de praeterito tempore. Nam ut, quae hactenus dicta sunt, ad sententias temporales transferamus, his aut certa res, quae fuerit, sit, vel futura sit, designetur necesse est, ut, *ὅτε ἦν, ὅτε ἔστιν, ὅτε ἔσται,* aut incerta, eaque vel sic, ut nos tantum, utrum sit, an non sit, ignoremus: quae conditio quum ex eventu adhuc cognoscendo suspensa sit, planum est, hanc totam rationem non nisi ad futurum tempus pertinere. Nam id tantum, quod nondum factum est, potest ex conditione incerta pendere. Quod autem revera vel fit, vel factum est, id si qua ex conditione pendet, ea conditio non iam incerta esse potest, sed revera impleta fuerit necesse est, quia aliter, quod ex ea pendebat, non evenisset. Quare recte dicas *ξενίσω, ὁπότε ἵκηται;* non autem possis, *ἐξένισα, ὁπότε ἵκηται.* Sed poteris in praesenti tempore, modo ne de eo, quod nunc ipsum fiat, (hoc enim certum est) sed de eo, quod indefinitum est, ideoque aliqua sui parte ex eo pendet, quod adhuc incertum est: ut, *τῷ νῦν σοὶ μὲν ἐγὼ ξεῖνος φίλος Ἄργεϊ μέσσῳ εἰμί, σὺ δ' ἐν Λυκίῃ, ὅτε κεν τῶν δῆμον ἵκωμαι, hospes sum, si quando istuc venero.* Iam intelligetur, cur idem in praeteritis per optativum significetur. Nam quum coniunctivus, ut qui futuri notionem contineat, non possit praeteritis accommo-

dari, apparet, si quid in his infinitum est, id per eum significari modum debere, quo quid omnino sine temporis notatione ut incertum, solaque in cogitatione positum indicatur: is est autem optativus. Vnde illud dictum est, πολλάκι μιν ξείνισσεν, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο, *hospitio eum excepit*, *si quando*, vel *quoties veniret*. Sed ex hoc ipso, quod optativus omni temporis notione caret, facile intelligitur, nihil, nisi usum, obstare, quin eodem modo etiam in praesentibus et futuris usurpetur. Restat alia adhuc conditionis notatio. Quas enim hactenus vidimus, earum prima in iis, quae certa sunt, versabatur, cui destinatus est indicativus; secunda erat eorum, quae sintne an non sint, nondum scimus, cui servit coniunctivus; tertia continebat ea, quae sive sunt, sive non sunt, 6 sumimus esse, cuius proprius est optativus. Iam his quarta accedit, quae est eorum, quae sic sumimus esse, ut simul non esse confiteamur. In qua quoniam hoc, non esse aliquid, certum est: placuit Graecis modo uti eo, quo simul et res certa, et quae non est, indicaretur, id est indicativo praeteritorum, excepto, ut par erat, perfecto, quod in hoc praesentis significatio reperiretur. Itaque quod Latini, *si hoc esset* vel *fuisset*, Graeci per indicativum imperfecti vel plusquamperfecti vel aoristi dicunt.

His positis quasi fundamentis, sententias temporales accuratius consideremus. Est autem earum aliquanto maior numerus, quam visum est Thierschio. Quid enim, num ὄφρα, ἕως, εἰςόκε, πρίν non sunt particulae temporales? Quin haud raro etiam pronomina sic usurpantur, ut apertius tectius temporis notationem contineant. Quare ne haec quidem prorsus negligenda putamus. Omninoque, quum ne finalium quidem particularum alia ratio sit, ita disseremus, ut magis de modo verbi, quam utrum is cum temporali an finali particula iunctus sit quaeramus.

Incipiamus autem ab indicativo, quo utendum esse, ubi de re certa sermo est, sive ea facta sit, sive fiat, sive futura sit, tam apertum est, ut non putarim

umquam exstiturum esse, cui de eo dubitandum videretur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium, in prima illarum, quas posuit, regularum, indicativi usum ad solas res praeteritas vidi restringere. Difficile profecto sit, rationem vel aliquam huius rei excogitare. Sed nimirum exemplis ille rem conficere voluit. Quorum quum sat multa in rebus praeteritis, pauca autem in futuris vel praesentibus versari videret, haec explicando vel mutando removere studuit. Videamus vero. Odyss. σ. 272. *νὺξ δ' ἔσται, ὅτε δὴ στυγερὸς γάμος ἀντιβολήσει οὐλομένης ἐμέθεν.* Negat Thierschius p. 7. particulam hic temporalem esse, sed positam vult pro relativo *ἐν ᾗ*, quod equidem non video quomodo a temporali significatione diversum sit. Quin nemo, opinor, reperietur, quin, si quis quaerat, utrum rectius dictum sit, hoc, an illud, *ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή*, magis in coniunctivo, quam in indicativo haereat. Porro quod ex hymno Apollinis affert, *ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει*, in quo particulam vult caussalem esse, primo, si ita esset, sententia esset eadem, ac si diceres *ὅτι τοξοφόρος ἐστί*, quod et alienum ab illo loco est, et a sermonis Homerici natura abhorret; deinde ipsa illa caussalis significatio nititur temporali, cadatque, nisi temporalis admittatur, necesse est. Nam quid aliud est, *ἦ δὴ λοίγια ἔργ', ὅτε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις Ἥρῃ*, vel, *τί νύ σε ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις*, quam, *malum factum erit, quum tu me coges altercari*, vel *quid faciunt, quando tu sic irata es?* Luculentum exemplum in his est, Od. ε. 356. *ὤ μοι ἐγώ, μή τις μοι ὑφαίνῃσιν δόλον αὖτε ἀθανάτων, ὅτε με σχεδίης ἀποβῆναι ἀνώγει.* Sed cave huc trahas Iliad. π. 52. *ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει, ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι, καὶ γέρας ἂψ ἀφελέσθαι, ὅτε κράτεϊ προβεβήκει.* Nam neque *ὅτε* particula est, sed antiquum pronomen pro *ὅςτε*, et verbi tempus, manifesto vitiosum, optimam lectionem *προβεβήκῃ* revocari postulat. Vt redeam ad hymnum illum, nemo negabit, *τιταίνῃ* scribi potuisse, modo ne quis indicativum falsum esse

pronunciet. Pariterque Latine et *si arcum tendat*, et *quum arcum tendit* dicas. Sed videamus aliud exemplum: Odyss. ω. 87. *ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος ζώννυνται τε νέοι, καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα.* Putat Thierschius p. 188. poetam necessitate coactum *ζώννυνται* dixisse, quod hoc verbum coniunctivo careret, ideoque certe *ἐπεντύνονται* in coniunctivum mutari debere. Malum vero, si poeta tam inops fuisset consilii, ut non aut coniunctivum declinare, aut verbo uti, quod haberet coniunctivum, potuisset. Hoc quidem in loco tam necessarii sunt indicativi, ut neque uti coniunctivis, neque non uti indicativis licuerit. Quod quum tam apertum sit, ut demonstratione non indigeat, satis habeo adiicere, quemadmodum Latine non dixeris, *multos vidi ludos, quum certamina instituerint iuvenes*, sed *quum instituunt*, ita cavendum esse, ne Graecos iubeas dicere, quod dici non potest. Sed quid verbis opus? Inveniuntur enim loci, qui tam sunt adversus omnes machinas muniti, ut, nisi nescio quo casu Thierschii diligentiam8 effugissent, regulam istam, sat scio, non fuisset propositurus. Odyss. σ. 217. *νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας ἐσσὶ, καὶ ἥβης μέτρον ἱκάνεις, οὐκέτι τοι φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι.* 408. *ἀλλ' εὖ δαισάμενοι, κατακείετε οἴκαδ' ἰόντες, ὁππότε θυμὸς ἄνωγε· διώκω δ' οὔτιν' ἔγωγε.* Iliad. ν. 817. *σοὶ δ' αὐτῷ φημὶ σχεδὸν ἔμμεναι, ὁππότε φεύγων ἀρήσῃ Διῒ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν θάσσονας ἰρήκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους.* Sic etiam Od. ρ. 390. *οὐκ ἀλέγω, εἵως μοι ἐχέφρων Πηνελόπεια ζώει ἐνὶ μεγάροις, καὶ Τηλέμαχος θεοειδής.* Ita *ἕως* etiam Iliad. ρ. 727. in oratione elliptica. Alios locos, quos attulit quidem Thierschius, sed ut eos tentaret, tum videbimus, quum de comparationibus Homericis dicetur. Ille tamen non est hic praetermittendus, qui Od. ο 195. exstat: *ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους, ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσονται ὀϊζύν.* Vbi quum Thierschius p. 192. futurum recte, ut arbitror, improbaret, tamen non debebat codicum lectionibus ad con-

iunctivum restituendum abuti, quem sensus loci, in quo particula *ὁπότε* caussalis est, prorsus alienum esse ostendit.

Aliis in locis, quum coniunctivus vel optativus usurpari posset, indicativum praetulit poeta, quo res gravius affirmaretur. Od. ϑ. 317. *ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξει, εἰςόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα.* Quo tamen non velim quosdam locos trahi, in quibus *πρὶν* invenitur, ut Iliad. α. 29. et σ. 283. Nam ibi *πρὶν* non *priusquam*, sed *prius* significare, maioremque antecedere debere interpunctionem puto, sic: *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν*, et, *οὐδέ ποτ' ἐκπέρσει· πρίν μιν κύνες ἀργοὶ ἔδονται.* Frequens est ille indicativi usus in pronominibus, ut Iliad. α. 174. *πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι*, quocum compara ι. 155. 297. Od. ε. 36. Particula *κὲν* in huiusmodi formulis respondet nostrae *wohl*, eoque a *ποὺ* differt, quod est *vielleicht*. Inde dicit poeta *ὁ δέ κεν κεχολώσεται* Iliad. α. 139. eademque ratio est in his, α. 523. ι. 61. 386. κ. 281. ξ. 102. 239. ο. 211. χ. 66. Od. γ. 255. δ. 80. 546. τ. 558. Ab his videat mihi quis quam diversum sit hoc, Iliad. χ. 41. *αἴϑε ϑεοῖσι φίλος τοσσόνδε γένοιτο, ὅσσον ἐμοί· τάχα κέν ἑ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται κείμενον· ἦ κέ μοι αἰνὸν ἀπὸ πραπίδων ἄχος ἔλϑοι.* 9 Sensere grammatici, hic, ut in re prorsus incerta, non esse indicativo locum: unde alii *ἔδοιντο*, Aristarchus recte *ἔδοιεν* posuit. In ludis funebribus Patrocli Achilles pugilatus praemia proponit victori mulam, victo poculum. Surgit Epeus, mulamque prehendens, ita loquitur, Iliad. ψ. 667. *ἄσσον ἴτω, ὅςτις δέπας οἴσεται ἀμφικύπελλον.* Audimus certum victoriae. Ita habebis, quo explices β. 229. ι. 167. φ. 587. χ. 70. ψ. 675. Od. κ. 432. π. 306. Sed Iliad. ψ. 707. 753. 831. *ὄρνυσϑ', οἳ καὶ τούτου ἀέϑλου πειρήσεσϑον*, indicativus non videtur idoneam rationem habere, potiusque requiri coniunctivus. Ita etiam in his Il. κ. 44. *χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σὲ κερδαλέης, ἥτις κεν ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσει Ἀργείους.* Od. δ. 207. *ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων ὄλβον*

ἐπικλώσει γαμέοντί τε γεινομένῳ τε. θ. 147. *οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ᾖσιν, ἤ ὅ τι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν:* quorum ex primo vitium iam Thierschius sustulit p. 181. Eodem modo in his Il. ω. 553. *μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε, διοτρεφές, ὄφρα κεν Ἕκτωρ κεῖται ἐνὶ κλισίῃσιν ἀκηδής*, reponendum putem *κῆται*. Sed recte se habent, quamquam singulari modo conformata, haec, Od. π. 437. *οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνήρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται, ὅς κεν Τηλεμάχῳ σῷ υἱέϊ χεῖρας ἐποίσει:* et α. 403. *μὴ γὰρ ὅγ' ἔλθοι ἀνήρ, ὅςτις σ' ἀέκοντα βίηφιν κτήματ' ἀποῤῥαίσει, Ἰθάκης ἔτι ναιεταώσης.*

Alia indicativi ratio ex vitae communis usu repetenda est, qui etiam in nostro Latinorumque sermone saepe indicativum coniunctivo praefert. Odyss. π. 282. *ὁππότε κεν πολύβουλος ἐνὶ φρεσὶ θήσει Ἀθήνη, νεύσω μέν τοι ἐγὼ κεφαλῇ.* Poterat *θείῃ* dicere, quod Thierschius p. 195. reponi vult, sed recte etiam indicativus stabit. Multa enim huiusmodi apud Homerum inveniuntur. Vt Iliad. γ. 101. *ἡμέων δ' ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται, τεθναίη.* 308. *Ζεὺς μέν που τόγε οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι, ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν.* κ. 394. *ἠνώγει δέ με ἀνδρῶν δυςμενέων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέσθαι, ἠὲ φυλάσσονται νῆες θοαί, ὡς τὸ πάρος περ, ἢ ἤδη, χείρεσσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες, φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν, οὐδ' ἐθέλοιτε νύκτα φυλασσέμεναι.* In iisdem verbis v. 308. alter quoque indicativus *βουλεύουσι* positus est. Od. δ. 632. *ἦ ῥά τι ἴδμεν ἐνὶ φρεσίν, ἠὲ καὶ οὐκί, ὁππότε Τηλέμαχος νεῖτ' ἐκ Πύλου:* quod non recte explicat Thierschius p. 190.[10] ρ. 120. *εἴρετο δ' αὐτίκ' ἔπειτα βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος, ὅττευ χρηΐζων ἱκόμην Λακεδαίμονα δῖαν.* Confer Iliad. φ. 608. Eiusdem modi haec sunt Iliad. θ. 110. *ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἢ καὶ ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσιν.* π. 242. *ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἤ ῥα καὶ οἶος ἐπίστηται πολεμίζειν ἡμέτερος θεράπων, ἤ οἱ τότε χεῖρες ἄαπτοι μαίνονθ', ὁππότ' ἐγώ περ ἴω μετὰ μῶλον Ἄρηος.* Qui duo loci haud scio an alio etiam communis

sermonis vestigio memorabiles sint, indicativo *εἴσεται* dico. Nam aliud agebat, opinor, Thierschius, quum p. 180. *εἴσεται* in coniunctivis numeraret. Quod si quis *ὄφρα*, *ut* significans, cum futuro ferre nolit, poterit id pro *donec* accipere. Ita autem cognatae hae significationes sunt, quam rem attigit Porsonus ad Eurip. Phoen. 89. ut in Odyssea *ἕως* non semel *ut* significet, v. c. *δ*. 800. *ε*. 386. *ζ*. 80. Nec sordes appellarim indicativos in his locis: Od. *α*. 316. *δῶρον δ᾽, ὅττι κέ μοι δοῦναι φίλον ἦτορ ἀνώγει, αὖτις ἀνερχομένῳ δοῦναι*, ubi, quum modo obtulerit donum Telemachus, idonea caussa est, quare admitti indicativus possit; et Il. *μ*. 226. *πολλοὺς γὰρ Τρώων καταλείψομεν, οὕς κεν Ἀχαιοὶ χαλκῷ δῃώσουσιν*, ubi ut praeferendus sit coniunctivus, at indicativus non est tamen falsus. Sed in illo Od. *ι*. 277. *οὐδ᾽ ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην οὔτε σεῦ, οὔθ᾽ ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει*, ut a sermone familiari excusatio sit, tamen sententiae caussa optativum anteponam.

Denique alius generis hoc est Od. *υ*. 385. *ἀλλ᾽ ἀκέων πατέρα προσεδέρκετο, δέγμενος αἰεί, ὁππότε δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει.* Non refrager, si quis cum Thierschio p. 192. ex cod. Vrat. *ἐφείη* praeferat, modo idem etiam v. 29. reponat: sed *ἐφήσει* qui defendere volet, eo uti argumento debebit, quod Graeci, quae ex aliena mente dicuntur, saepe velut ex praesentis ore proferant. Qui mos, frequens apud recentiores, ipse quoque radices suas in Homero habet. Itaque his quoque in locis *ἐφήσει*, si versum 39. compares, habebit, quo defendatur. Rara tamen haec sunt apud Homerum. Il. *μ*. 59. *πεζοὶ δὲ μενοίνεον, εἰ τελέουσιν*. Od. 11 *ν*. 339. *αὐτὰρ ἐγὼ τὸ μὲν οὔποτ᾽ ἀπίστεον, ἀλλ᾽ ἐνὶ θυμῷ ᾔδε᾽, ὃ νοστήσεις*, quod Minerva iam reverso dicit. *ρ*. 360. *αὐτὰρ Ἀθήνη ὤτρυν᾽, ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι, γνοίη θ᾽, οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ᾽ ἀθέμιστοι.* In illo *ξ*. 331. *τ*. 288. *ὤμοσε, ἐπαρτέας ἔμμεν ἑταίρους, οἳ δή μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα*

γαῖαν, postremus versus ut ab eo, qui haec narrat, adiectus accipi potest.

Venio ad coniunctivum. Cui quoniam, ut supra demonstratum est, futuri significatio adhaeret, domicilium ille habet in rebus futuris, ideoque aut ad aliud tempus futurum, aut ad praesens refertur, non etiam, simpliciter quidem, ad praeteritum, quia praeteritis et futuris nulla est nisi per praesens communio. Quare ubi cum praeteritis iungitur coniunctivus, praesens aliquod, quo ille referatur, lateat necesse est: quod quum pluribus modis fieri possit, de potioribus exponendum videtur.

Ac primo latet praesens: ubi per praeteritum designatur: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ*, Iliad. *α*. 218. Sic *ι*. 508. *κ*. 225. *ω*. 531. Od. *δ*. 357. Et cum particulis temporalibus: Iliad. *π*. 689. *ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην ῥηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνῃσι μάχεσθαι.* Vide *ρ*. 98. Od. *ο*. 409. cuius loci rationem non prorsus perspexit Thierschius p. 16. Eadem ratio etiam in negativis sententiis obtinet: Od. *κ*. 327. *οὐδὲ γάρ οὐδέ τις ἄλλος ἀνὴρ τάδε φάρμακ' ἀνέτλη, ὅς κε πίῃ, καὶ πρῶτον ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.* *μ*. 66. *ἀλλ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν, ἥτις ἵκηται.* Difficilius hoc est, Il. *ξ*. 521. *οὐ γάρ οἵ τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν, ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὄρσῃ*, ubi Thierschius p. 15. neque hanc lectionem, neque alteram *ὦρσεν* ferri posse iudicans, *ὄρσαι* scribi vult; non ille quidem primus: nam et alii viro docto ita visum erat, et mihi ipsi in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 20. sed dubitare postea coepi, monente etiam optativo, praeter solitum particulam *τε* comitem habente, an haec saltem via deserenda esset. Nec sane damnem *ὦρσεν*, quia nihil impedit, quominus haec de Troianorum fuga intelligantur: quin prorsus id ex more poetae foret: sed ne coniunctivus quidem plane spernendus est, si quidem *ἀνδρῶν τρεσσάντων* universe dictum accipiatur pro *ἐν τροπῇ μάχης*: *nemo eum aequabat in persequendo, quum cedunt hostes, ubi terrorem incusserit Iuppiter.* 12

Alius modus est, quum praeteritum tale est, ut eius vis etiam in praesenti futuroque tempore permaneat. Iliad. κ. 88. *γνώσεαι Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα, τὸν περὶ πάντων Ζεὺς ἐνέηκε πόνοισι διαμπερές, εἰσόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ,* Sic Iliad. υ. 313. (coll. φ. 373.) φ. 229. ω. 175. et 194. (coll. 119. 147.) Od. ϑ. 44. κ. 21. λ. 432. ρ. 55. ψ. 267. ω. 201. Huius generis est etiam hoc Iliad. η. 394. *καὶ δὲ τόδ' ἠνώγεον εἰπεῖν ἔπος, αἴκ' ἐθέλητε παύσασθαι πολέμοιο δυσηχέος, εἰσόκε νεκροὺς κείομεν.* Compara cum hoc π. 61. σ. 189. Vix opus est, ut adiiciam, eodem modo particulas finales construi, ubi effectus rei praeteritae adhuc praesenti tempore conspicuus, vel futuro exspectandus est. Od. ω. 359. *ἔνθα δὲ Τηλέμαχον καὶ βουκόλον ἠδὲ συβώτην προὔπεμψ', ὡς ἂν δεῖπνον ἐφοπλίσσωσι τάχιστα.* In apparanda enim coena adhuc illi occupati erant. Vide etiam vers. 479.

Porro quem supra in indicativo vidimus morem Graecorum, cogitata e praeterito tempore in praesens transferendi, is etiam in coniunctivi usu invenitur. Od. π. 368. *ἐμίμνομεν ἠῶ δῖαν, Τηλέμαχον λοχόωντες, ἵνα φθίσωμεν ἑλόντες.* Iliad. ο. 22. *ὃν δὲ λάβοιμι, ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται γῆν ὀλιγηπελέων.* Ad hoc genus pertinent duo alii loci, similes illi quidem inter se, sed tamen quodammodo oppositi: Iliad. ξ. 161. *ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή, ἐλθεῖν εἰς Ἴδην εὖ ἐντύνασαν ἓ αὐτήν, εἴ πως ἱμείραιτο παραδραθέειν φιλότητι ᾗ χροιῇ, τῷ δ' ὕπνον ἀπήμονά τε λιαρόν τε χεύῃ ἐπὶ βλεφάροισιν ἰδὲ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν,* ubi optativus et coniunctivus personis distinguendis inserviunt, ita quidem ut *χεύῃ*, quod proprie est *an debeat*, ad ipsam Iunonem referatur. Eadem personarum distinctio, sed inversa ratione, et recte quidem, invenitur π. 646. de Iove: *καὶ φράζετο θυμῷ, πολλὰ μάλ' ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων, ἢ ἤδη καὶ κεῖνον ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ αὐτοῦ ἐπ' ἀντιθέῳ Σαρπηδόνι φαίδιμος Ἕκτωρ χαλκῷ δῃώσῃ, ἀπό τ' ὤμων τεύχε' ἕληται, ἢ ἔτι καὶ πλεόνεσσιν ὀφέλλειεν πόνον αἰπύν.* Aliud hu-

iusmodi exemplum exstat *ο*. 595. ss. Ex hac significa- 13
tione explicandus coniunctivus Od. *ξ*. 327. *τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι, ὅππως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον.* Certe vulgatum *νοστήσῃ* praestat eo, quod Wolfius dedit, *νοστήσει*. Sed ubi haec repetuntur, *τ*. 296. prorsus de more scriptum est, *ὅππως νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.* Eodem modo fortasse alii quoque coniunctivi, ut Iliad. *β*. 4. defendi poterunt.

Denique commemorandus est is coniunctivi usus, quo hic modus apud Homerum etiam solus per se futuri significationem habet. Qui usus derivandus est ex significatione dubitativa, quam in coniunctivo esse satis constat. Est autem haec significatio duplex. Nam aut in eo cernitur, quod agendum sit, quam deliberativam significationem dixeris: eaque Homerus, pariter ac caeteri scriptores, tantum in prima persona sive singularis sive pluralis numeri utitur, cuius rei rationem alio loco aperui; aut spectat ad id, quod sit vel fiat, quam coniecturalem appellari licebit, qua Homerus in omnibus personis utitur. Vtraque non ubique eamdem vim habet. Nam ut in omnibus linguis multa, quae tamquam incerta proferuntur, ita dici solent, ut potius maxime affirmari intelligantur, ita idem Graecis in coniunctivo videmus placuisse. Itaque quum *ἴωμεν* proprie dubitantis esset, deinde ad' adhortationem decretumque translatum est. Eodem igitur modo in illa coniecturali significatione primo incertum intelligitur futurum. Telemachus in primo libro Odysseae, ubi non affectare se regnum dicit, quoniam multi sint in Ithaca viri generis nobilitate conspicui, subiicit v. 396. *τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς.* Sic etiam *δ*. 691. *ἥ τ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων, ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη.* Vide Iliad. *β*. 488. Od. *β*. 333. *δ*. 240. *ν*. 215. Interdum pene nihil a simplici futuro differt, ut Iliad. *π*. 129. Od *μ*. 383. Sed saepe habet fortiorem quamdam vim ac futurum, ita ut etiam a futuro distinguatur; Od. *π*. 437.

οὐκ ἔσθ᾽ οὗτος ἀνὴρ, οὐδ᾽ ἔσσεται, οὐδὲ γένηται. Germanice dicas, *der ist nicht, und wird nicht seyn, und* 14 *soll nicht seyn.* Similiter ζ. 201. μ. 191. Sed plerumque mollitur haec significatio, ut dubitanter loquendo affirmes. Iliad. ο. 349. *αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα, ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο:* quod eadem figura Germanice dicas, *sie sollen ihn wohl nicht bestatten.* Sic vero illud intelligendum est, *ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ᾽ ἄν ποτ᾽ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή*, Iliad. δ. 164. ζ. 448. ut ex priore potissimum loco intelligitur. Alia exempla vide Iliad. γ. 54. 417. λ. 386. 431. ξ. 235. σ. 308. χ. 244. 505. Od. δ. 389. κ. 507. σ. 265. Sic possis etiam intelligere *ὅς κεν ἔῃσι* et similia Iliad. β. 365. ψ. 344. Od. δ. 756.

Perventum est ad optativum. Hic modus quoniam ea indicat, quae in sola cogitatione posita sunt, per se nullam omnino habet temporis significationem, sed pro cuiusque loci conditione vel ad praeteritum tempus, vel ad praesens, vel ad futurum refertur. Iliad. ν. 343. *μάλα κεν θρασυκάρδιος εἴη, ὃς τότε γηθήσειεν ἰδὼν πόνον, οὐδ᾽ ἀκάχοιτο.* His verbis, quae ibi de re praeterita dicuntur, uti possis etiam in re praesente et futura. Ita fit, ut et illud de futuro recte dicatur, Iliad. ω. 619. *ἔπειτά κεν αὖτε φίλον παῖδα κλαίοισθα*, et hoc de praeterito Iliad. γ. 453. *οὐ μὲν γὰρ φιλότητί γ᾽ ἐκεύθανον, εἴ τις ἴδοιτο*, pro eo, quod plerumque dici solet, *εἴ τις εἶδεν*. Vide ε. 311. 388. ρ. 70. τ. 90.

Quamquam autem omnis optativi usus eo redeat, ut quid in sola cogitatione positum esse significetur, tamen variae sunt rationes modique, quibus id fieri possit. Horum primus maximeque simplex is est, quum quid nulla alia notione adiuncta ut sola cogitatione fictum narratur. Vt in re praeterita Il. δ. 539. *ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών, ὅςτις ἔτ᾽ ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ δινεύοι κατὰ μέσσον;* in praesenti Od. φ. 139. *ποῖοί κ᾽ εἶτ᾽ Ὀδυσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι;* in futura Il. ω. 139. *ὃς ἄποινα φέροι, καὶ νεκρὸν ἄγοιτο,*

i. e. *abducat licet.* Quoniam autem, quae sola cogitatione finguntur, ad experientiae veritatem comparata, non re vera fiunt, sed possunt fieri: consentaneum est, optativo, quae possint fieri, significari. Isque frequens apud Homerum usus est. Od. *μ.* **112.** *εἰ δ' ἄγε δή μοι τοῦτο, θεά, νημερτὲς ἔνισπε, αἴ πως τὴν ὀλοὴν μὲν ὑπεκπροφύγοιμι Χάρυβδιν, τὴν δέ κ' ἀμυναίμην, ὅτε μοι σίνοιτό γ' ἑταίρους.* Vide Iliad. *α.* **60.** *ε.* **192.** (§. 15 **299.**) *ζ.* **452.** *η.* **231.** *θ.* **291.** *κ.* **166. 171.** §. **241.** *ο.* **736. 738.** *ρ.* **640.** *χ.* **348.** *ω.* **149.** Od. *α.* **254.** *β.* **52.** *γ.* **319.** *δ.* **167. 560.** (*ε.* **17. 142.** *ρ.* **146.**) *ε.* **166.** *ι.* **126.** s. *κ.* **434.** *λ.* **366.** *μ.* **287.** §. **120.** *π.* **257. 297. 305.** *υ.* **383.** *χ.* **138.** *ω.* **189.** s. **532.** Hinc fit, ut saepe coniunctivus et optativus in eadem constructione coniungantur, ut Il. *σ.* **307.** *ἀλλὰ μάλ' ἄντην στήσομαι, ἤ κε φέρησι μέγα κλέος, ἤ κε φεροίμην.* Germanice dicas, *ob er siegen soll, oder ich siegen könne.* Vide *χ.* **244.** seqq. Od. *μ.* **156.** s. Vide §. **183.** scribendum: *ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἁλώῃ, ἤ κε φύγοι, καί κέν οἱ ὑπέρσχῃ χεῖρα Κρονίων:* compara Il. *δ.* **249.** Non debebam in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. **18.** ad hanc constructionem illud referre Od. *χ.* **75.** *ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν ἀθρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων, ἔλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστυ, βοὴ δ' ὤκιστα γένοιτο.* Nam ibi maiore interpunctione post *ἄστυ* posita, quae sequuntur, non pendent ex particula *εἰ*, sed per se posita sunt, hoc sensu: *tum poterit auxilium advocari.* Sic eadem verba intelligenda sunt etiam v. **133.** Eadem ratio loquendi saepius occurrit: exemplo in eadem dissertatione eadem pagina ex Il. *η.* **41.** s. allato adde *β.* **160.** *γ.* **53.** *λ.* **802.** videturque ea etiam in coniunctivi usu restituenda *γ.* **417.** Ad hunc autem, de quo agimus, optativi usum pertinent illa quoque exempla, in quibus voluntatis quaedam significatio adiuncta cernitur, ut Od. *δ.* **637.** *τῶν κέν τιν' ἐλασσάμενος δαμασαίμην.* Ea ad secundam tertiamve personam translata, saepe monentis vel iubentis est, ut Il. *ω.* **149.** *κῆρυξ τίς οἱ ἕποιτο γεραίτερος;* tum etiam

optantis, quae quidem ratio etiam alias formas habet, ut interrogativam cum particulis *πῶς ἄν,* ellipticam cum particula *εἰ*, aliasque.

Sed redeo ad simplicem illum optativi usum, quo nihil nisi quae tantum in cogitatione posita sunt, indicantur. Is in primis inservit consilio rationique, ob quam quid fiat, significandae. Sed placuit Graecis, de praesenti futurove consilio fere tum optativo uti, si effectus dubius esset; sin minus, potius coniunctivo utuntur, ut 16 qui rei vere futurae praesentisve notionem contineat. Contra de praeteritis consiliis coniunctivum ibi usurpant, ubi effectus adhuc durat, vel exspectandus est; quum autem iam praeteriit, quoniam id diserte nullus verborum modus indicat, optativum adhibent, qui quum effectum non verum, sed modo cogitatum notet, saltem non significat eum adhuc manere, sed potius refert ad illud tempus, quo captum est consilium. Iliad. *η*. 438. *ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίεον εὖ ἀραρυίας, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη*. Eadem verba exstant v. 339. sed quum ibi *ποιήσομεν* dicatur, etsi *εἴη* non est falsum, tamen nisi significari voles, *ut possit esse*, coniunctivo usum esse poetam credas. Frustra autem coniunctivi formam *εἴῃ* in Thierschii grammatica Homerica quaeras: quam tamen diligens poetae lectio non uno loco, opinor, vindicare poterit: vide Il. *ι*. 245. Od. *ο*. 448. *ρ*. 586. neque aliter, nisi fallor, Il. *σ*. 88. Vtrum autem *εἴῃ* an *ἦῃ* praestet, non diiudicarim. Illud certum est, Aristarcho et accuratioribus grammaticis (vide Etym. M. p. 787, 26.) *φανήῃ* aliasque similes formas etiam in his verbis, a quibus Thierschius eas abiudicare ausus est, probatas fuisse. Sed hoc obiter. Vtrique modo locus est in hoc, Il. *χ*. 252. *νῦν αὖτέ με θυμὸς ἀνῆκεν στήμεναι ἀντία σεῖο, ἕλοιμί κεν ἤ κεν ἁλοίην,* prout ad tempus capti consilii, vel quo perficitur, referas. Sed patet hic optativi usus aliquanto latius, et saepe etiam in constructione particularum temporalium cernitur. Iliad. *δ*. 262. *σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ ἕστηχ' ὥςπερ ἐμοί, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι*. Od. *θ*. 69. *πὰρ δ' ἐτίθει*

κάνεον, καλήν τε τράπεζαν, πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι. Significatur enim poculum ea mente appositum, ut, quando vellet, biberet. Sed in priore loco quae praecedunt, *πέρι μέν σε τίω Δαναῶν, ἠμὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἠδ' ἐν δαίθ', ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρσι κέρωνται*, apparet, coniunctivum habere, quia res non ex cuiusquam cogitatione suspensa est. Quod si in eadem re v. 344. optativum videmus, is quomodo explicandus sit, infra dicetur. Sed accuratius quaedam ex hoc genere consideremus. Od. σ. 147. *μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ, ὁππότε νοστήσειε. Νοστήσῃ* si diceret, esse rediturum Vlyssem indicaret: nunc, optativo usus, incertum reddit, 17 an sit rediturus: ut si plene hoc velis exprimere, dicendum sit, *quum redieris, si redibit.* Sic π. 391. φ. 161. *ἡ δέ κ' ἔπειτα γήμαιθ', ὅς κεν πλεῖστα πόροι, καὶ μόρσιμος ἔλθοι.* β. 335. π. 385. *οἰκία δ' αὖτε τούτου μητέρι δοῖμεν ἔχειν, ἠδ' ὅςτις ὀπυίοι.* Aliter ο. 20. *οἶσθα γάρ, οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός· κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν, ὅς κεν ὀπυίοι*: ubi quum de ea sermo sit, quae re vera habeat maritum, *ὀπυίῃ* scriptum oportebat. Frequentia sunt talia, ut Il. ψ. 494. *καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι*: Od. α. 47. *ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.* Sed ad illud primo adspectu nonnihil offendas, Od. ζ. 286. *καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ῥέζοι, ἥτ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων ἀνδράσι μίσγηται*: nam quae addita sunt, nihil nisi explicant priora, ut idem verbi modus videatur adhibendus fuisse. Nihilo minus omnia recte dicta. Nam prius illud ut prorsus incertum ponitur: tum illo posito, reliqua, ut inde vere consequutura, per coniunctivum adiiciuntur: quod utrumque Germanice sic dicas: *wenn eine das thun könnte, und gegen den willen der ihrigen einem manne folgte.* Porro recte positus optativus in his, Iliad. ι. 304. *νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἄν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι.* τ. 206. *νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμίζειν υἷας Ἀχαιῶν νήστιας, ἀκμήνους· ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπὴν*

τισαίμεθα λώβην. ω. **226.** *αὐτίκα γάρ με κατακτεί-νειεν Ἀχιλλεύς, ἀγκὰς ἑλόντ' ἐμὸν υἱόν, ἐπὴν γόου ἐξ ἔρον εἵην.* Od. δ. **222.** *ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρη-τῆρι μιγείη, οὔ κεν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν.* Od. ω. **254.** *τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαι-το φάγοι τε*: de quibus locis duos neglexit Thierschius, qui in his, quae p. **196.** seqq. et **213.** de particula *ἐπεὶ* disserit, immemor eorum, quae p. **186.** ipse dixerat, re-gulas comminiscitur, in quibus haud scio an nihil omnino veri sit. Qui si, quum *ἐπὴν* cum optativo iungi posse ne-gat, in illo solo, *ἐπὴν δαΐδας παραθεῖτο* Od. β. **105.** τ. **150.** ω. **140.** haesisset, non mirarer: hoc enim ali-quam rationem habet: sed quod illa, quae supra posui, tentat, magno opere miror. Nam in istis locis omnibus quum non de eo, quod vere futurum fuerit, sed de eo, quod ut futurum cogitabatur, sermo sit, apparet, recte 18 adhibitum esse optativum. Vt id statim in primo osten-dam, non hoc dicit, *prosternere Hectorem poteris, quum ille tibi prope venerit:* neque enim venturum asse-verat: sed *poteris, quum prope venerit, si quidem ve-niet.* Eadem et reliquorum locorum ratio est, et illorum, in quibus Thierschius p. **13.** coniunctivum reponi vult: Il. γ. **54.** *οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφρο-δίτης, ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.* Od. ξ. **372.** *οὐδὲ πόλινδε ἔρχομαι, εἰ μή πού τι περί-φρων Πηνελόπεια ἐλθέμεν ὀτρύνῃσιν, ὅτ' ἀγγελίη πο-θὲν ἔλθοι.* Nam neque Helena mortem denunciat Paridi, sed hortatur, ut cum Menelao pugnet, salvum rediturum sperans: neque Eumaeus, ubi nuncius venerit, tamquam si hoc fieri soleat, se dicit in urbem ire, sed si forte ve-niat nuncius. Thierschius quidem utroque in loco con-iunctivo, qui praecedat, optativum excludi dicit. Hoc quale sit, nescio. Sed viderit, quid faciat hoc loco, Il. λ. **386.** *εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθείης, οὐκ ἄν τοι χραίσμῃσι βιὸς καὶ ταρφέες ἰοί.* Alteri loco il-lustrando hic aptus est, Od. α. **415.** *οὔτ' οὖν ἀγγελίης ἔτι πείθομαι, εἴ ποθεν ἔλθοι, οὔτε θεοπροπίης ἐμπά-ζομαι, ἥντινα μήτηρ, ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον,*

ἐξερέηται. Hoc enim, ut coniectores interrogaret Penelope, solebat fieri; illud, ut nuncius afferretur, et rarum erat, et fortuitum. Sic etiam ρ. 539. εἰ δ᾽ Ὀδυσεὺς ἔλθοι, καὶ ἵκοιτ᾽ ἐς πατρίδα γαῖαν, αἶψά κε σὺν ᾧ παιδὶ βίας ἀποτίσεται ἀνδρῶν. Non est autem mirum, saepe utrovis modo loqui licere, modo utervis sua propria vi aptus sit. Vt Il. κ. 305. δώσω γὰρ δίφρον τε, δύω τ᾽ ἐριαύχενας ἵππους, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν, ὅςτις κεν τλαίη, οἷ τ᾽ αὐτῷ κῦδος ἄροιτο, νηῶν ὠκυπόδων σχεδὸν ἐλθέμεν. Dicit, *si quis audeat*, incertum relinquens, an talis futurus sit: quod si τλήῃ dixisset, *qui fuerit ausus*, exspectare se indicaret, fore, qui auderet. Illud vero necessario dicendum erat, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι, *qui optimi reperti fuerint:* nam si, optativo usus, daturum se promisisset, si qui essent optimi vel possent esse, neminem tam incerti praemii spe permovisset. Od. η. 33. non erat satis idonea caussa, quare diceretur, οὐδ᾽ ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ᾽, ὅς κ᾽ ἄλλοθεν ἔλθοι; rectiusque in altera lectione apud schol. 19 Harl. ad ν. 119. coniunctivus est, ὅτε κέν τις ἵκηται. λ. 147. ὅντινα μέν κεν ἐᾷς νεκύων κατατεθνηώτων αἵματος ἆσσον ἴμεν, ὃ δέ τοι νημερτὲς ἐνίψει· ᾧ δέ κ᾽ ἐπιφθονέοις, ὃ δέ τοι πάλιν εἶσιν ὀπίσσω. Valde dubitari potest, sic, an ἐπιφθονέῃς dederit; si optativum, hoc dicet, *si cui invideas:* colloqui enim Vlysses cum umbris cupiebat, quaesieratque, non quomodo eas arceret, sed quomodo perduceret ad colloquendum. Sed χ. 443. θεινέμεναι ξίφεσιν τανυήκεσιν, εἰςόκε πασέων ψυχὰς ἐξαφέλησθε, καὶ ἐκλελάθοιντ᾽ Ἀφροδίτης, vix habet, quo defendatur. A poeta profectum puto ἐκλελάθητ᾽. Rationem habet illud, ο. 435. εἴη μὲν καὶ τοῦτ᾽, εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε, ναῦται, ὅρκῳ πιστωθῆναι, ἀπήμονά μ᾽ οἶκον ἀπάξειν: sed valde diversum est, quod legitur Iliad. ψ. 893. ἀτὰρ δόρυ Μηριόνῃ ἥρωϊ πόρωμεν, εἰ σύ γε σῷ θυμῷ ἐθέλοις· κέλομαι γὰρ ἔγωγε: quod modestiae est. Vide diss. de praeceptis Atticistarum p. 11. In illo vero, κ. 346. εἰ δ᾽ ἄμμε παραφθαίησι πόδεσσιν, αἰεί μιν προτὶ νῆας ἀπὸ στρατόφιν προ-

τιειλεῖν, manifesto vitiosus est optativus, ut in re certo futura.

Reliquae sunt duae aliae loquendi formae, de quibus monendi tirones sint. Vna cernitur in particulis *ὅτε μή*, quarum exempla haec sunt apud Homerum: Il. *ν*. **317**. *αἰπύ οἱ ἐσσεῖται, μάλα πέρ μεμαῶτι μάχεσθαι, κείνων νικήσαντι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους, νῆας ἐνιπρῆσαι, ὅτε μὴ αὐτός γε Κρονίων ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσιν*. ξ. **247**. *Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἆσσον ἱκοίμην, οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὅτε μὴ αὐτός γε κελεύοι*. Od. *π*. **196**. *οὐ γάρ πως ἂν θνητὸς ἀνὴρ τάδε μηχανόῳτο ᾧ αὐτοῦ γε νόῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων θείη νέον ἠὲ γέροντα*. *ψ*. **184**. *τίς δέ μοι ἄλλοσε θῆκε λέχος; χαλεπὸν δέ κεν εἴη, καὶ μάλ' ἐπισταμένῳ ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων θείη ἄλλῃ ἐνὶ χώρῃ*. Ex his, quae paullo ante dicta sunt, facile intelligi poterit, recte adhibitos esse optativos. Nam in nullo horum locorum de re sermo est, quae exspectari possit, sed in omnibus fingitur aliquid, idque tale, quod eventurum esse ne credibile quidem sit. Quamobrem miror, quod Thierschius, dum anceps animi pendet p. 8. denique eo inclinat, ut ubique coniunctivum
20 reponi velit. Quas rationes affert, earum prima, quod per *ὅτε* conditio indicetur, qua tollatur, quod praecesserit, ea non video quorsum valeat: nam talis conditio, modo *μή* adiectum sit, aderit, quicumque verbi modus adhibeatur: altera autem, quod Apollonius Rhodius, qui ubique Homeri vestigia legat, coniunctivos tueri videatur, non una ex parte laborat. Primum enim tantum abest, ut Apollonius Rhodius Homerum ubique sectetur, ut eius oratio ab Homerica mirum quantum discrepet: de qua re qui plura, quam quae obiter inspectis utriusque poetae carminibus occurrerint afferre velit, satis magnum possit librum conscribere. Deinde (non enim contendo nihil Apollonium ex Homero hausisse, sed aio plurima) est, ubi Apollonii auctoritas aliquid conferat ad Homeri usum cognoscendum; est vero etiam, ubi nihil utilitatis afferat, quia ille non ubique recte Homerum imitari videtur. De-

nique in hac re, de qua nunc agimus, quid valeat Apollonius, multo minus intelligi potest. Qui si erat commemorandus, non hic locus, I. 245. afferri debebat, (multo enim facilius unum Apollonii, corruptissimi scriptoris, locum ex quattuor Homericis, quam hos ex uno, eoque dubiae auctoritatis, Apollonii corrigas) sed IV. 409. Verum ne sic quidem quidquam efficietur, nisi ut appareat, Apollonium coniunctivo usum esse, ubi coniunctivus poni debebat, quemadmodum idem in eadem formula alibi recte optativo utitur.

Alter, de quo dicturus eram, usus optativi is est, quo frequens repetitio rei praeteritae significari putatur. Id vero prorsus falsum est, nec sequi hunc errorem, sed refutare debebat Thierschius. Nam etsi negari non potest, ubi de re saepius repetita sermo est, tam crebrum esse optativi usum, ut rarissima sint exempla in quibus ille non inveniatur, (apud Homerum non memini exemplum praeter Il. *γ*. 221. in quo ipso, sed male, nonnulli libri optativum habent) tamen ea non optativi vis est, sed verbi, unde pendet optativus: hoc enim ubique tale est, ut in ipso insit diuturnitatis vel repetitionis significatio: est enim plerumque vel imperfectum, vel plusquamperfectum: Iliad. *α*. 610. Od. *τ*. 49. *ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι.* Il. *κ*. 188. *πεδίονδε γὰρ* 21 *αἰεὶ τετράφαθ', ὁππότ' ἐπὶ Τρώων ἀΐοιεν ἰόντων.* Ac plerumque Homerus frequentativis verborum formis utitur, ut Il. *γ*. 216. *ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς, στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε.* Ad quam normam Aristoteles, Rhet. II. 9, 11. ex Il. *λ*. 549. affert, *Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσασχ', ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.* Frequentativis in eodem genere utitur Herodotus, ut VII. 119. Raro aoristum invenias, et sicubi, ita ut aliquid adiectum sit, quo repetitio declaretur, ut Il. *γ*. 232. *πολλάκι μιν ξείνισσεν Ἀρηΐφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο.* Etenim optativus nullo modo potest repetitionem indicare, neque in istis locis omnibus, quorum millena afferri in eam rem possent, quidquam, nisi unum factum notat, sed ita, ut ex

multis factis, quorum notatio verbo adiecto inest, illud designet, quodcumque alicui cogitare libuerit. Eadem ratio est coniunctivi in rebus praesentibus. Od. τ. 515. *αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ, ἕλῃσί τε κοῖτος ἅπαντας, κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ.* Nam si in his vertendis vocabulo *quoties* uti licet, ea non coniunctivi virtus est, sed verbi *κεῖμαι,* ex quo de re solita fieri sermonem esse cognoscitur. Sed quaeri poterit, an Graeci, ubi de repetitione agitur, etiam praesenti iunxerint optativum. Quod etsi in se ipso nihil habet, quod repugnet, tamen non videtur temere concedendum. Non retulerim huc illud Il. α. 549. *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἐθέλοιμι θεῶν ἀπάνευθε νοῆσαι, μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο, μηδὲ μετάλλα.* Mirum enim foret, ni Aristarchus hic, ut ι. 397. *ἐθέλωμι* scripsisset. Sed duo alii loci maius momentum habent: δ. 343. *πρώτω γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο, ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζοιμεν Ἀχαιοί.* Thierschius quidem p. 194. *ἀκουάζεσθον* putavit imperfectum esse, in qua re nec ducem, quod sciam, habuit, neque habebit, opinor, qui sequatur. Quamvis autem facile ex simillimo loco v. 260. coniunctivus inferri possit, tamen ita constanter omnes optativum tuentur, ut eum, nisi qui temerarius sit, vix videatur mutaturus esse. Alter locus est Od. ω. 343. *ἔνθα δ' ἀνὰ σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν, ὁππότε δὴ Διὸς ὧραι ἐπιβρίσειαν ὕπερθεν.* Hunc ut 22 regulae accommodaret Thierschius, inauditum quid et pene incredibile commentus est, *ἔασιν* antiquum esse perfectum. In qua re alius adhuc, isque maior etiam inest error, quia, si non potest cum praesente construi optativus ista repetitionis significatione, non magis poterit cum perfecto: unde Thierschio hanc omnem rationem parum perspectam fuisse coniicio. Mihi quidem hos locos consideranti videtur optativus ita cum praesente, quo aliqua repetitio contineatur, locum habere, si non, ut in coniunctivo, ad futuram, sed ad praeteritam partem praesentis respiciatur. Nam in priore loco, quod hactenus factum sit, exprobratur; in altero autem de vitibus sermo est, quas puer Vlysses olim a patre acceperit: quas ille

quum quotannis uvis abundasse sciret, quoniam adhuc cultas videt, utrumque tempus coniungit. Quare si quis vim verborum interpretando exprimere volet, ita dicendum erit: *primi adestis, quoties epulas apparabamus: omnis generis uvis abundant, quoties anni tempestas fecundarat.* Qualia sermoni familiari facile condonari possunt.

Postularet institutus ordo, ut etiam de illo conditionum genere explicarem, quo sumitur aliquid esse, quod simul non esse fatemur, vel contra. Cui rei indicativum aoristi, imperfecti, et plusquamperfecti destinatum esse, supra indicavi. Sed hoc ita et planum et pervulgatum est, ut rectius praetermittatur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium in epimetro illo, quod, pace viri amicissimi dixerim, totum retractari ab eo velim, ita in hoc genere vidi offendere, ut p. **211.** monstruosum esse diceret illud Apollonii Rhodii I. **281.** *αἴθ' ὄφελον κεῖν' ἦμαρ αὐτίκ' ἀπὸ ψυχὴν μεθέμεν κηδέων τε λαθέσθαι, ὄφρ' αὐτός με τεῇσι φίλῃς ταρχύσαο χερσίν*: quod rectissime dictum esse, et sic, ut aliter ne potuerit quidem, nisi aliunde, certe ex adnotationibus ad Vigerum p. **767.** IV. et **805.** notum esse credebam.

Eo igitur perducta disputatione, quo volebam, quod supra me facturum ostendi, ut modos verborum, quos ad comparationes adhibere Homerus solet, attingerem, id quoniam longius est, quam ut hic tractari possit, alia dissertatione, quae mox edenda erit, complectar.

DE LEGIBVS QVIBVSDAM SVBTILIORIBVS SERMONIS HOMERICI DISSERTATIO SECVNDA *).

3 Non inepte mihi videtur Thierschius, quum de modis verborum, qui temporibus indicandis apud Homerum inserviunt, dissereret, seorsum tractasse eos locos, qui sunt in comparationibus; non quod harum alia sit, quam reliquae orationis, ratio: nam qui hoc fieri posset? sed quod quaestio illa, ad unum, idque haud amplum genus revocata, multo minus habere difficultatis potest, quam si per immensam loquendi formarum varietatem diffundatur. Non recte tamen, universa tractaturus, ordiare a tali aliquo genere: quoniam in parte aliqua consistenti proclivior ad errorem via est, quam universa, quantumvis varia et dissimilia, consideranti. Quare quum de modorum usu apud Homerum disserere instituerem, malui, priusquam de comparationibus dicerem, universam istius rei rationem describere, quam ab his initio facto, etsi id maxime perspicuum exemplum esse intelligebam, ad reliqua explicationem transferre. Etsi autem totus hic locus, qui est de comparationibus, facile potest ex iis intelligi iudicarique, quae iam sunt universe de usu modorum dicta, tamen habet ille etiam propria quaedam,

*) Edita est a. 1813.

non illa quidem recondita, sed quae tamen adnotasse non fuerit supervacaneum. Neque enim probo Thierschium, qui particulas temporales in comparationibus, si res ut praeterita narratur, cum indicativis praeteritorum; si ut praesens, cum coniunctivo; nusquam autem cum optativo construi contendit: a quibus regulis solam dicit particulam ἠΰτε recedere, quae etiam praesentis indicativum admittat, et ita quidem, ut excludat coniunctivum. Nam haec ego ut non esse vera existimem, rationes habeo gravissimas, unam, exempla, quorum multa, nisi violentius mutentur, repugnant regulis istis; alteram, graviorem etiam, rei ipsius naturam, quae talis est, ut non posse veras esse [4] regulas istas evincat. Ab hac vero re ut par est, capiendum nobis erit disputationis exordium.

Ac nemo non videt, posse quid comparari vel cum eo, quod re vera est, vel cum eo, quod potest esse. Hoc alterum duplex est. Nam aut eo posse esse intelligitur, quia, si casus tulerit, re vera evenire solet; aut sola cogitatione, tamquam quod fiat, sumitur, etiamsi forte ne possit quidem fieri. Apparet, plane easdem hic cerni diversitates, quas supra in modis verborum esse vidimus. Unde consentaneum videtur, quum quid cum re, quae vere est, comparatur, indicativo utendum esse; ubi autem cum eo, quod aliquando eveniat, coniunctivo; denique si cum eo, quod cogitetur tantum esse, nec sit, optativo.

Primum igitur de iis rebus dicatur, quae vere sunt. Has quis volet tali verbi modo indicare, quo non vere esse, sed posse esse significentur? Sed de tribus temporibus, quibus omnia eveniunt, unum, futurum dico, natura sua ad comparationem parum idoneum est. Quum enim declarandae rei inserviant comparationes, consentaneum est, potius cum eo, quod est vel fuit, comparandum aliquid esse, quia hoc, quale sit, novimus, quam cum eo, quod futurum sit, quod quoniam nondum cognovimus, ipsum potius aliqua comparatione illustrandum erit, quam ut ipsum aliam rem illustret. Quare futurum vix invenietur in comparationibus, nisi in lo-

cis corruptis: veluti Il. *ν*. 707. Reliqua igitur sunt praeteritum et praesens. Vtrumque seorsum consideremus.

Ac praeteriti indicativo primum in re vere facta necessario utendum esse, nemo non videt. Sic Od. *υ*. 66. *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρας ἀνέλοντο θύελλαι*, et quae multa ibi de his narrantur. Deinde vero alium usum hic indicativus habet, qui talis est, ut regulae supra positae repugnare videatur: usurpatur enim etiam de his, quae non revera esse, sed aliquando evenire intelliguntur. Non repugnat vero. Nam hoc ipsum maxime 5 proprium est orationis poeticae, ut certa pro incertis commemoret, quaeque vel possunt fieri vel solent, ut vere facta referat, eoque rem, ex generis infinitate in singularis facti arctos fines contractam, certo in exemplo contemplandam exhibeat. Est autem haec ratio, ut modo indicavimus, duplex: nam aut ea, quae solent fieri complectitur: unde in his locis frequens est praesentis admixtio: Iliad. *ε*. 902. *ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν, ὑγρὸν ἐόν, μάλα δ' ὦκα περιστρέφεται κυκόωντι*: aut de re est, quae aliquando fit, ut Il. *γ*. 33. *ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρός τέ μιν εἷλε παρειάς.* Quoniam autem etiam in tali facto sunt, quae ut solita consequantur, his quoque saepe admiscetur praesens. *λ*. 558. *ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας, νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ πέρι ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ· κείρει τ' εἰςελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν· σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.*

Venio ad praesentis indicativum, quem quum Thierschius, ubi cum particulis *ὡς ὅτε* coniunctus invenitur, coniunctivo cedere iubet, vereor ut huius rei rationem exploratam habuerit. Tantum abest enim, ut coniunctivus ex particula *ὅτε* pendeat, ut potius ex ipsa re et natura comparationis explicandus sit. Quid enim? Vnde eum pendere dicemus, ubi, quod saepissime fit, sola parti-

cula ὡς vel ὥςτε praecedit? Immo sive harum aliqua particularum, sive articulus praecedit, res ipsa doceat necesse est, qui verbi modus vel potuerit vel debuerit adhiberi. Quod ut planum faciamus, de utroque modo simul dicendum videtur. Atque indicativus (de praesente autem loquor, etsi quaedam horum, quae dicam, etiam in praeteritum quadrant) is igitur natura sua primo id indicat, quod re vera est vel fit; deinde notat, quod permanet in eo statu, in quo est; denique etiam, quod solet esse, significat. Coniunctivum autem, qui modus ita aliquid cogitari iubet, ut id non omnino et simpliciter, sed, si quando sit, esse intelligatur, eum si cum indicativo compares, huic, pro triplici eius significatione, 6 tribus modis oppositum videbis. Primum enim, ut indicativus rem, tamquam quae vere fiat, proponit, ita eam coniunctivus non omnino, sed sic tantum fieri, si quando fiat, significat. Il. ζ. 506. ο. 263. olim legebatur, ὡς δ᾽ ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ, δεσμὸν ἀποῤῥήξας, θείει πεδίοιο κροαίνων. Nuper editum θείῃ. Neutrum falsum: sed si indicativo usus est poeta, rem, ut quae vere fieret, narravit, talem dicens rupto capistro equum luxuriare; sin coniunctivo, ut incertam commemorat, talem cogitandum esse equum, quando eveniat, ut aliquis equus se a stabulo proripuerit. Deinde, ut indicativus permanentem statum significat, ita coniunctivus, ut qui, an aliquid vere sit, incertum relinquat, transeuntem statum, i. e. factum singulare indicat. Il. ρ. 434. ἀλλ᾽ ὥςτε στήλη μένει ἔμπεδον, ἥτ᾽ ἐπὶ τύμβῳ ἀνέρος ἑστήκῃ τεθνηότος, ἠὲ γυναικός. χ. 93. ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσιν, βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ᾽. In priore loco graviter falleretur, qui coniunctivum putaret admitti posse: nam de permanente statu sermo est, cuius status contrarium ob id ipsum non est pravo verbi modo inferendum, quia sic is status tolleretur: nec Latinus sermo hic coniunctivum ferat. Contra in altero exemplo, ut in commemoratione facti singularis, quod non semper exstet, sed aliquando eveniat, recte posuit coniunctivum. Eamdem ob caussam in priore loco

posui ἑστήκῃ pro ἑστήκει, quod si praesens verbi ἑστήκω esset, ferri posset: sed non est ita: quare in coniunctivum mutetur necesse est. Fortuitum enim est, statui columnam. Sic etiam Od. χ. 468. scribendum, ὡς δ' ὅτ' ἂν ἢ κίχλαι τανυσίπτεροι, ἠὲ πέλειαι ἕρκει ἐνιπλήξωσι, τό θ' ἑστήκῃ ἐνὶ θάμνῳ: ubi bona lectione, quam prima manus in cod. Harl. offerebat, uti nesciens Porsonus, in magnum errorem incidit. Eodemque modo Il. δ. 482. αἴγειρος ὥς, ἥ ῥά τ' ἐν εἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκῃ scribendum, non πεφύκει. Imperfecti enim, quodque eodem redit, plusquamperfecti usus in talibus locis plane monstruosus foret, quippe quo certa praeteriti temporis pars designaretur. Quod fugit Thierschium qui in epimetro p. 216. in his Il. λ. 474. ὡσεί τε δαφοινοὶ θῶες 7 ὄρεσφιν ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ ἰῷ ἀπὸ νευρῆς· τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσιν φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρόν, καὶ γούνατ' ὀρώρῃ, scribi iubet ὀρώρει. Nempe praeteritum praecessisse dicit, unde non esse coniunctivo locum. Itane vero? Immo, ut supra observatum est, in comparationibus ubique praeteritum et praesens commiscentur, idque in primis in fine indicando locum habet. Sic Il. δ. 485. in eadem, cuius paullo ante mentio facta est, comparatione, τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ. ε. 522. νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅς τε Κρονίων νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν ἀτρέμας, ὄφρ' εὕδῃσι μένος Βορέαο καὶ ἄλλων ζαχρηῶν ἀνέμων. Optativum ibi tantum hoc genus constructionum in comparationibus habet, ubi de re eo fine suscepta, ut quid possit fieri, agitur. Il. σ. 321. de leone ereptos catulos quaerente: πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν, εἴ ποθεν ἐξεύροι. Et post praesens, ut quidem rhetores, Dionysius Halicarnassensis et Hermogenes, legebant, Il. μ. 434. ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄροιτο, nescio an recte. Sed ex eadem observatione apparet, recte Ixionem Od. ε. 488. legisse: ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ,

ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι, σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔῃ, non *αὔοι*. Similia vide in superiore dissertatione p. XII. seq. Ita coniunctivum praeterito iunctum videas Il. *η*. 5. *ν*. 64. *ο*. 363. *ρ*. 728. *υ*. 168. Od. *δ*. 357. 792. *ξ*. 65. *τ*. 206. ex quibus locis eum, qui Il. *ο*. exstat, frustra vitio, quod nullum est, liberare studuit Thierschius p. 196.

Sed redeundum in viam est. Tertio enim quemadmodum indicativus solere aliquid fieri indicat, ita coniunctivus ad unum refertur ex pluribus factum. Od. *τ*. 518. *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν καλὸν ἀείδῃσιν, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν· ἥ τε θάμα τρωπῶσα χέει πολυήχεα φωνήν.* Quod dicit, *χέει*, id significat *fundere solet:* nam si hoc vellet, nunc ipsum lusciniam, quum ita, uti dicit, in arbore sedens canit, fundere sonoram vocem, coniunctivo utendum erat, quem-8 admodum non *ἀείδει*, sed *ἀείδῃσιν* dixerat, non quamcumque canere solitam intelligens lusciniam, sed unam, eamque aliquo, quo cui libeat, temporis momento canentem describens.

Posuimus regulas et genera, quibus etiam si nihil amplius adderemus, sat lucis ad hanc rationem allatum arbitraremur. Sed iuvabit tamen singula explicatius pertractare. Et primum genus, quod est rerum vere exstantium, indicativum sibi postulare diximus. Il. *θ*. 540. *τιοίμην δ', ὡς τίετ' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων.* Referri huc possunt *η*. 438. *οἷός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης. ν*. 298. *οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισιν.* Od. *ζ*. 102. *οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα;* et avium descriptio in Asio prato considentium Il. *β*. 459. Quamquam haec scio etiam aliter posse intelligi. Certa vero haec sunt *χ*. 318. *οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. ε*. 5. *ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.* Sensere accuratiores grammatici, quum de Sirio sermo sit,

non esse coniunctivo locum, quem alii admiserant, sed indicativum requiri: eo spectat scholiastae Veneti adnotatio, supplenda ex Etym. M. p. 650, 7. Confirmatur hoc alio Homeri loco, χ. 26. παμφαίνονθ', ὥςτ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο, ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν· ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ· ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν· λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν: et his Apollonii III. 957. ὑψόσ' ἀναθρώσκων, ἅτε Σείριος ὠκεανοῖο, ὅς ῥ' ἤτοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐςιδέσθαι ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.

Porro ubi permanens status significandus est, negamus, quaecumque particulae adhibeantur, alii modo, quam indicativo locum esse. Il. ι. 14. π. 3. ὥςτε κρήνη μελάνυδρος, ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ. μ. 132. ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα, ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι. ο. 614. ἠΰτε πέτρη ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα, ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα, κύματά τε τροφόεντα, τά τε προςερεύγεται αὐτήν. ρ. 747. ὥςτε πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ, ὑλήεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς· ὅς τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησιν πλάζων, οὐδέ τί μιν σθένεϊ ῥηγνῦσι ῥέοντες. Od. ι. 190. οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων, ὅ τε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων. Nullus horum locorum coniunctivum admittit: quo posito fieri non posset, quin, quae nunc permanere significantur, fluxa et transeuntia intelligenda essent, ut illud Il. ε. 161. ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξῃ πόρτιος ἠὲ βοός. Quorum similia ingenti numero afferri possent: sed satis habeo adnotasse, indicativum futuri, qui ex huiusmodi exemplis saepius a Wolfio eiectus est, nondum, ut oportebat, cessisse coniunctivo Il. β. 147. 395. (ubi non debebat Thierschius p. 177 ὅτ' ἐκίνησεν obtrudere) κ. 183. Od. ε.

368. Iam vero existimari poterit, quid sentiendum sit de his locis: Il. λ. 492. ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισιν χειμάῤῥους κατ' ὄρεςφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ. Zenodotus, cuius plurimae feruntur pravae correctiones, πεδίονδε δίηται scribebat. Id arripiens Thierschius p. 199. dum mire laborat, ut insolentem huius verbi usum aliquo modo defendat, quid aliud quam facit, ut iam torrentem non iugi perpetuoque cursu ferri, sed, leporis instar, simul et venire et evasisse videamus? Non multum differt illud ρ. 263. ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι διϊπετέος ποταμοῖο βέβρυχεν μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι ἠϊόνες βοόωσιν, ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω. Hic Thierschius p. 20. βεβρύχῃ legi iubens cum Aristarcho, hunc festinans auctorem nominavit lectionis, quae Aristophanis erat. Aristarchus enim, opinor, intelligebat, βέβρυχεν dictum oportere, ut de re, quae non interdum, sed perpetuo fieret. Coniunctivo usus est poeta in simili loco, ξ. 16. ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ, ὀσσόμενον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα: hoc enim non fit semper. Sed non est praetereundum aliud genus comparationum, quod etsi commemorationem continet rei transeuntis, tamen iure ad illas refertur, quibus permanens status describitur. Nam quum quis quid potest facere, id si facit, factum est singulare; quum autem non potest, is perpetuus est et permanens status: omninoque negativae sententiae non ubique eamdem, quam affirmativae, rationem habent. Ita in his locis: σ. 161. ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι. χ. 199. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὃ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὃ διώκειν. 10

Venio ad tertium genus, quod est eorum, quae solent fieri. Hoc quoque indicativum postulat. Iliad. β. 87. ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων. Ita cum eadem particula γ. 3. cum ὡς ε. 499. ι. 4. π. 765. φ. 22. Od. τ. 205. υ. 14. cum ὥςτε δ. 433. μ. 278. ν. 703. π. 633. ρ. 755. Od. ν. 81. cum ὡς ὅτε Il. β. 210. μ. 451.

π. **364**. σ. **219**. χ. **162**. ψ. **692**. Od. ν. **31**. cum *οἷος* Il. ζ. **146**. λ. **62**. Od. σ. **193**. τ. **233**. cum *ὅσος* Il. β. **468**. ο. **358**. π. **589**. ψ. **431**. **517**. ω. **317**. Od. ϑ. **124**. cum *ἅτε* Il. χ. **127**. Sed quoniam, quae solent fieri, etiam ut semel facta narrari possunt, unde aoristi frequens usus hac in re est, non est mirum, si pleraque huius generis exempla etiam coniunctivum admittunt: quare ambiguum esse nonnumquam potest, uter modus usurpatus fuerit, v. c. Il. β. **210**. *ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται*. Sed cur ad coniunctivum confugiamus, ubi nihil in indicativo vitii est? Nam si quis *ὡς ὅτε* cum indicativo praesentis construi neget, ei satis iam supra responsum arbitramur. Et respondebitur iterum infra. Quae quum ita sint, tantum abest, ut Thierschium probem, qui p. **19**. seqq. Il. π. **384**. τ. **357**. φ. **12**. Od. ε. **433**. μ. **253**. ω. **7**. coniunctivos reponi iubet, ut etiam ubi libri hunc modum offerunt, ut Il. δ. **131**. non sine dubitatione recipiendum putem. At non omnes indicativi tam facile removeri possunt. Quare alias quoque vias tentandas duxit Thierschius. Il. ψ. **759**. *ἔπι δ' ὤρνυτο δῖος Ὀδυσσεύς, ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐϋζώνοιο στήθεός ἐστι κανών, ὅν τ' εὖ μάλα χειρὶ τανύσσῃ, πηνίον ἐξέλκουσα παρὲκ μίτον, ἀγχόθι δ' ἴσχει στήθεος*. Quis credat, haerere quemquam in his potuisse? Nam quemadmodum 11 *τανύσσῃ*, ut in singulari facto, dici debebat, ita, quum, quid soleret fieri, indicandum esset, *ἐστι* dictum oportebat. At Thierschius, *ὅτε* non posse cum indicativo praesentis construi ratus, *ἐστι* p. **22**. mutat in *ἄγχι*, ut ad *ὡς ὅτε* verbum *ὤρνυτο* mente repetatur, cuius repetitionis quae quattuor exempla affert, iis etiam si adiecisset hosce sex alios locos, Il. ν. **471**. **571**. π. **406**. Od. ε. **281**. λ. **368**. τ. **494**. nihil tamen omnes probarent, quia in omnibus idem verbum, quod adiectum est, etiam in comparatione apte poni potuit: quod in hoc loco, cuius caussa illos attulit, non est: quare horum nullus, sed Il. ψ. **712**. afferri debebat. Sed potuissent tamen isti loci certe hanc utilitatem habere, ut ne in epimetro illo p. **206**.

Pindarum Thierschius reprehenderet. Sed si posthac, ut speramus, illud *ἐστὶ* immotum manebit, multo magis manebunt haec, Il. δ. 422. *ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυήχεϊ κῦμα θαλάσσης ὄρνυτ' ἐπασσύτερον.* θ. 555. *ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνετ' ἀριπρεπέα.* Nam quum imperfectum his in locis infert Thierschius p. 6. non cogitavit, id quod supra iam ostendimus, imperfectum prorsus a comparationibus alienum esse. Neque id diligentem Homeri lectorem fugere potest. Illud enim non vereor, ne quis *ἧεν* Il. ο. 274. φ. 493. vel *ἔπεφνε* π. 487. ω. 759. vel *ἐπέχραεν* et *ἔχραεν* π. 352. Od. ε. 396. ut imperfecta afferat, vel *πῖπτον* ex vitiosa interpunctione Il. μ. 156. tueatur. Vnum proferri poterit *ἐσσεύοντο* Il. λ. 549. ο. 272. sed Aristarchus, ut in posteriore loco, ita sine dubio etiam in priore legebat *ἐσσεύαντο.* Non autem sic nomino Aristarchum, ut qui quemcumque vel obscurissimum grammaticum, vel recentissimum codicem, si suae alicui opinioni faveat, auctorem testemque afferunt. Tam enim vir ille admirabili fuit ingenio, ut vix putem ad illustrandam Homeri dictionem, quod recte acuteque animadversum sit, afferri posse, quin illi cognitum perspectumque fuerit: ut haud sciam, an perinde habendum sit, Homerum atque Aristarchum intelligere. Redeo ad indicativum praesentis. Et abunde iam demonstratum est, eum recte cum particulis *ὡς ὅτε* construi. Quod si *ἄν*, ut et ab nobis alibi dictum est, et a Thierschio p. 186. concessum, nihil ad verbi modum 12 pertinet, non opus erit, quod ille vult p. 187. Iliad. μ. 41. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται,* de coniunctivo cogitare, aut Od. κ. 410. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας, ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται, πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι,* orationem putare abrumpi: quamquam si quis pertinacius contendat, non magnopere repugnabimus.

Dictum est supra, quae soleant fieri, per indicativum designanda esse. Quod quoniam tale est, ut quasi ratiocinatione quadam contineatur: nominatur enim, non

secus atque in aoristo, unum factum pro pluribus: facile intelligitur, hanc totam rationem non aliter veram esse, nisi si etiam unum et singulare factum per indicativum significari possit. Neque vero, opinor, reperietur, qui hoc negatum eat. Quare etsi plerumque in singularibus factis coniunctivum deprehendimus, tamen feremus etiam indicativum. Il. *β*. **455**. *ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. φ*. **573**. *ἠΰτε πόρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον. δ*. **452**. *ὡς δ᾽ ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ᾽ ὄρεσφι ῥέοντες ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ*. Ita cum particula *ὡς v*. **490**. *ψ*. **222**. Od. *π*. **17**. cum *ὥστε* Il. *μ*. **421**. *ο*. **410**. cum *οἷος ρ*. **53**. Eodem referri potest illud *φ*. **522**. *ὡς δ᾽ ὅτε καπνὸς ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ἄστεος αἰθομένοιο*, ubi tamen si quis cum Thierschio p. **20**. alteram lectionem *ἵκηται*, quae in simillimo versu *σ*. **207**. est, praeferat, non repugnabo, modo ne id propter particulam *ὅτε*, sed ob aliam caussam, de qua hic dicere nihil attinet, faciat.

Quae quum ita sint, sic statuemus, in comparatione a singulari facto petita et indicativo et coniunctivo locum esse, sed indicativo rem simpliciter, tamquam quae fiat, describi, coniunctivo autem ita fieri, quando fiat, significari. Et coniunctivo sane saepissime utitur Homerus. Locos, in quibus hic modus cum particulis *ὡς ὅτε* sic iungatur, ut neque vitiosa lectione obscuratus sit, neque 31 correptam vocalem habeat, Thierschius p. **19**. numerat septem et viginti, in quibus est Il. *ο*. **80**. *ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἀΐξῃ νόος ἀνέρος*, ubi cur vulgatam *ἀναΐξῃ*, iure nuper expulsam, revocari velit, non assequor. Sed omnino festinantius haec omnia videtur scripsisse. Ita quem ex Od. *φ*. **347**. affert locum, non in Odyssea, sed in Iliade legitur, quem autem ex Od. *ψ*. **233**. profert, in eo non *ὡς ὅτε*, sed *ὡς ὅτ᾽ ἂν* est; nec septem et viginti sunt huius generis loci, sed paullo plures: addi enim poterant Il. *δ*. **141**. *λ*. **292**. *ο*. **624**. *v*. **495**. *φ*. **257**. Od. *ι*. **391**. Porro coniunctivus iungitur particulis *ὡς ὁπότε*, et saepe nudis *ὡς* et *ὥστε*, quin etiam particulae *ἠΰτε* Il. *ρ*. **547**. ubi

non debebat Thierschius p. **203.** lectionem suspectam habere. Sic enim etiam Apollonius Rhodius I. **1049.** ac satis ex his, quae hactenus disputavimus, apparet, modum verbi ex loci potius natura, quam ex particula pendere. Hinc supra pronomina *οἷος* et *ὅσος* commemoravi, ubi de indicativo agebatur. Quod ne imperitior aliquis cur fecerim, miretur, non abs re fuerit adiicere, posse illa pronomina etiam coniunctivo iungi, ut factum ab Homero Od. *ε*. **249.** et Apollonio III. **876.**

Videamus denique paucis de optativo. Nam quum non repugnet, comparari quid cum eo, quod non est quidem, sed esset, si casus ita ferret: apertum est, si tali quis comparatione utatur, ei adhibendum esse optativum. Od. *ι*. **383.** *ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἀερθεὶς δίνεον, ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ τρυπάνῳ.* Thierschius p. **22.** neminem laturum hoc vitium putat, nisi qui omnia licita esse sibi persuaserit.. Immo vero qui mutatam volet optimam lectionem, omnia sibi licere credat necesse est. Nam cur mutetur? An quia *ὅτε* cum optativo iungi nequeat? At saepe iungitur. An quia non in comparatione? Sic certe p. **20.** existimare videtur Thierschius. Quid vero, solisne exemplis, quid Graecum sit, quid non, efficiatur? Hoc mihi simile videtur, ut si quis linguam, quam nesciat, scire se dicat, si lexicon secum portet: quem rectius manu, quam mente tenere linguam dixeris: nam quod in scripto non habet, habet nusquam. Absit tam excors anxietas, ut, quod necesse est dici posse, negemus posse dici, nisi exemplorum copia adsit. Et quaero, quot exemplis opus sit. Nam unum si est, corrigi video: video vero etiam corrigi, si plurima. Interea, donec, ut in testamentis condendis, lege constitutum fuerit, quot testes requirantur, ego uni fidem habebo. Nam quidni dici possit, *ut si quis carinam terebraret?* qua forma poeta propterea utitur, quia in mente habet, *ita Cyclopis oculum torquebamus, tamquam si trabem terebraremus.* Non semel autem, etsi aliis cum particulis, illa forma usus est. Il. *β*. **780.** *οἱ δ' ἄρ' ἴσαν, ὡς εἴ τε πυρὶ χθὼν πᾶσα νέμοιτο.* *λ*. **389.** *οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι*

ἢ παῖς ἄφρων. χ. **410.** *τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον, ὡς εἰ ἅπασα Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης.* Od. ι. **313.** *αὐτὰρ ἔπειτα ἂψ ἐπέθηκ', ὡς εἴ τε φαρέτρῃ πῶμ' ἐπιθείη.* κ. **415.** *δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὸς ὣς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἱκοίατο.* **419.** *ὣς ἐχάρημεν, ὡς εἴ τ' εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα.* ρ. **366.** *πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡς εἰ πτωχὸς πάλαι εἴη.*

Possem hic finem facere. Sed addam tamen alias quasdam observationes de modis verborum in comparationibus. Ac primo Thierschius, *ὅτε* cum indicativo praesentis construi negans, etiam eos locos tentavit, in quibus haec particula non praecedente *ὡς* in comparationibus inveniatur. Il. β. **471.** *ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά, αἵ τε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει.* π. **641.** *ὡς ὅτε μυῖαι σταθμῷ ἔνι βρομέωσι περιγλαγέας κατὰ πέλλας, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει.* Od. χ. **299.** *βόες ὡς ἀγελαῖαι, τὰς μέν τ' αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται:* cum quo loco hunc comparat. σ. **366.** *εἰ γὰρ νῶϊν ἔρις ἔργοιο γένοιτο ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται.* Il. π. **384.** *ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαίνη βέβριθε χθὼν ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ, οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.* Omisit ν. **334.** *ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι ἤματι τῷ, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους, οἵτ' ἄμυδις κονίης μεγάλην ἱστᾶσιν ὀμίχλην,* credo, quod etiam coniuncti-
15 vus subintelligi posset. Neglexit ψ. **598.** *ὡς εἴ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.* In his igitur locis, quos attulit, omnibus p. **17.** seqq. audacter coniunctivum reponi vult. Quod ego iudicium vehementer miror, tum propter usum Homeri, tum propter rationem grammaticam. Nam Homerum quidem quis nescit multa talia addere generatim, rei accuratius describendae caussa: quae ob id ipsum, quod generatim dicuntur, per indicativum adiicienda sunt: et ita

semper fit: veluti Il. ι. 440. νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο, οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν. Deinde vero in illis locis, qui allati sunt, ne propter sensum quidem ubique coniunctivus reponi potest. Possit ille ferri in his, in quibus est, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι, si non universe intelligantur de eo, quod in vere, in auctumno, in segete fieri soleat; sed si de muscis tum vasa obsidentibus, quum fuerint madefacta lacte; de turbine tum oriente, si quando largos imbres fundat Iuppiter; de rore tum spicis adhaerente, si quando segete horreant campi. Plane vero abhorret coniunctivus ab reliquis. Nam, ut hoc utar, quid longi dies ad oestrum? aut quis Latine dicentem ferat, oestro boves agitari verno tempore, quum fuerint longi dies, nec videat dicendum esse, *quum sunt longi?* In altero autem loco, in quo eadem verba sunt, sensum quidem praeberet coniunctivus, sed alienum ab loci istius natura. Nunc enim Vlysses, indicativo usus, hoc dicit, si sibi certandum cum Eurymacho sit opere faciundo veris tempore, quo longi sunt dies, diuque manere in opere licet, victorem se esse futurum. Quod si coniunctivo usus esset, hoc diceret: *si certandum nobis sit tempore verno, quum dies longi fuerint, vincam ego:* quo videretur Eurymachum in proximum ver ad certamen provocare. Quod si his in locis falsus foret coniunctivus, in reliquis autem mori poetae contrarius, posthac immotos spero indicativos mansuros esse.

Quae modo de particula ὅτε, supra autem de iis particulis et pronominibus, quibus ad similitudinem indicandam utitur Homerus, dicta sunt, eadem omnia dicta volo de pronominibus ὅς et ὅς τε. Nam haec quoque 16 tetigit Thierschius, qui in primo illorum, de quibus modo disputatum est, locorum, p. 17. legi vult, αἴτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκωσιν, similemque mutationem etiam aliis in locis se facturum significat. At rectissime positus est indicativus, ut quo solere ita fieri indicetur. Nam ubi de re certa vereque exstante, vel de ea, quae solet fieri, vel de permanente statu sermo est, ne-

cessarius, ut ubique, ita etiam in pronominis usu indicativus est. Vbi autem de singulari facto agitur, coniunctivo locus est, nec tamen, ut excludatur indicativus, nisi si admissus rem ambiguam reddat. Il. ψ. 517. *ὅσσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὅς ῥά τ' ἄνακτα ἕλκῃσιν πεδίοιο τιταινόμενος σὺν ὄχεσφιν.* Licuisset hic etiam indicativo uti, quo res ut praesens describeretur. Sed π. 259. *αὐτίκα δὲ σφήκεσσιν ἐοικότες ἐξεχέοντο εἰνοδίοις, οὓς παῖδες ἐριδμαίνωσιν ἔθοντες,* si indicativo usus esset, ambiguum foret, utrum solere vespas a pueris irritari, an, quae eius mens erat, vespas, si quando irritatae essent, proruentes describere voluisset. Sed clarius apparebit hoc discrimen ex locis, in quibus uterque modus coniunctus est, ut Il. γ. 60. *αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστιν ἀτειρής, ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρὸς ὑπ' ἀνέρος, ὅς ῥά τε τέχνῃ νήϊον ἐκτάμνῃσιν.* Non recte enim legitur *ἐκτάμνησιν.* Animum dicit durum esse, ut securim. Durities ergo proprium in securi est et permanens: quod quum lignis rumpendis cernatur, indicativo id exprimit: sed etsi semper adest illa in securi durities, at non apparet, nisi quum quis ea aliquid caedit: hinc per coniunctivum addit, *qui arborem caedat.* Quod si pluribus verbis ista eloqui voles, dicendum erit, animum durum esse, ut securim, cuius hoc proprium sit, lignum perrumpere, si quis ea ad caedendum utatur. Satis esse arbitror, haec uno in exemplo ostendisse. Plura qui requiret, *ὅς τε* cum indicativo in re certa et vera positum inveniet Il. ε. 5. ι. 5. λ. 270. ρ. 674. χ. 27. 29. de eo quod solet autem γ. 151. 198. ε. 525. η. 209. 257. ν. 102. 336. ξ. 399. π. 157. ρ. 21. 571. 757. υ. 253. τ. 521. ita denique, ut nihil nisi rei natura describatur λ. 298. 550. 17 μ. 146. 434. ν. 472. 571. 796. ο. 587. 631. π. 8. 757. ρ. 737. υ. 165. χ. 309. ω. 42. 81. Od. ε. 51. ζ. 131. ι. 323. ρ. 518. χ. 403. cum coniunctivo autem ita, ut, quoniam semper de facto singulari usurpatur, fere per *quando* vel *si* explicare possis, γ. 61. ε. 137. κ. 184. μ. 299. 423. ν. 138. 179. ο. 411. 579. 680. π. 590. ρ. 134. 725. σ. 319. φ. 283. χ. 23. ψ. 761. Od.

ϑ. 524. ν. 31. ψ. 234. Obiter addo, multo saepius ὅς τε, quam ὅς ῥά τε dici, et ὅς ῥά τε quidem cum indicativo multo rarius esse, quam cum coniunctivo. Loquor autem hic ubique de praesentis indicativo. Rarissimum autem est ὅς sine particula τε in comparationibus, quod cum coniunctivo invenies Il. π. 260. 387. ρ. 110. Od. δ. 357. ξ. 65. π. 19. cum indicativo autem praesentis nescio an nusquam, si quidem duo loci, quos statim afferam, corrupti videntur. Nam Il. σ. 207. sic legitur: ὡς δ᾽ ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ᾽ ἵκηται τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται, οἵ τε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ ἄστεος ἐκ σφετέρου. In quo loco recte dictum κρίνονται: describitur enim hostis, nec possis pro οἵτε particulam temporalem vel conditionalem ponere. Quod quum possis pro τήν, et pene debeas, quia id ipsum agitur, ut, quando ignem accendant, indicetur, ἀμφιμάχωνται scribendum videtur. Praeterea vero ἄστεος ἔκ σφετέρου scribendum est, quod est idem atque ἄπο πατρίδος. Alioquin enim, ut Heynius volebat, scribendum esset οἱ δέ, quemadmodum Zenodotum legisse coniicias, qui, de insulanis haec intelligens, ἄστυ ποτὶ σφέτερον scribebat. Eodem modo in hoc, Od. ε. 394. ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἀσπασίως βίοτος παίδεσσι φανήῃ πατρός, ὃς ἐν νούσῳ κεῖται κρατέρ᾽ ἄλγεα πάσχων, scribendum est κῆται. Non alienum erit observasse, praeteriti indicativum in huiusmodi locis recte poni: eamdem enim habet vim, quam coniunctivus, ut rem ad factum singulare restringat. Ita in exemplo, huic, quod modo attuli, simillimo Il. ψ. 222. ὡς δὲ πατὴρ οὗ παιδὸς ὀδύρεται ὄστεα καίων, νυμφίου, ὅς τε θανὼν δειλοὺς ἀκάχησε τοκῆας. Poterat coniunctivum ponere, ut et in illo fecerat, et fecit in hoc, Od. ϑ. 523. ὡς δὲ γυνὴ κλαίησι φίλον πόσιν ἀμφιπεσοῦσα, ὅς τε ἑῆς πρόσθεν πόλιος λαῶν τε πέσησιν. Ita indicativus praeteriti cum pronomine ὅς τε 18 explicari potest Il. η. 209. λ. 173. 475. ν. 390. (π. 483.) π. 353. 752. φ. 494. ψ. 432. 712. Od. π. 217. τ. 206. χ. 300. 384. et cum ὅς ζ. 233. (ψ. 160.) Alibi vero, ut in praesenti, vel simpliciter describendae rei inservit, ut Il.

ε. 522. ν. 242. π. 583. 768. ρ. 282. ω. 758. vel solere quid fieri notat, ut μ. 157. ν. 300. ρ. 549. 676. Sed ista coniunctivi ratio monet, ut dicamus de loco, qui singularis videtur, Od. τ. 108. ἦ γάρ σεῦ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, ὥςτε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων, εὐδικίας ἀνέχησι· φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα πυροὺς καί κριθάς, βρίθησι δὲ δένδρεα καρπῷ, τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς, ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ. Quae si verae sunt lectiones, Ibycum ipsum, non Homerum, hos versus fecisse credas. Vulgo ἀνέχησι, φέρησι, βρίθησι, et sic etiam apud Platonem II. de rep. p. 363. B. ubi tamen ex codice affertur βρίθουσι. Deinde τίκτῃ quoque et παρέχῃ apud Platonem est, nisi quod Bas. secunda τίκτοι: τίκτῃ etiam Homeri cod. Harl. ex emendatione, et Vindobonensis 50. παρέχῃ. Et ἀνέχησι quidem coniunctivus omnino probandus. Quamquam enim hic indicativo videri possit locus esse, ut in descriptione regis boni, nec sermo sit de facto aliquo, sed de permanente conditione, tamen, quia non describitur rex, qualis unusquisque est, sed si quis talis sit, ut iustitiam colat, recte poni coniunctivum apparet. Quae autem sequuntur, si de more per indicativum adiecta essent, φέρει δέ τε dedisset, opinor, poeta, et deinde βρίθουσι, τίκτει, παρέχει. Nunc, si genuina sunt φέρησι et βρίθησι, coniunctivi sint necesse est, ut credibile fit, etiam τίκτῃ et παρέχῃ esse genuina. Nam quod Thierschius p. 185. dicit, coniunctivum semel tantum ultra particulam δὲ extendi, Il. ρ. 520. seqq. non est verum. Nam etiam Od. ξ. 65. habemus, ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, θεὸς δ' ἔπι ἔργον ἀέξῃ. Eodemque referri poterit Iliad. κ. 360. ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δύω κύνε, εἰδότε θήρης, ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεὶ χῶρον ἀν' ὑλήενθ'· ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς. Quamquam
19 dubitare me fateor, an etiam post indicativum inferri coniunctivus possit. Certe in illo loco, Il. ν. 703. ἀλλ' ὥςτ' ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον ἶσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν πρυμνοῖσιν κεράεσσι πο-

λὺς ἀνακηκίει ἵδρως· τὼ μέν τε ζυγὸν οἶον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει, ἱεμένω κατὰ ὦλκα· τεμεῖ δέ τε τέλσον ἀρούρης, ubi nec τεμεῖ nec τέμνει ferri potest, ex scholiastarum adnotationibus colligas fuisse, qui τεμῇ legerent, is ut esset coniunctivus aoristi secundi passivi: quam opinionem priusquam quis ut absurdam reiiciat, reputet velim, quae pro ea dici possint. Alia modi mutatio est in his Il. ο. 80. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀΐξῃ νόος ἀνέρος, ὅς τ' ἐπὶ πολλὴν γαῖαν ἐληλουθὼς, φρεσὶ πευκαλίμῃσι νοήσῃ, ἔνθ' ἤην (hoc vulgatae εἴην praeferendum videtur) ἢ ἔνθα· μενοινήσειέ τε πολλά. Wolfius ex Aristarchi sententia edidit μενοινήῃσι: sed quum haec aperte correctio sit, eo ipso efficitur, ut a poeta optativum profectum credamus, qui habet idoneam rationem, si sic intelligas, *ut subito transsilit mens viri, qui multis itineribus exercitus cogitet, hic fui vel illic: possitque multa cogitare.*

Sed semel mota quaestione de mutatione modorum non potest regula praetermitti, quam Thierschius p. 185. protulit, post particulam δέ novam institui structuram posse, non etiam post τέ. Vnde ille β. 149. ex cod. Townl. ἐπί τ' ἤμυ' (ita volebat) ἀσταχύεσσιν, ϑ. 340. ἑλισσόμενον δὲ δοκεύει, λ. 156. πάντῃ δ', et p. 20. Od. ω. 8. ἔχωνται, quoniam paullo ante ποτέωνται, ei placebat, scribendum censet. At longe alia est ratio, qua harum usus particularum in comparationibus continetur. Etenim τέ, sive idem, sive alius sequitur verbi modus, hunc usum praestat, ut partes comparationis coniungat eas, quae nullam inter se oppositionem continent, sed tantum alia alii accedunt. Il. γ. 33. ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσης, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς. Δὲ autem vel oppositioni inservit, ut ε. 136. ὥςτε λέοντα, ὅν ῥά τε ποιμὴν ἀγρῷ ἐπ' εἰροπόκοις ὀΐεσσιν χραύσῃ μέν τ' αὐλῆς ὑπεράλμενον, οὐδὲ δαμάσσῃ· τοῦ μέν τε σθένος ὦρσεν, ἔπειτα δέ τ' οὐ προςαμύνει, ἀλλὰ κατὰ σταθμοὺς δύεται, τὰ δ' ἐρῆμα φοβεῖται. π. 299. ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπηγε- 20

ῥέτα Ζεύς· ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι, καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπεῤῥάγη ἄσπετος αἰθήρ. Vel ad declarationem praecedentium adhibetur, ut β. 455. ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῇς· ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. δ. 75. οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, ἢ ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν, λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται. 275. ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς· τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα φαίνετ' ἰὸν κατὰ πόντον· ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν· ῥίγησέν τε ἰδών, ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα. Sed quid exempla in huiusmodi re congeram, quum praesertim verendum sit, ne vel sic multa attulerim, quae diligentem Homeri lectorem non lateant. Non poenitebit me tamen haec attigisse, si illud effecero, ut ne quis iusto calidius de hoc genere pronunciet. Quod si hic illic, ut mihi videtur, factum est a Thierschio, non sum nescius, accidisse id obruto distractoque magna negotiorum et multitudine et varietate, ut qui saluberrimum susceperit opus instaurandi in Bavaria strenui antiquarum litterarum studii: quod opus successus habere felicissimos, egregiamque iuventutem navi et industrii ducis solertia efflorescere, satis Acta illa testantur Monacensia.

DE AESCHYLI GLAVCIS DISSERTATIO *).

Isaacus Casaubonus, quum Aeschyli Glaucum Potnien- 3 sem non semel a veteribus commemorari meminisset, nec recordaretur, Pontii quoque Glauci interdum mentionem fieri, apud Athenaeum III. p. 87. A. *ἐν Ποτνιεῖ Γλαύκῳ* pro *ἐν Ποντίῳ Γλαύκῳ* scribendum censuit. Cuius errorem qui notavit, Ianus Rutgersius in Var. Lectt. II. 6. p. 92.. scholiastam Euripidis, scriptorem vitae Arati, Strabonem Athenaeumque auctores nominans, ipse negligentiae reprehensionem tulit ab novissimo editore Athenaei, iniuria, saltem quod ad vitam Arati attinet, quam hic, quod miror, nullam se nosse scribit, in qua Aeschyli Glaucus memoretur; nec de scholiasta Euripidis litem moveam Rutgersio, qui aut ineditum citasse, aut vitioso codice in Phoen. 1229. (1201.) usus videtur. Sed iam ante Rutgersium Paullus Leopardus Emendatt. XI. 24. et 25. Potniensem Glaucum a Pontio distinguendum esse monuerat, non inepte Ovidii verbis in Ibide v. 557. usus:

Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum,
inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas.

---

*) Edita est a. 1812.

Eademque etiam Io. Meursii sententia fuit, et Salvagnii, et Stanleii, aliorumque. Quorum quum etiam qui caeteris explicatius de hac re disseruit, Meursius in Aeschylo, reliquisse videatur, quod addi possit, operae pretium me facturum puto, si, oblata scribendi opportunitate, plenius haec atque accuratius exponam. Dicetur autem de utraque fabula seorsum. Nam duos ab Aeschylo scriptos esse Glaucos, certissimum est, etsi Casaubonus speciosum pro sua opinione testem affert indicem fabularum Aeschyli, qui vitae eius in edd. subiectus est. In quo indice unus tantum memoratur Glaucus, isque *Ποτνιεύς*, modo ne haec sit, ut equidem suspicor, emendatio Turnebi, eamdem, ut Casaubonus, opinionem sequuti. Nam co-4dex Guelferbytanus et edd. Aldi ac Robortelli *Γλαῦκος Πόντιος* habent. Sed videamus primo de Potniensi Glauco.

Celebratissimi fuerunt apud veteres ludi, quos Acastus in funere Peliae instituit: quos illustri aliquo carmine descriptos fuisse, vel ex eo intelligi potest, quod teste Pausania III. 18, 9. V. 17, 4. caelo expressi fuerunt in throno Amyclaeo et arca Cypseli. In his ludis, quos Iolci factos esse ex Apollodoro I. 9, 28. discimus, (nam Argis quomodo institui potuerint, quod nomen Munckerus in Hygini fab. 273. pro *Argivis* reponi volebat, nemo explicuerit) praeter alios, quorum certamina refert Hyginus, etiam Glaucus Sisyphi f. quadrigis decertans, quae res ei, ut ex Etymol. M. p. 54, 48. cognoscimus, iam ante Olympiae male cesserat, exitium invenit. Simplicius, quam reliqui scriptores, Nonnus Dionys. XI. 143. p. 302, 31.

Γλαῦκον ἀπεστυφέλιξαν ἐπὶ χθονὶ λυσσάδες ἵπποι.

Nam communis narratio est, nota illa vel ex Palaephato c. 26. discerptum ab equabus esse. Ita Hyginus fab. 250. et 273. Virgilius Georg. III. 266.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:
et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.

Ibi Servius: *Potniae civitas est, de qua fuit Glaucus, qui quum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus eius immisit furorem, quibus utebatur ad currum, et eum morsibus dilaceraverunt.* Et mox: *hoc autem ideo fingitur, quod eis furorem Venus immiserit, quia dilaniatus est Glaucus effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet a coitu, ut essent velociores.* Probus autem sic: *Potnia urbs est Boeotiae, ubi Glaucus Sisyphi f. et Meropes, ut Asclepiades in tragodumenon lib. I. ait, habuit equas, quas adsueverat humana carne alere, quo cupidius in hostem irruerent et perniciosius: ipsum autem, quum alimenta deficerent, devorarunt in ludis funebribus Peliae. Quidam aiunt has equas Diomedis fuisse, quas Hercules ad Eurysthea perduxerit, et ab Eurystheo et Sisypho distractas, cumque filio suo dedisse.* Cum his conspirant, quae 5 ad Eurip. Phoen. 1159. ubi poeta Potniades equas, furentibus similes, in clipeo expressas commemorat, a scholiastis narrantur, nisi quod unus eorum haec addit, quae quo spectent nescimus: *Γλαῦκον δὲ οὐ τὸν ἀπὸ Σισύφου, ἀλλὰ τὸν Θρᾷκα τὸν ἄγριον*: alius autem Potniis laceratum ab equabus Glaucum scribit. Possit Strabo quoque ita videri sensisse, qui IX. p. 627. sic scribat: *ἔστι δὲ καὶ ἡ Δίρκη κρήνη καὶ Πότνιαι, ἐφ᾽ ὧν μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ποτνιέα Γλαῦκον, τὸν διασπασθέντα ὑπὸ τῶν Ποτνιάδων ἵππων, τῆς πόλεως* (Thebas dicit) *πλησίον*: ad quem locum respicit Eustathius p. 269, 34. Verum nihil ille, opinor, aliud voluit, quam contraxisse equas furorem isto loco. Cuius rei caussam sunt qui herbam quamdam perhibeant. Scholiastes Eurip. ad Orest. 318. *Πότνια δὲ χωρίον ἐστὶ Βοιωτίας, ἔνθα φαγοῦσαι βοτάνιον αἱ Γλαύκου ἵπποι,* (*τοῦ Βελλεροφόντου* addit Etym. M. p. 685, 42. qui eadem habet) *καὶ μανεῖσαι διεσπάσαντο τὸν ἴδιον δεσπότην ἐν τῷ ἐπιταφίῳ Πελίου.* Plinius H. N. XXV. 53. *circa Abderam et limitem, qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie; circa Potnias vero et asini.* Alii vero fontem Potniis fuisse tradunt, cuius aqua rabiem equis afferret, ut Pausanias

IX. 8, 1. et Aelianus H. A. XV. 25. qui etiam, quae Plinius de herbis circa Abderam scribit, de fluvio illius regionis narrat. Hoc sequutus est Philargyrius, qui haec ad Virgilii locum adnotavit: *Glaucus Sisyphi f. quum ad gymnicum certamen quadrigam duceret, applicuit ad vicum Boeotiae, et equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equae, furore exagitante, in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur.* (Burmanno auctore *gymnicum* pro *mimicum* adscivi: nam Masvicii coniecturae, *Isthmium*, qui solus favere videatur, Pausanias, non multum favet: nam VI. 20, 9. quum scribat, *ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἰσθμῷ ταράξιππος Γλαῦκος ὁ Σισύφου,* addit haec: *γενέσθαι δὲ αὐτῷ τὴν τελευτὴν λέγουσιν ὑπὸ τῶν ἵππων, ὅτε Ἄκαστος τὰ ἆθλα ἔθηκεν ἐπὶ τῷ πατρί.*)

Hunc igitur Glauci exitum Aeschyleae tragoediae argumentum fuisse ut per se credibile est, ita etiam ex fragmentis intelligitur. Ac videtur nuncius certamen quadrigarum enarrasse: in qua narratione locum certe habuit hic versus:

6 *ἀγὼν γὰρ ἄνδρας οὐ μένει λελειμμένους,*

servatus a scholiasta Platonis p. 16. ed. Ruhnk. 27. Siebenk. Certius vero hinc ducta sunt haec in scholiis ad Eurip. Phoen. 1229. (1201.)

ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῷ νεκρός,
ἵπποι δ' ἐφ' ἵπποις ἦσαν ἐκπεφευγμένοι.

Ibi cod. Aug. *ἐφ' ἅρματι γὰρ ἅρμα, καὶ νεκρῶν νεκροί:* sed vulgatam tuetur Aristophanes, qui in Ranis v. 1450. (vide schol. ad v. 1447.) hunc Aeschyli versum affert, eique hanc explicationem subiicit, *δύ' ἅρματ' εἰςέθηκε καὶ νεκρὼ δύο.* In secundo versu, quum cod. Aug. *ἐμπεφυγμένοι* praebuisset, Valkenarius ad Phoen. 1201. corrigendum censuit *ἐμπεφυρμένοι,* apte comparans Virgilium Aen. XI. 638.

armaque, corporaque, et permisti caede virorum
semianimes volvuntur equi.

Quamquam de veritate emendationis est quod dubites. Nam quum φ et φϱ saepissime commutentur, de qua re vide, si opus est, Bastium ad Greg. Cor. p. 747. facilius etiam ἐκπεφϱαγμένοι vel ἐμπεφϱαγμένοι scribi poterit. Euripides certe, cuius cum verbis Aeschyli versus comparavit scholiastes, ita dixit:

τϱοχοί τ᾽ ἐπήδων, ἄξονές τ᾽ ἐπ᾽ ἄξοσιν·
νεκϱοὶ δὲ νεκϱοῖς ἐξεσωϱεύονθ᾽ ὁμοῦ.

Verbo ἐκφϱάσσειν quidem quae significatio ab H. Stephano et inde ab aliis adscribitur, ita repugnat analogiae, ut verear, ne exemplis, quae idonea sint, confirmari nequeat.

Ipsas Glauci equas dominum lacerantes ita describebat nuncius:

εἷλκον δ᾽ ἄνω λυκηδόν, ὥςτε διπλόοι
λύκοι νεβϱὸν φέϱουσιν ἀμφὶ μασχάλαις,

Schol. Ven. ad Iliad. XIII. 198. tantum εἷλκον ἄνω λυκηδόν, Eustathius p. 927, 39. omnia praeter duo extrema vocabula affert, uterque sine ullo fabulae indicio. Sed scholiastes Victorianus apud Heynium vol. VI. p. 644. non modo integros hos versus habet, nisi quod hic quoque, ut illi, δὲ omittit, sed etiam de Glauco dicit sermonem esse. Non inepte coniicias, his versibus hunc fuisse subiectum, nisi obstet forma Dorica,

λεοντοχόϱταν βούβαλιν νεαίτεϱον,

quem sine fabulae indice servavit Eustathius. p. 1625, 44. et ex eo Favorinus in v. τϱάγοι.

Praeterea haec ex Potniensi Glauco afferuntur. Scholiastes Aristoph. ad Ran. 1576. πϱῶτα μὲν εὐοδίαν· ταῦτα δὲ παϱὰ τὰ ἐν Γλαύκῳ Ποτνιεῖ Αἰσχύλου· εὐοδίαν μὲν πϱῶτα ἀπὸ στόματος χέομεν. Videtur πϱῶτον scripsisse Aeschylus, nisi aliquid omisit scholiastes. Hesychius: ἀμφίςωπον, πεϱίωπον, πάντοθεν ἀναπεπτάμενον· Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιεῖ. Idem: εὐφήμοις γόοις, δυςφήμοις, κατὰ ἀντίφϱασιν· Αἰσχύλος γλαύκο-

ποτνί. Ita codex, Schowio teste. Idem: *ἴτηλον, τὸ ἔμμονον, καὶ οὐκ ἐξίτηλον· Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιεῖ.* Et Photius: *ἴτηλον, τὸν οὐκ ἐξίτηλον, ἀλλ' ἀνεξάλειπτον· οὕτως Αἰσχύλος.* Haec interpretatio argutias sapit grammaticorum. Spanhemius suspicabatur Glaucum Potniensem a scholiasta Sophoclis ad Oed. R. 733. citari his verbis: *περὶ Δαυλίδα φησὶ τὴν σχιστὴν ὁδόν· ὁ δὲ Αἰσχύλος περὶ Ποτνίας, οὕτως·*

> *ἐπῆμεν τῆς ὁδοῦ τροχήλατον*
> *σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἔνθα συμβολὰς*
> *τριῶν κελεύθων Ποτνιάδων ἠμείβομεν.*

At quum apud Sophoclem de Oedipo sermo sit, nescio an ista ex Oedipo Aeschyli depromta sint. Aptius fortasse ad Glaucum Potniensem hos versus referas,

> *ὃς εἶχε πώλους τέσσαρας ζυγηφόρους,*
> *φιμοῖσιν αὐλωτοῖσιν ἐμβριμωμένας,*

quos servavit Eustathius p. 1157, 35. apud quem *τέτταρας* legitur. Ex h. l. *αὐλωτοὶ φιμοὶ* explicantur apud Hesychium. Videtur autem de quadrigis unius eorum, 8 qui cum Glauco certaverant, sermo esse, quod ipsius Glauci equos vix ita obiter poeta commemorasset. Fortasse etiam verba *ζεῦγος τεθρίππων* ad Glaucum Potniensem pertinuerunt, quae distinctius a Photio in v. *ζεῦγος,* quam ab Etym. M. p. 409, 48. et inde a Favorino citantur; et *ἐν διῤῥυμίᾳ πῶλοι,* commemorati Eustathio p. 706, 50. Caeterum hanc fabulam actam esse Olymp. LXXVI. 4. argumentum Persarum docet: *ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ* *), *Προμηθεῖ.*

Venio ad Glaucum Pontium. Is, ut plerique narrant, piscator fuit Anthedone, qui quum pisces, quos

*) Pontium Glaucum dici censuit Welkerus, qui quae de illo Glauco et in Trilogia et in eius Appendice protulit, immania cete in chorum convertens deorum marinorum, credenda relinquimus, qui huiusmodi rebus delectantur.

ceperat, herbae cuiusdam contactu reviviscere et in mare desilire vidisset, gustata ea herba ipse quoque in mare se praecipitasse, et deus marinus factus esse perhibetur *). Plurimas de eo fabulas refert Athenaeus lib. VII. p. 296. seq. quarum partem repetit Eustathius p. 271. Praeter hos vide eumdem Athenaeum XV. p. 679. A. Philostratum Imag. II. 15. Scholiastas Apollonii ad I. 1310. Euripidis ad Orest. 364. Tzetzen ad Lycophr. 754. Neque scholiastes Euripidis ad Orest. 318. Pontium Glaucum cum Potniensi confudit, quod ex his eius verbis colligi possit: *Πότνια πόλις Βοιωτίας, ὅθεν ὁ Γλαῦκος ἐμμανὴς γέγονε, καὶ ἥλατο εἰς τὴν θάλασσαν*, sed mutilum est scholion, integrandum ex Etym. M. p. 685, 44. Porro attigerunt hanc fabulam Strabo IX. p. 621. Nonnus Dion. XIII. 73. p. 354, 27. XXXV. 73. p. 868, 22. XXXIX. 99. p. 996. extr. ubi quum eum vocat *πόντιον Ἀονίης Ἀνθηδόνος ἀστὸν ἀρούρης*, respexit ad Lycophr. v. 754. *ἀστῷ σύνοικος Θρηκίας Ἀνθηδόνος.* Ex Latinis autem luculenter de Glauco marino egit Ovidius Metam. XIII. 904. usque ad XIV. 69. qui obiter mentionem fecerat VII. 232. s. Ex eo hausit Ausonius in Mosella v. 276. ss. Praeter hos vide Statium in Theb. VII. 335. seqq. et ibi veterem eius interpretem; tum Hyginum fab. 199. Naturali modo explicatur fabula ab Eudocia p. 98. ab Apostolio proverb. VI. 32. a Palaephato c. 28. a Fulgentio II. 12.

Iam Aeschyli fabulam praestantissimi viri, Leopardus, Rutgersius, Meursius, Salvagnius, Scherpezelius, Valckenarius, Ruhnkenius tragoediam fuisse putarunt.

---

*) Post editam hanc dissertationem ex Bekkeri Anecdotis haec accesserunt fragmenta: p. 347, 24.

ὁ τὴν ἀείζων ἄφθιτον πόαν φαγών.

Et v. 29.

καὶ γεύομαί πως τῆς ἀειζώου πόας.

Et p. 6, 21. *ἀνθρωποειδὲς θηρίον ὕδατι συζῶν· ἐπὶ τοῦ Γλαύκου, ἀναφανέντος ἐκ τῆς θαλάσσης· Ἀἰσχύλος.*

9 At nec veterum quisquam hoc testatur, Pausaniasque *δρᾶμα* appellare maluit, nec de argumento ita constat, ut inde quidquam, quod certum sit, colligi possit; tum ex fragmentis, quae pauca supersunt, illud certe, quod Athenaeus III. p. 87. A. attulit,

κόγχοι, μύες, κὤστρεια

(sic pro *κ' ὄστρεα* ex eiusdem Athenaei observatione p. 93. E. scribendum: *μύες ὄστρεια* sic iungit Anaxandrides apud eumdem p. 131. E. v. 59.) satyricam fabulam potius, quam tragoediam videtur redolere. Apertius vero indicium praebet scholiastes Theocriti ad IV. 62. *τοὺς σατύρους ἀκρατεῖς οἱ πλείονές φασιν, ὡς καὶ τοὺς Σειληνοὺς καὶ Πᾶνας, ὡς Αἰσχύλος μὲν ἐν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἀνδρομέδᾳ.* Ita haec scripta affert Casaubonus de satyr. poes. I. 5. ex codice, ut opinor, quo eum usum esse constat. Toupium enim mitto, vulgatam, in qua *ἀκρατεῖς* deest, sic interpretantem, ut satyros et Silenos a nonnullis Panes vocatos dici velit. Certum autem esse arbitror, marinum Glaucum in hoc scholio intelligi, non Potniensem, quam tragoediam fuisse et argumentum docet, et mentio facta in praefatione veteri ad Persas, ubi, si satyrica fabula fuisset, non tertio, sed quarto loco esset nominata. Quod pulcre animadvertens Casaubonus, quum non nisi unum ab Aeschylo scriptum esse Glaucum existimaret, ita corrigendum in ista praefatione censuit, *Φινεῖ, Πέρσαις, Προμηθεῖ, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ;* perperam sane, sed in eo tamen verum videns, quod Glaucum, quem scholiastes Theocriti citaret, satyricum esse intellexit. Et sic Toupius quoque Glaucum satyricum fuisse pronunciat, etsi solita festinatione non quaerens, utro de Glauco agatur.

Iam de argumento fabulae videamus. Id Ruhnkenius videtur positum putasse in infelici amore, quo Glaucus Scyllam deperisse fertur. Nam ad Velleium II. 83, 2. ubi is Plancum, caeruleatum et nudum caputque redimitum arundine, et caudam trahentem, genibus inni-

xum, Glaucum saltasse in convivio narrat, ita scribit: *Plancus, ni fallor, saltando effinxit Aeschyli Γλαῦκον πόντιον, de qua tragoedia opportuniore loco dicemus. Ex ea sumta videntur, quae de Glauco narrat Ovidius Met. XIII. 904. seqq. cuius hi versus cum Velleio comparandi:*

hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,
caesariemque meam, quam longa per aequora verro,
ingentesque humeros et caerula brachia vidi,
cruraque pinnigero curvata novissima pisce.

Velleii loco usus est Ios. Mercerus ad Aristaeneti I. Ep. 26. Movisse Ruhnkenium videtur tum mentio facta in hac fabula Siciliae, locorumque circa Scyllam, tum descriptio Glauci, de qua testem habemus Pausaniam X. 4, 5. *καλεῖσθαι δὲ τὰ δασέα ὑπὸ τῶν πάλαι δαῦλα· ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ Αἰσχύλον τοῦ Γλαύκου τοῦ Ἀνθηδονίου γένεια ὑπήνην ὠνομακέναι δαῦλον.* Integrum versum servavit Etym. M. p. 250, 4.

δαῦλος δ' ὑπήνη καὶ γενειάδος πυθμήν.

Omissum ibi *δ'* inserendum ex Eustathio p. 274, 24. qui verba *δαῦλος δ' ὑπήνη* affert. At in Glauci quidem descriptione nihil mirum si scriptores consentiunt: consentitque etiam Philostratus Imag. II. 15. Ad Scyllam vero quod attinet, parum verisimile est, de hac egisse Aeschylum, quum Athenaeus, qui curiose testimonia scriptorum de Glauco congessit, aliis auctoribus in Scyllae fabula exponenda utatur, Aeschyli autem nullam faciat mentionem. Omninoque ut non fortunam aut casum aliquem Glauci, sed vaticinia eius ab Aeschylo tractata esse putem, quum illud ipsum Athenaei silentium me movet, tum Pausanias, qui IX. 22, 6. sic scribit: *τούτων τε δή ἐστι τῇ Ἀνθηδόνι μνήματα, καὶ ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ καλούμενον Γλαύκου πήδημα· εἶναι δὲ αὐτὸν ἁλιέα, καὶ ἐπεὶ τῆς πόας ἔφαγε, δαίμονα ἐν θαλάσσῃ γενέσθαι,*

καὶ ἀνθρώποις τὰ ἐσόμενα ἐς τόδε προλέγειν, οἵ τε ἄλλοι πιστὰ ἥγηνται, καὶ οἱ τὴν θάλασσαν πλέοντες πλεῖστα ἀνθρώπων ἐς τὴν Γλαύκου μαντικὴν κατὰ ἔτος ἕκαστον λέγουσι. Πινδάρῳ δὲ καὶ Αἰσχύλῳ πυνθανομένοις παρὰ Ἀνθηδονίων, τῷ μὲν οὐκ ἐπὶ πολὺ ἦλθεν ᾄσαι τὰ ἐς Γλαῦκον, Αἰσχύλῳ δὲ καὶ ἐς ποίησιν δράματος ἐξήρκεσε. Quod si Rhegium, locosque qui circa sunt, et Siciliam poeta commemoravit, veri simile est, Glaucum alicui, qui ista loca adisset, fata cecinisse.

11 Quis autem non statim de Hercule cogitet? Sumamus, de hoc agi, et videamus, an ita aliquid, quod probabile videatur, effici possit: sed meminerimus simul, quamvis quid speciosum sit, posse etiam non verum esse. Nihil enim nec periculosius est in antiquitatis pervestigatione, nec turpius, quam incerta temere pro certis arripere. Herculi igitur, quum is inter Argonautas Colchos peteret, vaticinatum esse Glaucum ex Apollonio Rhodio I. 1310. sqq. Diodoro Siculo IV. 48. Philostrato Imag. II. 15. Eudocia p. 97. constat. Quam narrationem si est Aeschylus sequutus, certe eam sic videbitur temperasse, ut Herculem iam parte laborum profligata cum Glauco congressum fingeret. Nam, si quidem de Hercule sermo fuit in Aeschyli fabula, ipse se dixit in Siciliam venisse. Scholiastes Pindari ad Pyth. I. 152. *Ἱμέρας, ποταμὸς Σικελίας, περὶ οὗ καὶ Αἰσχύλος φησὶν ἐν Γλαύκῳ,*

> *καλοῖσι λουτροῖς ἐκλελούμενος δέμας*
> *εἰς ὑψίκρημνον Ἱμέραν ἀφικόμην.*

Ita quidem corrigunt, nec male. Editum est *ἐκλέλουμαι* et *Ἱμέραν δ' ἀφικόμην.* Possunt autem haec eo magis videri ad Herculem spectare, quod ei Siciliam peragranti nymphae thermas ad Himeram, aliasque ad Egestam excitasse dicuntur, ut refert Diodorus IV. 23. Atque haud inepte coniicias, his versibus statim subiectum fuisse illum versum, quem non indicato fabulae nomine Pollux servavit, ita scribens VII. 167. *Αἰσχύλος δ' ἂν ἐοίκοι τὰ βαλανεῖα λουτήρια λέγειν,*

λοῦταί γε μὴν λουτήριον αὐτὸ δεύτερον.

Scribendum puto, quamvis in satyrica fabula, *λουτήρι' αὐτὰ δεύτερα.* Suspiceris autem, secunda haec dici lavacra propter thermas Egestaeas. Paullo post credas positum fuisse versum, quem statim addit Pollux,

ἀλλ' ἐκ μεγίστων εὐμαρῶς λουτηρίων.

Venerat autem Hercules in Siciliam, quum ei Geryonae armenta agenti taurus ab Rhegio in Siciliam tranatasset, ut Apollodorus II. 5, 10. p. 134. scribit, quam rem etiam Dionysius Halic. Ant. Rom. I. p. 28, 4. ed. Sylb. ex 12 Hellanico, sed nulla Rhegii mentione facta; et paullo aliter, qui meminit agri Rhegini, Diodorus IV. 23. narrant. Vide Cluverium in Ital. ant. I. 1. p. 5. ss. Diodorus quidem Herculem nando traiecisse fretum dicit, unde audaciora amantibus alia patet via, qua *λουτήρια* ista explicent. Ex illa autem Rhegii mentione colligas, fortasse ad Pontium Glaucum pertinere, quae Strabo p. 396. his verbis retulit: *ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον, εἴθ' ὥς φησιν Αἰσχύλος, διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν, ἄλλοι τε κἀκεῖνος εἴρηκεν,*

ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται.

Ac loca circa Rhegium, ipsumque Rhegium ab Aeschylo commemorata esse, ex Hesychio discimus, apud quem perperam, ut equidem existimo, Potniensis Glaucus pro Pontio citatur in his: *Ξιφίρου λιμήν, Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, ὁ πορθμός· ταῦτα γὰρ πάντα τὰ περὶ Ῥήγιον ὡρείων.* Ita codex. Corrigunt, *τῶν περὶ Ῥήγιον ὁρίων,* vel *νεωρίων.* Casaubonus autem ad Athen. p. 170. et Hadr. Iunius *Ξιφήρου λιμὴν* scribunt, quo nihil proficimus. Malit quis forsitan *Ζεφύρου* vel *Ζεφυρίου λιμήν.* Nam non longe abest promontorium Zephyrium, quod *Ζεφύρου ἄκρην* vocat Dionysius Perieg. v. 364. sub eoque portus fuit. Strabo VI. p. 397. *μετὰ δὲ τὸ Ἡράκλειον ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον, ἔχου-*

σα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα, ἐξ οὗ καὶ τοὔνομα. Verum mittam hoc: iam enim afferendum est, quod hanc viam praecludat, aliamque tentare suadeat. Dico autem hunc Strabonis locum p. 686. s. *ἔστι δὲ πᾶσα μὲν ἡ Εὔβοια εὔσειστος, μάλιστα δ' ἡ περὶ τὸν πορθμόν, καὶ δεχομένη πνευμάτων ὑποφοράς, καθάπερ ἡ Βοιωτία καὶ ἄλλοι τόποι, περὶ ὧν ἐμνήσθημεν διὰ πλειόνων πρότερον· ὑπὸ τοιοῦδε πάθους καὶ ἡ ὁμώνυμος τῇ νήσῳ πόλις καταποθῆναι λέγεται, ἧς μέμνηται καὶ Αἰσχύλος ἐν τῷ ποντίῳ Γλαύκῳ·*

> *Εὐβοΐδα καμπὴν ἀμφὶ Κηναίου Διὸς*
> *ἀκτήν, κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Λίχα.*

Ita codd. pro vulgato *καμπτήν*. Hos versus Valckenarius subiectos putabat alii versui, de quo ipsa summi viri verba afferam ex diatr. de fr. Eur. p. 143. C. *idem illud* 13 *participium* (*ἐκπεπτωκότες*), *sed paullum diverso significatu positum, miram subiit corruptelam in* Aeschyli *versu, quem ex eius Γλαύκῳ ποντίῳ vita praebet* Arati, *post* Victorium, *vulgata* D. Petavio *in Vranolog.* p. 269. A. *εἰσὶ δὲ καὶ τῆς Εὐβοίας Ἀθηναίων Δαΐδαις μέμνηται* (*in margine corrigitur Ἀθῆναι ὧν μέμνηται*) *ἐν Γλαύκῳ ποντίῳ Αἰσχύλος,*

> *κἄπειτ' Ἀθήνας Δαΐδας παρ' ἐκ Περσῶν·*

Petavius *Latina dedit sensu vacua:* Exinde Athenas Daidas e Persis. *Persas hinc fugabit una duntaxat ablata littera; una etiam transposita senarium nobis* Aeschyli *restituet:*

> *κἄπειτ' Ἀθήνας Διάδας περεκπεσών.*

Cumque deinceps furtim Athenas Diadas se subduxisset. *Facillime iam vicina sic corrigi poterunt: εἰσὶ δὲ καὶ τῆς Εὐβοίας Ἀθῆναι Διάδες, ὧν μέμνηται — Αἰσχύλος· haec non attigerunt* Stanleius, *aut commentatores* Stephani Byz. *qui eadem forsan olim posuerat in Ἀθῆναι· ubi enim istius nominis urbs sexta commemoratur in Eu-*

boea, atque ista prostant, τὰς δ' Ἀθήνας καὶ Διάδας λέγεσθαι· *primitus forte scripserat Grammaticus:* ταύτας τὰς Ἀθήνας καὶ Διάδας λέγεσθαι Αἰσχύλος μαρτυρεῖ. *Quando autem* Stephanus, *sequutus* Strabonem X. *p.* 684. *A.* Δῖον *urbem fuisse scribit Euboeae* περὶ τὸ Κήναιον, *a qua prope abfuerint* (πρὸς ταύτῃ ἦσαν) Διάδες Ἀθῆναι καλούμεναι, *suspicor equidem, quos eadem laudat e Tragoedia* Strabo *p.* 687. *A. versus* Aeschyli *versui paulo ante emendato iungendos:*

> Εὔβοϊδα καμπὴν, ἀμφὶ Κηναίου Διὸς
> Ἀκτὴν, κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Λίχα.

Docta haec summi viri adnotatio, neglecta illa a Buhlio in Arati vol. II. p. 470. solo infelici isto παρεκπεσὼν deformatur. Tametsi quis credat, quod quivis Aeschylum scripsisse videat, παρεκπερῶν *), Valckenarium effugisse? Sed ille interdum, ne trita incedat via, in avia defertur. Isti vero versus, in quibus Lichae tumulus memoratur, monent, ut dubitemus, an de alio potius, quam de Hercule in Glauco Pontio egerit Aeschylus. Nam quum Licham Hercules iamiam morti propinquus interemerit, ipse quidem vix potuit Lichae tumulum commemorare: nec, si Glauci fuerunt hi versus, de Hercule ille sic loquutus videbitur. Quare videndum, ne non Hercules, 14 sed Orestes sit is, cui fata canentem Glaucum poeta introduxerit. In hunc enim haud difficilius, quam in Herculem, fragmenta, quae attulimus, quadrant. Quo brevius hoc ostendam, ipsa auctorum verba afferam. Scriptor de inventione bucolicorum, Theocrito praemitti solitus: *Ὀρέστῃ γὰρ ἐκκομίζοντι τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ἐκ Ταύρων τῆς Σκυθίας χρησμὸς ἐξέπεσεν, ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι· ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας, τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις διαχώροις ποταμοῖς· ἔπειτα εἰς Τυνδαρίδα*

---

*) Ita iam Scaligerum emendasse comperi e Villoisonii Epist. Vinar. p. 78. b.

Σικελίας ἦλθεν. Probus in praefatione ad Virgilii bucolica: *Orestes, post parricidium furens, responso didicit, quod deponeret furorem ita demum, si recuperata sorore Iphigenia ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur. Diu vexatus, quum in Taurica Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum, ibique invento flumine elutus traiecit in Siciliam.* Et paullo post: *huius autem fluminis, apud quod purgatus est Orestes, Varro meminit Humanarum X. sic: iuxta Rhegium fluvii continui septem, Latapadon, Migodes, Eugyon, Stacteros, Polme, Meleissa, Argeades: in his a matris nece dicitur purgatus Orestes, ibique diu fuisse ensem, et ab eo aedificatum Apollinis templum: cuius loco Rheginos, quum Delphos proficiscerentur, lauream decerpere solitos, quam ferrent secum. Item Cato in Originibus tertio: Rhegini Taurocini vocantur de fluvio, qui praeterfluit. Id oppidum Aurunci primo possederunt; inde Achaei Troia domum redeuntes. In eorum agro fluvii sunt sex; septimus fines Rheginorum atque Taurinum dispescens; fluvio nomen est Paccolico. Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum venisse, et non longinqua memoria est, quum in arbore ensem viderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur.* Prorsus haec tenebricosa sunt: praetermisitque Cluverius, cui tamen lecta fuisse ex p. 1298, 24. colligas. Apud commentatorem Theocriti in magno consensu codicum unus *διαφόροις ποταμοῖς* habet. Apud Varronem in edd. primi fluminis nomen scribitur *Latopodonar*, secundi *Mygodes*, quarti *Stacteres.* Apud Gabr. Barrium in Graevii Thes. Antiq. Italiae T. IX. P. V. p. 68. *Lapadon, Micodes, Eugion, Stracteros, Polmae, Melcissa, Argeades*, vocantur. Vmbra quaedam horum nominum mansit in oppidulis Parma, sive Palma, atque Arciade, 15 de quorum priore Barrius p. 71. E. et Cluverius p. 1293, 33. de altero idem p. 1293, 28. 1298, 22. Aliud oppidum, Melissa, quod Barrius p. 154. C. et Marafiotus fol. 204. ab Ovidio Met. XV. 52. memoratum pu-

tant, remotius est, quam quod huc trahi posse videatur. Apud Catonem *Taccolico* scribitur in fragmentis historicorum. Phacelinum amnem Siciliae, de quo Cluverius in Sicilía p. 377. C. et interpp. ad Vibium p. 170. una cum Diana Facelina huc translatum suspiceris: vide Cluverium p. 375. s. Vere Lampridius p. 103. D. *et Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianae, nec uno in loco posuisse, sed multa in multis. Posteaquam se apud Tria flumina* (loci id nomen esse iudicat Casaubonus p. 147. a. C.) *circa Hebrum ex responso purificavit, etiam Orestam condidit civitatem.* Videmus hic eamdem rem, quae ab aliis in Italia locatur. His adde, quae Marafiotus in libro Patavii a. 1601. edito, cui titulus est *Croniche et antichita di Calabria*, fol. 37. b. de Proserpina scribit: *la cui historia cosi viene racconta da Proclo nell' Epitome de oraculis, mentre raggiona degli atti d' Oreste. Porro tunc Hipponium urbem Calais vita functi Hermippi uxor regebat, cuius filia Proserpina per Vibonense littus cum vagaretur, Plutonis Siculi piratae incursus non evasit, qua cum plerisque mulieribus rapta, ut matris dolor quiesceret, tanquam in Deae sortis mutatam suaserunt hipponenses, eique templum erexerunt; didicitque ibi Orestes deponendum furorem si post ablutionem Rhegii Dianae Fascelidis simulacrum erigeret, quod opere complevit.* Idem fol. 132. a. b. quae Strabo VI. p. 394. de Hipponio refert, Latine, sed mutato rerum ordine versa explanans, sic scribit: *dice ancora che quivi venne Proserpina di Sicilia; mà credo che per Sicilia intendesse questo paese di Calabria, et in particolare Ippone, dove anticamente signoreggiava Calais; altri la chiamarono Cerere; non quella che fù sorella di Saturno, mà Cerere Ipponiaca moglie d' Ermippo, come s' è detto nel precedente libro, la cui figliuola Proserpina fù rubbatta da Plutone corsaro dell' isola di Sicilia, mentre colei s' andava à*

diporto con altre donzelle nelle maremme di Vibone. Mà doppo favolosamente i Poeti finsero questa rapina à Proserpina figliuola di Cerere; non dimeno la 16 *verità del fatto è secondo che dice Proclo nell' Epitome de Oraculis, e l' habbiamo accennato nel precedente libro, dove s' è descritto tutto 'l successo dell' historia, e perciò non lo replicaremo di novo. Mà chi vuole sapere più certamente, che Proserpina sia stata rubbata da Plutone nel lido del mare di Vibone, legga Messer Francesco Alunno da Ferrara, nella sua fabrica del mondo; dove assentendo all' openione di Strabone nel trattato della Luna, usa queste parole. Proserpina in latino laquale quella medesima è, che la Luna, secondo i Poeti fù figliuola di Giove, e di Cerere, essendo un giorno ne' parti dell' isola di Sicilia, ò pure di Vibona in Calabria, come c' insegna Strabone à coglier fiori, fù veduta da Plutone Dio dell' Inferno, il quale preso dalla bellezza della fanciulla, la rapì e fecesela moglie; ne credo che Strabone harebbe insegnato à noi questa dottrina s' egli primo di noi non l' havesse imparata dalle scritture di Proclo.* Haec Marafiotus, qui unde ignotum doctis Procli librum commemoret, laetabor, si quis mihi monstraverit. Illud scio, de Proserpina Hermippi f. quam Pluto, patruus eius, pirata Siculus rapuerit, etiam compilatores quosdam lexicorum geographicorum in nomine *Vibo* mentionem iniicere. Sed apparet tamen ex his omnibus, satis commode in Orestem quadrare et λουτρὰ illa, et Rhegium, quique circa sunt loci, in quibus corruptum nomen Ξιφίρου λιμὴν satis singulari ratione ad conservatum in ista regione ensem Orestis alludere videtur, ut suspiceris eumdem esse portum, quem alii Orestis vocant. Denique sic etiam Lichae tumulus offensione carebit, Euboeaque a Glauco commemorata putabitur, alios praedicente errores Orestis, quem non modo Brauronem in Attica deportasse Dianae simulacrum quidam

retulerunt, sed ipsa in Euboea fuisse arguere videtur Oresta, quod loci in ea insula nomen fuisse testatur Hesychius, ex quo Stephanum Byzantinum corrigunt Holstenius et Berkelius. Haec nunc quidem de hac re habemus: sed vellemus certiora, repertisque forte, gaudebimus.

DE VERSIBVS SPVRIIS APVD AESCHYLVM DISSERTATIO *).

3 Ars critica ita exerceri a plerisque solet, ut, quoniam omnis eius vis in iudicandi sollertia expromitur, nullam eius esse disciplinam existimare videantur. Quae res facit, ut, dum vel sensum quisque suum vel opinionem aliquam aut consuetudinem sequitur, non ubique iusta et apta medendi ratio adhibeatur. At huius quoque artis ratio quaedam est ac disciplina, quae et modos emendandi explicat, et ubi singulis horum modorum utendum sit, praecipit, et quousque eorum usus pateat, docet. Quae omnia quo maius saepe in emendando momentum habent, tanto magis optandum est, ut exsistat, qui omnem huius artis rationem accuratius, quam adhuc factum est, explanet: praesertim quum interdum etiam primarios viros in hoc genere errare videamus. Nam quum nulla emendandi ratio per se ipsa spernenda sit, tamen translata, quo non debet, vel modum, qui quoque loco tenendus est, egrediens, obsit potius, quam prosit, necesse est. Monebo, data scribendi opportunitate, iuvenes litterarum studiosos de illa tantum ratione, quae indagandis spuriis continetur: in qua quidam ita sibi placuerunt, ut vix quidquam adversus eorum suspiciones satis muni-

*) Edita est a. 1814.

tum fuerit. Sunt autem genera additamentorum, quibus scripta veterum deformata sunt, plura. Nam modo interpretationes vocabulorum, quae glossemata vocantur, modo enarrationes sententiarum, modo locos similes adiectos videmus: praetereaque interdum traiectum est aliquid eo, quo non debebat, vel casu etiam, a quo nihil tutum est, illatum. Verum bene tenendum est, haec non aeque omnia in quovis scriptore obvia esse, sed quae horum non errori debentur, in his fere scriptoribus inveniri, qui quum multum lectitarentur, largam etiam adnotandi opportunitatem praebebant. Quare ut in his attenti esse debemus, ne quid alienum nos lateat, ita in iis, qui minorem experti sunt lectorum assiduitatem, cavendum, ne in suspicionem vocemus, quae genuina sunt. Vtar exemplo Aeschyli. Hic quum aliquanto minus, quam Euripides, in scholis grammaticorum tractatus fuerit, consentaneum est, etiam paucioribus eum vel adnotationibus, vel interpolationibus, vel insititiis versibus esse corruptum. Ex quo intelligi potest, non satis caute fecisse, qui plurimos huius poetae versus ut spurios damnarunt. Nam ut semel iterumve alienus apud eum versus reperiatur, veluti in Persis post v. 253. libri quidam Sophoclis versum inserunt,

στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν,

quem in censum veniunt in eadem fabula etiam v. 780. et in Sept. ad Th. v. 607. at plerisque in locis, qui maxime spurii visi sunt versus, non nisi aut interpretatione iusta, aut apta emendatione, aut restitutione in locum suum indigent, ut maxime genuinos esse appareat. Quin quum saepius apud Aeschylum omittendo, quam addendo peccatum sit, est etiam, ubi hiatum non solum animadvertere, sed etiam explere possis, inserendis, qui neglecti ab librariis fuerunt, versibus. Placet singula horum uno alterove exemplo confirmare.

Agamemnonis hoc est initium:

θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων

> *φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος*
> *στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,*
> *ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν,*
> *καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς*
> *λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι*
> *ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.*

Versum, qui horum ultimus est, ut ineptum, praetereaque Achilli Tatio ignotum, damnarunt Valckenarius ad
5 Eurip. Phoen. 506. Porsonus in Append. ad Toupii Not. in Suid. T. IV. p. 479. aliique, vereor ne iniuria. Nam Achillis Tatii exigua auctoritas est, qui et valde corruptus sit, et paullo ante etiam in alio Aeschyli loco omittat, quae adiicienda fuisse existimes. Versus autem ipse tantum abest ut ineptus sit, ut, si memineris, usitata Graecis ratione *τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν* dictum esse pro *ὅταν φθίνωσιν οἱ χεῖμα καὶ θέρος φέροντες ἀστέρες,* etiam aptissimus videatur. Hoc enim dicit ille: *video et coelum stellarum, et quando quodque illorum siderum, ex quibus anni tempestates numeramus, occidit atque oritur.*

In Choephoris Electra manes patris invocans, fratremque ad patrandam caedem exhortans, his verbis utitur v. 506.

> *ἄκου᾽· ὑπὲρ σοῦ τοιάδ᾽ ἔστ᾽ ὀδύρματα.*
> *αὐτὸς δὲ σώζει τόνδε τιμήσας λόγον.*
> *καὶ μὴν ἀμόμφητον δέ τινα τὸν λόγον,*
> *τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.*
> *τὰ δ᾽ ἄλλ᾽, ἐπειδὴ δρᾶν κατώρθωσαι φρενί,*
> *ἔρδοις ἂν ἤδη, δαίμονος πειρώμενος.*

Secundum ex his versibus spurium putarat Schützius: quem reprehendens Porsonus in Suppl. praef. ad Eurip. Hec. p. 37. manifesto spurium esse contendit sequentem versum, omissum in cod. Guelf. et ed. Ald. et ei, qui sequitur, versui subiectum in ed. Rob. At uterque, si quidquam apud Aeschylum, genuinus est, modo corrupta recte emendes. Neque enim apparet, unde venerit

tale additamentum. Partem veri Seidlerus vidit, legendum putans,

καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἔτεινα τὸν λόγον.

Non tamen perfecit emendationem. Nam particulae *καὶ μὴν* non aliter hic aptae sunt, quam si alius personae orationem incipiant. Atqui quid planius est, quam Oresti Electraeque se invicem ad vindicandam patris necem cohortantibus chorum adstipulari his verbis:

καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἐτείνατον λόγον, 6
τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.

Quae ille quum dixisset, reliquis duobus versibus ad solum Oresten, cuius illud officium erat, ut rem perpetraret, se convertit.

Sed diximus supra, cavendum etiam esse, ne spurios putemus eos versus, qui nihil nisi in alienum locum traiecti sunt. Ita in eadem fabula haec leguntur v. **162**.

ἔχει μὲν ἤδη γαπότους χοὰς πατήρ,
κῆρυξ μεγίστη τῶν ἄνω τε καὶ κάτω.
νέου δὲ μύθου τοῦδε κοινωνήσατε.

Advertit, qui medius horum versuum est, Robortellum, ut post eum lacunae signum poneret. Nec dubium est, versum illum, sic, ut nunc est, reliquis insertum, adeo ineptum esse, ut mirum sit, qui alias ad eiiciendos versus promptissimi sunt, hic ad lacunam confugere maluisse. Quid enim? Quidquid excidisse statuas, num tale erit, ut Mercurii invocationem hic aptam esse efficias? Non opinor equidem. Quod si superiora consideraveris, facile, spero, adduceris, ut versum illum, lacerato vel eiusdem paginae supremo, vel praecedentis folii imo margine, alienam sedem occupasse tibi persuadeas. Apertum enim huius rei indicium praebent illa v. **122**.

– – – Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς.

Vnde quid aliud colligemus, quam, quo nihil inveniri aptius aut convenientius potest, ita processisse hanc orationem:

> *κῆρυξ μέγιστε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω,*
> *ἄκουσον, Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ*
> *τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς*
> *εὐχάς.*

7 Apparet, verbum *κηρύξας*, quod aliter obscurum foret, nunc habere quo referatur, praegresso nomine *κῆρυξ*.

In Agamemnone Cassandra, ultorem exstiturum esse Agamemnonis significans, his verbis utitur v. 1289.

> *ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος,*
> *μητροκτόνον φίτυμα, ποινάτωρ πατρός,*
> *φυγὰς δ᾽ ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος*
> *κάτεισιν ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.*
> *ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.*
> *τί δῆτ᾽ ἐγὼ κάτοικος ὧδ᾽ ἀναστένω;*
> *ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν*
> *πράξασαν, ὡς ἔπραξεν, οἳ δ᾽ εἶχον πόλιν,*
> *οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει,*
> *ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.*
> *ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας.*
> *Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ᾽ ἐγὼ προσεννέπω.*
> *ἐπεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν,*
> *ὡς ἀσφάδαστος, αἱμάτων εὐθνησίμων*
> *ἀποῤῥυέντων, ὄμμα συμβάλω τόδε.*

Versum, qui in his quintus est, quum non habere, unde penderet, critici animadverterent, *ἄξειν* in *ἄξει* mutarunt. At tam abrupta oratio, praesertim in sententia, quam, si abesset, nemo esset desideraturus, non potest non offensioni esse: ut mirer, non fuisse, qui eum eiectum mallet. Non minorem, si attendas, dubitationem movet undecimus ex his versibus. Quo si Cassandra illud indicare vult, necessario sibi moriendum esse, non modo brevius id atque obscurius, quam par est, significat, sed etiam gravius de se et magnificentius loquitur, quam illa, in

qua est, animi affectio ferre videtur. Quod sentiens Schützius primo versum ut spurium damnavit, nuper autem post illum, de quo ante dicebamus, posuit. Mirum vero, praestantissimum virum, ubi semel viderat, alieno loco eum versum legi, non, quod nobis quidem pridem certissimum visum erat, eum ante illum versum collo- 8 casse: quo facto non modo vulgatam lectionem *ἄξειν* sinceram esse, sed sententiam quoque aptissimam optimeque nexam restitui apparet:

> *φυγὰς δ' ἀλήτης τῆςδε γῆς ἀπόξενος*
> *κάτεισιν, ἄτας τάςδε θριγκώσων φίλοις.*
> *ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας,*
> *ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.*

Exsul, inquit, *atque extorris redibit ille*, *finem impositurus his malis: magnum enim ab diis dictum est iusiurandum, revocaturam eum esse necem prostrati patris.*

In Persis v. 580. Ita vulgo legebatur: *πενθεῖ δ' ἄνδρα δόμος στερηθείς· τοκῆες δ' ἄπαιδες ἔῤῥανται ἐν δάκρυσι, δαιμόνι' ἄχη, ὀά, ὀδυρόμενοι γέροντες· τὸ πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλγος.* Oratio in his parum concinna; verba aliquanto plura, quam numeri ferre videantur. Et *ἐν δάκρυσι* quidem multi libri omittunt; esse etiam, qui *ἔῤῥανται*, quin qui utrumque omittant, Stephanus dicit. Hos iure sequutus editor Glasguensis, sublata post *γέροντες* interpunctione, orationi concinnitatem restituit. At unde tamen *ἔῤῥανται*, quod minime videtur interpretis vocabulum esse? Nempe codice, unde ducti sunt libri nostri, duos laterculos (columnas typographi vocant) in singulis paginis habente, strophae et antistrophae pars ita sese contingebant:

ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας, ὀά, ἔῤῥανται·	*δαιμόνι'*
	ἄχη, ὀά,
στένε καὶ δακνάζου.	*δυρόμενοι*
	γέροντες.

Hinc factum, ut *ἔῤῥανται*, quod in stropha cum verbis

στένε καὶ δακνάζου unum versum efficere debebat, antistrophae adiiceretur, quumque explicatione indigeret, adscriberetur *ἐν δάκρυσι*. Sic, detecta erroris origine, nulla mutatione facta et metra exaequantur, et sensui utroque in loco consulitur, simulque vocabulum poetae suum vindicatur, idque haud parum memorabile propter formam numeri pluralis, iniuria, ut opinor, suspectam Schaefero ad Dionys. Hal. de struct. or. p. **355**. et ad schol. Apollon. Rhod. p. **208**.

9 Interdum versus reperiuntur, qui quod explicationis speciem habent, pro insititiis habiti sunt. Editor Glasguensis, quem qui Porsonum esse putarunt, non satis videntur magni illius viri morem cognitum habuisse, in Agamemnone v. **88**. ubi haec leguntur,

> *πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων,*
> *ὑπάτων, χθονίων,*
> *τῶν τ' οὐρανίων, τῶν τ' ἀγοραίων,*
> *βωμοὶ δώροισι φλέγονται,*

versum, qui ante ultimum est, uncis inclusit, auctore Heathio *): quem versum equidem non minus genuinum esse puto, quam quos in eadem fabula, ingeniose sane et non sine specie veri, eaque etiam a metro et antistrophicorum lege desumpta, Seidlerus de verss. dochm. p. **408**. damnavit, v. **1530**.

> *οὐκ ἀνελεύθερον οἶμαι θάνατον*
> *τῷδε γενέσθαι.*

Sed nolo his immorari, quae longiorem disputationem requirunt. Illud miror, editorem Glasguensem non uncis inclusisse haec in Sept. ad Theb. v. **890**. *οὐκ ἐπὶ φιλίᾳ, ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε*, quae tam manifesto interpretis verba sunt, ut non videam, quomodo id ullum latere potuerit criticum. Tametsi nuper priorem versiculum de-

---

*) Fecit id profecto ipse Porsonus in ea, quae genuina eius est Aeschyli editio.

fendere conatus est censor editionis Schützianae in Diar. Ienens. **1813.** mense Octobri p. **117.** Sed hic vir nondum eam, quam velis, cum Aeschylo videtur familiaritatem contraxisse. Glasguensis quidem editor, ut haec damnare debebat, ita non debebat, Piersoni motus iudicio, in Eumen. v. **1017.** verbo *ἐπιδιπλοΐζω* uncos apponere. Sed saepius ille alios, nec semper fidos duces sequitur.

Sed ut addendo peccatum est apud Aeschylum rarius, ita frequentissime, multoque saepius, quam critici animadverterunt, erratum est omittendo. Cuius rei quum plurima possim exempla proferre, paucis tantum utar, quae sunt eiusmodi, ut reponi, quod omissum est, posse videatur.

10 Mos est tragicorum, versus inter colloquentes personas aequali lege distribuere, nec nisi aut in initio, aut in fine uni personae plures, quam alteri, versus dare. Sed faciunt hoc etiam in medio colloquio, ibi quidem, ubi materia colloquii mutatur, ut quasi novum institui videatur colloquium. Itaque aliquam rationem habet locus in Prometheo v. **623.** ubi quum Prometheus et Io singulis versibus alternassent, de Prometheo colloquentes, iam Io, de se sermonem iniectura, duobus versibus Prometheum alloquitur, progredientibus deinde per singulos versus vicibus:

ΙΩ. *καὶ πρός γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης*
δεῖξον, τίς ἔσται τῇ ταλαιπώρῳ χρόνος.
ΠΡ. *τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.*
ΙΩ. *μήτοι με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.*

Sed utcumque haec defendantur, responsio puellae non satis convenire videtur cum eo, quod Prometheus dixerat. Nam quum particula *μήτοι* concludentis sit, contrarium potius quam illud, quod dicit, concludere debebat, ut rectius adversativa particula usura fuerit, *ἀλλὰ μή με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.* Vide vero miram ad hunc locum scholiastae adnotationem: *λέγουσι δὲ ὅτι, ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται.* Quae quid aliud, quam facit, ut suspicari debeamus, interpretem istum,

quum versum illum in margine adscriptum videret, pro sententia eum nescio cuius habuisse, et proinde, additis verbis *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι,* commentario suo inseruisse. Nam ut taceam, versum illum omnino dignissimum esse Aeschylo, quid vel gravius hoc loco, vel accommodatius ad nexum orationis scribi potuit, quam hoc:

> *ΠΡ. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.*
> *ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται.*
> *ΙΩ. μή τοι με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.*

Iam enim et recte concludet Io, et duobus huius versibus totidem versibus Prometheus respondebit.

In Agamemnone haec leguntur v. 599.

11

> *καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε· φρυκτώρων διὰ*
> *πεισθεῖσα, Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς;*
> *ἦ κάρτα πρὸς γυναικός, αἴρεσθαι κέαρ.*
> *λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην·*
> *ὅμως δ' ἔθυον.*

Nihil est in his, quod desideretur. Non inepte tamen suspiceris, poetam scripsisse:

> *λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην,*
> *πεισθεῖσα τῷ φέροντι θέσκελον φάτιν.*

Addit enim hunc versum scriptor Christi patientis v. 75. qui, quod satis mirum est, solam ex Aeschyli fabulis Agamemnonem videtur cognitam habuisse.

Possem his addere alia. Veluti in Persis divinari, nisi fallor, locus potest, ubi versus ille exciderit, ex quo scholiastes Hermogenis, citatus a Bastio ad Greg. Cor. p. 241. vocabulum *ὑπόξυλος* affert. Pariterque, quae ex eadem fabula ab Athenaeo p. 86. B. commemorantur corruptissima verba, *τίς ἀνήρει τὰς νήσους ἀναριτοτρόφους,* quorum tamen ultimum recte in codice scriptum est *νηριτοτρόφους,* neque ad Phrynichum, neque ad Epicharmum, neque ad alteram Aeschyli Persarum editionem pertinere, sed ex ea ipsa, quam nunc habemus, edi-

tione, excidisse veri simile est: quod ubi factum videatur, nunc quidem iis quaerendum relinquam, quibus minus, quam mihi, difficilis videtur huius poetae emendatio. Sed unum tamen ex illa fabula locum attingere placet. Est is a v. 537.

πολλαὶ δ' ἀπαλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι, διαμυδαλέοις
δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ' ἄλγους μετέχουσαι.
αἱ δ' ἁβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν
ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν,
λέκτρων τ' εὐνὰς ἁβροχίτωνας,
χλιδανῆς ἥβης τέρψιν ἀφεῖσαι,
πενθοῦσι γόοις ἀκορεστοτάτοις.

Senserunt critici, duas hic feminarum classes commemorari, quarum secunda uxores Persarum complectitur, prima autem quae sit, ex verbis poetae tam parum colligi potest, ut potius omnes Persicae mulieres intelligendae videantur: quod tamen repugnat sequentibus. Itaque Bothius, videns lectionem quorumdam librorum *ἀταλαῖς* in grandaevas mulieres quadrare, de his et recte quidem, sermonem esse intellexit: sed quum, emendare locum volens, *πολλαὶ* in *πολιαὶ* mutavit, canos nobis capillos pro canis mulieribus exhibuit. Rectius Schützio visus est versus excidisse. Eamque suspicionem egregie confirmat unus quidem, sed optimae notae codex, Vitebergensis, in quo post verbum *κατερεικόμεναι* luculentis litteris additum est *μαγνάδ,* ut pene incredibile sit, negligi hoc a Zeunio in collatione huius codicis potuisse. Haec vero quantumvis corrupta vox, si compendia scripturae in codicibus usitata in auxilium advoces, non magno negotio optimam lectionem praebebit: 12

πολλαὶ δ' ἀταλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι μαῖαι γονάδες
διαμυδαλέοις δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ', ἄλγους μετέχουσαι.

Μαῖα enim secundum Hesychium matris honorifica appellatio est. Idem etiam alterum vocabulum, ex hoc ipso fortasse loco sumptum, tuetur: *γονάδες, μητέρες.* Et ita hic locus similis fiet iis, quae supra dicta erant v. **64.**

τοκέες τ' ἄλοχοί θ' ἡμερολεγδὸν
τείνοντα χρόνον τρομέονται.

Caeterum in eamdem coniecturam incidit, iussus a me ipse videre, quid lateret in illa codicis Viteb. lectione, unus ex iis, quorum hic vitae subiiciuntur, Chr. Tr. G. Hildebrandus, iuvenis optimae indolis.

DE AESCHYLI PERSIS DISSERTATIO *).

Quae tres partes sunt interpretationis, explicatio verbo- 3
rum, enarratio rerum, et disceptatio de scriptoris virtutibus vel vitiis, earum illa, quam postremam nominavi, quoniam fere ad sensum quemdam iudiciique sollertiam redit, ut liberalior reliquis duabus habetur, ita etiam magis ambigua est atque incerta. Nam quum omnino in rebus, quae sensu magis quam scientia percipiuntur, diversissima sint hominum iudicia, tum multo maior sit necesse est dissensio, ubi ne materia quidem, de qua iudicatur, ita explorata ac definita est, ut una omnibus atque eadem videri debeat. Id vero maxime in veterum scriptis usu venit quae modo ob temporis vetustatem, modo propter linguarum imperfectam notitiam ita quasi e longinquo conspiciuntur, ut, prout cuique propius accedere contigerit, aliam atque aliam speciem prae se ferant. Nam vetustas, quae plerarumque rerum memoriam obscurat, facit, ut haud raro, quo rerum statu, quo consilio, quo in singulis partibus respectu quid scriptum sit, aut plane ignoremus, aut non nisi coniectando assequamur: quo in genere quam facile accidat, ut, neglecto vero, falsa consectemur, in promptu est. Linguarum autem scientia quum non in omnibus, qui docti vocantur, eadem sit,

*) Edita est a. 1812.

non solum pro sua quisque facultate alii aliter iudicant, sed multi, mentem scriptoris in universum percepisse contenti, id ipsum satis esse ad laudandum eum vel vituperandum existimant. Qui error quum nullo in scriptore levis sit, gravissimus est in iis scriptoribus, quorum praecipua virtus, ut poetarum et oratorum, in dictione elucet. Nam qui linguae scientiam, quod sane faciunt nonnulli, in eo consistere putant, ut quis significationes verborum
4 et constructiones teneat, nae illi parum cognitum habent, quod sit interpretis officium: quem illud quoque scire oportet, quam vim et potestatem quaeque loquendi forma habeat, ne poetica cum pedestribus, serio dicta cum ludicris, exquisita cum vulgaribus, gravia cum tenuibus, grandia cum exilibus permisceat. Quae qui distinguere nesciunt, tantummodo de qua re quis scribat, non quid scribat, nedum quomodo scribat, intelligunt. Ex quo consequitur, ut, nisi tota via a mente consilioque scriptoris aberrent, certe non animadvertant omnia, quorum aliquod in iudicando momentum sit. Insigne horum, quae dixi, exemplum praebent Aeschyli Persae: cui fabulae incredibile dictu est quam repugnantia contigerint doctorum iudicia: quos si audias, nescias profecto, utrum admirari gravem eximia sublimitate tragoediam, an ridere comoediam, scurrilibus iocis obscenaque turpitudine plenam, oporteat. Neque vero hic, quod alias in tali sententiarum discrepantia factum videmus, verum in medio positum est, sed, nisi egregie fallor, ita totum ab altera parte stat, ut ei ne satis quidem factum videatur. Nam unus ille, qui hanc fabulam ad comoediae humilitatem deprimere conatus erat, et refutatus est ab aliis, et ipse, ut spero, mutavit sententiam: ex defensoribus poetae autem is, qui prae caeteris virtutes huius fabulae declaravit, quamvis erudite atque eleganter ea de re disseruerit, tamen, quum ad quaedam, quae magis recondita sunt, non attenderit, nonnulla praeteriisse videtur, quae ad laudem poetae atque admirationem non leve momentum habent. Itaque non iniucundum hominibus litteratis fore putavi, si, hac oblata scribendi opportunitate, quaestionem illam

retractarem: quod quidem sic faciam, ut non tam laudando poeta commovere lectorum animos, quam arte eius explicanda ostendere, quid de hac fabula statuendum sit, studeam. Erunt autem tria huius disputationis capita. Nam et de consilio poetae, et de inventione argumenti, et de dictionis virtutibus dicendum erit.

In universum quidem tantum abest, ut a doctissimo illo viro, cuius mentionem feci, dissentiam, ut, quae ille in Wielandii Museo Attico vol. IV. fasc. 1. disseruit,5 pleraque omnia pro concessis haberi velim. In his illud est, quod scribit de Phoenissis Phrynichi, fabulam illam, quae in eodem versabatur argumento, Themistoclis maxime caussa editam videri, qui et sumptus ei praebuerit, et illo ipso tempore coeperit civium invidiam experiri. Quod si quis quaerat, quo consilio Aeschylus post Phrynichum idem argumentum attigerit, in historia quidem illius temporis nihil est, unde coniecturam facere possis: sed qui norit, quanta fuerit poetarum tragicorum inter ipsos aemulatio, satis esse putabit, si nihil ille voluerit aliud, quam superare eiusdem rei tractatione aemulum, praesertim victorem illa fabula, ut ex Plutarchi vita Themistoclis c. 5. colligi potest. Praeterea vero, quum Graecorum poetae multo magis, quam nunc solitum est, in eo elaborarint, ut non delectarent solum, sed etiam prodessent, consentaneum est, ut Aeschylum, quem id in primis fecisse constat, hac quoque fabula putemus virtutem civibus suis atque animi magnitudinem commendare voluisse. Quin diserte id fatentem introduxit in Ranis Aristophanes. Ad haec si adiunxeris, quod commune omnium, qui poemata scribunt, consilium est, ut quam possint perfectissimum opus edant, nihil erit amplius, quod requiras. Sed ex his tribus, quae spectasse Aeschylum veri simile est, ut bonam faceret tragoediam, ut superaret Phrynichum, ut cives ad virtutem excitaret, tantummodo primum illud nunc paucis attingendum est, reliqua duo autem illi quaestioni servanda, quae erit de

inventione fabulae. Etenim si aequi volumus iudices esse, non, qualis ex regulis artis bona dici tragoedia possit, quaeremus, sed qualem Athenienses illis temporibus tragoediam probarint, videbimus. Ars enim prior est regulis: quae non ante conduntur, quam, multa tentando, verum ex vitiis apparuit. Quamquam initia artis duplex habent commodum, unum, quod, regulis nondum inventis, non regularum perversitate erratur: est autem hoc in primis proprium regularum, ut per errores ad veritatem ducant; alterum, quod sensus hominum, circa praecipua occupatus, quae ob id ipsum etiam vera sunt, nondum multis patentibus viis, plerumque brevem aliquam, 6 eoque non longe ab recta dissitam, ingreditur. Ita Aeschyli aevo, nondum satis explicata natura tragoediae, ita videntur existimasse Athenienses, contineri hoc genus poematis introducenda actione gravi, quae ex metu et miseratione et animi magnitudine sublimitatem haberet, distinctaque esset in partes quasdam, quarum in singulis nova persona produceretur: quam rationem docte ex Aeschyli fabulis explanavit Heerenius; denique quae chorum haberet, quum ad rem, quae ageretur, adiuvandam idoneum, tum vero, idque praecipue, sensibus declarandis inservientem, quos excitari in spectatorum animis consentaneum esset. Caetera, quae deinceps subtilior investigatio aperuit, nec desiderabantur neglecta, neque observata in laude ponebantur. Itaque non est quod miremur, si Persae Aeschyli, quae fabula, ut scite observat Iacobsius, non dissimilis est illi generi, quod ab nostratibus *cantate* appellatur, aequalibus poetae omnes tragoediae visa est numeros implere. In qua si implicationem hoc nomine dignam, si enodationem discriminis idoneam, si personam primariam, quae animum adversa fortuna maiorem monstret, requiras, nihil usquam reperias, quod satis facere videatur. Nec tamen perlecta fabula diffiteberis, motum animi in lectore, ne quid de spectatore dicam, remanere eumdem, ac si optime ista omnia haberent. Id ipsum autem volebat poeta: quod ille si consequutus est, quidni tanto magis admiremur divinum eius

ingenium, quod vel imperfecto opere idem efficere, quod perfectissimo, potuerit?

Sed clarius haec elucescent inventione fabulae consideranda. Adduxerat cladem Persarum in scenam Phrynichus, choro usus, ut nomen fabulae prodit, Phoenissarum mulierum; eunuchumque adhibens, qui in exordio fabulae principibus civitatis sedilia sternens, fusos a Graecis Persas narraret, similiter ordiens, ut chorus apud Aeschylum,

τάδ᾽ ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων.

Haec ex Glauco Rhegino in argumento Persarum Aeschyli relata sunt: nec praeter haec quidquam, quod aliquem hic usum habeat, ex fragmentis illius fabulae colligi potest. Eamdem rem quum post Phrynichum Aeschylus aggrederetur, poterat hic, sive quod ei Phrynichi fabula displiceret, sive ne sequi illum videretur, prorsus aliam viam inire; poterat etiam, servatis, quae recte instituisset Phrynichus, mutare, quae minus apta esse sentiret. Id vero fecit: quae res et ipsi, et Phrynicho laudi est: ipsi, quod non, ut in quibusdam fabulis Euripides, nova aptis praetulit; Phrynicho, quod huius iudicium ab summo poeta confirmatum videmus. Convenerunt autem ambo in eo, quod rem non a Graecis, sed a Persis, neque in Graecia, sed in Persia geri voluerunt. Magnopere enim falleretur, qui putaret, aptius celebrari virtutem Graecorum potuisse, si ipsi feliciter hostem profligantes in scenam essent introducti. Nam ut id nunc, rebus illis ex vetustate admirationem et veluti sanctitatem adeptis, recte fieret, at Phrynichi Aeschylique aevo illi, qui Persas fugarant, non poterant, semet ipsis spectantibus, sine offensione in scenam produci. Tametsi id minus fortasse est ridiculum, quam videbitur esse. Nam chorus quidem Graecorum non multum habuisset offensionis, ut non ex certis et notis personis constans, sed populi universi vicem sustinens. At opus erat etiam actoribus singularum partium: qui si certas et notas personas egissent, veluti Themistoclem vel Eurybiadem, id vero

vix ab ridiculo abfuisset. Quos enim quotidiano adspectu vel familiari consuetudine notos habemus, ii, quantumvis vel oris maiestate graves, vel morum sanctitate venerabiles sint, tamen poetica sublimitate ornati, quoniam veritas fictionem arguit, tantum abest, ut magis videantur admirandi esse, ut absurdi potius et ridiculi fiant. Quod si fictis personis uti poetae illi voluissent, non solum res ipsa, ut notae veritati repugnans, absona esset visa, sed ne splendor quidem ille, qui regum est et heroum, conciliari iis potuisset: quem Graeci, et recte quidem, ut necessarium in persona tragica requirebant. At, dicat quis, ut Persae introducendi fuerint, tamen in Graecia res agi poterat. Fortasse: quamquam ne hoc quidem satis apte. Nam quum nota essent, quae a Persis in Graecia gesta erant, sic quoque verisimilitudinem elusisset veritas. Desinit enim verisimile esse, quod res praesens falsum esse arguit. Itaque sapienter uterque poeta et scenae locum a Graecia removit, et rem ipsam a Persis tantum geri voluit.

Sed duabus rebus Aeschylus a Phrynicho, quantum quidem huius fabulam cognitam habemus, discessit, quod neque eunuchum adhibuit, neque chorum ex Phoenissis mulieribus, sed ex senibus Persis composuit. Phrynichus, cur ista faceret, idoneas fortasse rationes habebat. Nam etsi laudandum putamus Aeschylum, quod is neutrum fecerit, tamen non reprehendimus Phrynichum, quoniam de huius fabula iudicari non licet. Certe eunuchum non esse propterea ab Aeschylo improbatum, quod ea minus congruens tragoediae persona esset, ex eo intelligi potest, quod ipse Aeschylus in Agamemnone vigilem, in Choephoris nutricem, humilioris sortis personas, introducere non dubitavit. Quin eunuchus ille Phrynichi fortasse ne erat quidem servus, sed munere aliquo insigni apud regem fungebatur. De choro Phrynichi autem ne per coniecturam quidem iudicium ferri potest: quamquam illud non est obscurum, ab ea ratione, quam Aeschylus sequendam putavit, talem chorum alienum fuisse. Hic enim grande quiddam et admirabile animo conceperat, magnitudinem

cladis a Persis acceptae eo depingere, quod universam eorum civitatem afflictam ostenderet. Nam si quis recte omnem fabulam consideraverit, fatendum erit, specie eam, non re differre ab illo genere, quod recentioribus *monodrama* vocare placuit. Quae enim introducuntur personae, tantum abest ut studiis, consiliis, factis sibi invicem renitantur, quo ex conflictu, ut solitum est, postremo iustus quidam eventus prodeat, ut magis omnes idem agant, et proinde, quod quidem ad actionem attinet, omnes una persona sint. Quin si singulorum conditionem respicias, facile adducaris, ut id non casu, sed consilio factum dicas. Est enim is adhibitus personarum delectus, ut nihil ad imaginem universae civitatis deesse videatur. Populum chorus, regiam maiestatem Atossa, exercitum nuncius, ducem dux ipse idemque rex Xerxes, denique vatem, quod genus dignatione secundum regem, auctori- 9 tate saepe prius, omnino autem dimidia pars imperii est, Darius repraesentat: quos omnes quum afflictos lugentesque videmus, ecqua potest maior fingi aut illustrior species moeroris per omnes universae civitatis partes diffusi? Igitur si detracta colloquentium personarum fictione rem ipsam spectamus, civitatem Persarum videmus initio de eventu belli sollicitam, mox re comperta consternatam, deinde ab diis auxilium petentem, denique accepto dei responso, adspectu redeuntium in effusum luctum erumpentem. A tali vero consilio chorus, qui non ex Persis esset, ita abhorrebat, ut, si poeta Phrynichi exemplo Phoenissas mulieres introduxisset, omnis illa universae civitatis imago interitura fuisset. Quin sapienter ne Persicas quidem mulieres adhibendas putavit, quod civitatis vicem sustinere virorum potius est, quam mulierum. Quod contra ne femineus sexus abesset ab illa universae civitatis specie, prudenter tum eo cavit, quod feminam introduxit, quae absente rege imperium administrare videretur, tum haud temere toties per chorum repeti fecit mentionem matrum et coniugum, filiis et maritis orbatarum.

Sed videamus iam, qua arte in singulis partibus fa-

bulae usus sit. Ac nullam omnino vim habitura fuisset aut sollicitudo Persarum, aut afflictio, nisi statim ab initio, quam magna de re periclitarentur, manifestum fieret. Itaque per chorum, ut quae communis sit civium vox, initium faciens, tam grandem, tamque magnificam exhibet copiarum in Graeciam profectarum enumerationem, ut tot populorum ducumque nomina quum admiratione percellant audientis animum, tum, si de tali tantoque exercitu metuendum sit, etiam metu non mediocri impleant. Auget autem metum chorus ipse, temeritatem tangens ducis, Hellesponto iugum imponere ausi, iramque deorum commemorans, infestorum superbis, et inanem fiduciam graviter fallentium; tum suam ipse sollicitudinem ostendens, civitate exhausta, et solitudine ubique querimonias et metum commovente. Habet autem hoc carmen, etiam si a dictorum gravitate discedas, aliam, eam-
10 que nondum animadversam virtutem, cuius mira quaedam in spectatorum animis efficacia fuerit necesse est. Nam non solum a simplici oratione ad modulatam recitationem, et ab hac ad cantum transitur, sed etiam personarum vices ita sibi succedunt, ut deinceps omnia et commotiora et splendidiora fiant. Etenim ex tribus partibus hoc carmen constat, quarum in prima, quod proprium esse anapaestorum solet, solus loquitur coryphaeus. Secundam partem, id quod ipsum ex metris colligitur, aliqui ex choro senes, colloquentes inter se, voce magis modulata recitant. Sunt enim versus illi Ionici a minore, quod genus metri, ut reliqua systemata, quae ἐξ ὁμοίων vocantur, praeter anapaestos, colloquiis, si recte observavi, (sunt autem multa, quae eam observationem confirment) destinatum est. Tertia denique pars, quae prorsus alium habet colorem, aperte concentum continet universi chori: ita ut etiam ad oculos auresque spectatorum illa Persarum senum ingressio sensim sensimque splendidior accidat.

Inde rursum coryphaeus, pauca anapaestis loquutus, prodeuntem ex aedibus regiis reginam, pro dignationis illius maiestate, trochaeis, splendido et motus pleno ge-

nere versuum, salutat. Cui quum regina, servans illam maiestatem, iisdem numeris respondisset, iam ad trimetros, quorum simplicitas narrationem decet, descendit, somniumque exponit, quod ea arte a poeta inventum est, ut non tantum singulae partes splendeant, sed illud praeclarum sit et admirabile, quod somnurna illa duarum mulierum species non ducum, non exercituum, sed duarum vastarum continentium, quae de imperio inter se certent, imaginem animis admovet. Ita aucta rei magnitudine augetur metus: cui novum et magnum incrementum ex eo accedit, quod placare deos volenti ob illud somnium reginae ostentum offertur, caussas metuendi etiam divinitus confirmari significans. Conserunt deinde iterum chorus et Atossa colloquium, trochaeis utentes, qui et maiestatem reginae, et venerationem chori deceant. In hoc vero colloquio eximium cernitur poetae iudicium. Nam et necessarium erat, inter illam somnii narrationem et adventum nuncii aliquid interponi, quo ne nimis ex abrupto statim clades nunciaretur, et illud ipsum, de quo isti 11 inter se colloquuntur, multum ad rem facit, quia clades illa parum visa esset verisimilis, nisi etiam Athenarum potentia spectatoribus in mentem revocata esset. De qua re scienter monuit Iacobsius. Illud vero ne quaerendum quidem puto, cur Atossa de rebus interroget, quas ei notas esse oporteat. Nam id omnes poetae, et iure quidem, concessum sibi existimarunt, ut, quae ad plenam rei cognitionem necessaria essent, non praeterirent, etiamsi nunc demum ista dici, si res vere ageretur, parum esset credibile. Latet enim hoc spectatorem, ad rem praesentem attentum, nec, dum fabulam spectat, omnia ante acta animo reputantem. Illud potius considerandum est, quam praeclare poeta admirationem patriae urbi eo conciliarit, quod, quemadmodum omnia remota nec satis cognita admirabiliora videntur, ita etiam de Athenis ut de loco longissime dissito et fama tantum noto Persas loquentes introducit.

Iam vero, dubiis metu animis, nuncius advenit, non ille statim composita oratione rem exponens, sed, ut in

tanto malo praesertim hominem Persam decebat, cum clamore scenam ingrediens, et primo summatim ac sine ordine rem omnem effundens. Quem dum chorus sublata lugubri acclamatione saepius interpellat, silet, ut regiam maiestatem decebat, Atossa: sed paullo post, superato primo doloris impetu, gravi oratione nuncium rem omnem enarrare iubet. Qui primo, quod egregie a poeta institutum est, singulari versu Xerxem salvum esse refert. In hoc enim, secundum Persarum opinionem, summa rei versabatur. Quare hoc, ut primarium, paucis verbis, sed ab ipsa simplicitate sublimitatem habentibus, ab reliquis seiungitur, ut hac remota sollicitudine requiescant paullum animi, quo deinde attentius reliqua accipiant. Sed priusquam praelium describatur, agitatus adhuc nuncius plurimorum ducum, qui perierint, nomina enumerat, ut paullatim a tanto animorum motu ad sedatiorem praelii expositionem via paretur. Sequitur deinde ipsa pugnae ad Salaminem descriptio, quae in tanta simplicitate tam 12 magnifica est, ut neminem, qui aliquo venusti sensu polleat, non sponte virtutes eius intellecturum putem. Vnum tamen est, quod non videtur praetereundum esse. Nam neque hic, neque usquam in tota fabula ullum Graeci hominis nomen occurrit: quod prudenti consilio a poeta factum est, non quod invidiam metueret, sed quod intelligebat, commemorandis iis, qui quotidiano adspectu noti omnibus essent, tragoediae sublimitatem ad humilitatem communis vitae deprimi. Itaque tantum abest, ut, quod viro praestantissimo, cuius saepius mentionem feci, placet, in illo loco, ubi de Aminia sermo est, qui primus in classem Persarum impetum dederit, poetam ob animi magnitudinem laudem, qui nomen illius hominis, si quidem ille frater ipsius fuerit, tacendum putarit, ut magis, si eum nominatim commemorasset, id valde reprehensurus essem. Quin hoc quidem, etiam si ab eo, quod poesis postulabat, discesseris, vel invidiae vitandae caussa facere non potuisset. Quamquam idoneas rationes habeo, quare neque illum Aminiam, neque alium isto nomine Aeschyli fratrem fuisse putem. Sed pergamus. Nam

egregie poeta, ne in pugnae descriptione res acquiesceret et quasi refrigeraretur, exorto deinde inter nuncium et Atossam colloquio duas alias narrationes, quae novos dolori stimulos addant, intexuit, unam de occisis in insula Psyttalea, alteram de afflictis in fuga per Thraciam, unde exspectatio excitatur adventuri regis, et consultatio de placanda deorum ira. Conquestis deinde praeclaro carmine choricis senibus, redit cum inferiis Atossa, iterumque chorus divino plane cantu manes Darii ab inferis evocat. Adscendit ex Orco magni regis umbra, regiae dignitatis insignibus ornata, tranquillaque gravitate, ut rebus humanis exemptum par est, chorum affatur: qui perculsus horrore, concitatioribus numeris bis significat, non audere se regem contra tueri, aut cum eo colloqui. Vnde ille ad Atossam conversus, quum de caussa evocationis suae quaesivisset, et ante acta exponit, et, audente iam sermoni sese immiscere choro, monet ne posthac bellum Graecis inferant: ac denique reliquam cladis partem, quam illi ex nuncio audire non potuerant, enarrat, simulque Xerxis adventum denunciat. Haec vero scena, si 13 quidquam in hac fabula, magnis obnoxia est dubitationibus. Nam neque quid opus sit Dario, statim apparet, neque ea illum loqui dicunt, ob quae quis ab inferis excitandus videatur. Non diffitear equidem, aliquid Aeschylum in hac re spectatoribus dedisse, qui non poterant non vehementer commoveri admirabili illo mortui regis simulacro: id quod etiam Aristophanis iudicio confirmatur, apud quem Bacchus in Ranis ita dicit:

ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου
τεθνεῶτος,
ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὡδὶ ξυγκρούσας εἶπεν
ἰαυοῖ,

quae verba neque, ut Spanhemius volebat, de Sicula recensione Persarum intelligenda puto, neque ita posse explicari adducor, ut visum est Iacobsio: sed Bacchus, semper aliquid ineptiarum afferens, hic eo se ridendum praebet, quod, ut solent homines stolidi et inficeti, omnia

confundit, et non modo alia, quam quae vera erant, sed ea etiam ridicule refert. Illud vero recte observat Iacobsius, quum vitandam esse superbiam docere hac fabula poeta velit, unde ubique Xerxis temeritatem cum moderato Darii imperio conferri, clarissime id elucescere adducta in scenam ipsa Darii persona, quae quo augustior habitu, moribus, veneratione populi appareat, tanto magis Xerxem, ut inferiorem iisdem rebus omnibus, ita etiam miseriorem videri. Sed praeterea alia est, eaque meo quidem iudicio longe gravior caussa, ob quam Darii anima introducta est. Sume enim abesse hanc scenam, et nihil continebit fabula, nisi luctum sine fine et fructu. Etenim, ne exitu res careret, esse aliquid debebat, quo omnis iste luctus tenderet, quoque effecto, solatium malis, quantumvis illud triste, accederet. Quod quum duplex esset, aut in instaurando bello, aut in saniore capiendo consilio, consultationem ea de re institui necessarium erat. Idque factum videmus in colloquio chori cum Dario. Sed frustra esset ista consultatio, si vel ex populi, vel ex afflicti regis arbitrio penderet: nam, prouti in hanc vel in alteram partem inclinaret, aut inanes iras ostenderet, aut 14 animum proderet malorum magnitudine victum fractumque. Vtrumque autem non modo foedum esset et a gravitate tragoediae alienum, sed ne certo quidem et firmo niteretur fundamento. Eiusmodi fundamentum non poterat nisi aut in fatorum necessitate, aut in voluntate divina inveniri. Atqui necessitatem aliquam fatalem fingere res ipsa prohibebat. Nam ubi caetera vere gesta sunt, hoc, quod eiusmodi est, ut de eo constare debeat, non potest fictum esse: quod secus est, ubi omnia ficta sunt. Itaque sola relicta erat voluntas divina, de qua quoniam creditur tantum, nihil erat, quod introduci eam vetaret. Nec tamen apte ipse deus in conspectum adductus fuisset. Persarum enim deus aliquis rei insolentia omnem fabulae rationem turbasset; Graecus autem, etsi nominari sine offensione Graeci dii potuerunt in hac fabula, tamen coram apparens male convenisset moribus Persicis. Itaque pro deo interpretem dei introductum videmus, non eum

tamen casu delectum, sed quem res ipsa demonstraret. Quum enim Xerxis temeritas desiderium excitasset Darii, qui ob iustitiam etiam apud inferos regia potestate esse existimaretur, nihil inveniri poterat accommodatius, quam hunc evocari ab inferis, ut collapsam rem publicam erigeret. Et quum, ut supra diximus, omnes huius fabulae personae ad id conspirent, ut quaedam totius civitatis imago effingatur, nihil iam ad eius imaginis integritatem deest, addito Dario: propterea quod imperium civitatis ex duabus partibus constat, altera, quae humanis viribus rem publicam moderatur, altera, quae fatorum scientia nutuque divino priorem illam refrenat. Eaque in Dario tanto illustrior apparet, quod hanc personam ab eo sustineri videmus, qui et ob virtutes suas colendus, et ob pristinam dignitatem venerandus, et ob manium reverentiam sanctus, et ob honores infernos admirabilis, et ob divinam conditionem non minor deo sit. Facit vero Darius id, quod solum facere debebat. Dehortatur, ne instaurare bellum velint, monetque, illa quoque mala aperiens, de quibus nondum audiverat chorus, temeritatem ab diis funesta clade puniri. Hic vero finis est et exitus fabulae, ut malis ad saniorem mentem civitas revocetur. Sed alius est tragoediae finis, si cogitatione 15 rem expendas; alius, si sensus, quos excitari par est, respicias. Effecto enim, quod ad actionis integritatem satis est, ratio nihil amplius desiderat. Sed quum animos movere poetae officium sit, eoque motu potius, quam rei perspicientia persuadere hominibus: apertum est, fieri posse, quod ex recentioribus multi neglexerunt, ut actio, quae ad rationem finita sit, ad sensum nondum finita habeatur. Ita est autem in Persis. Nam etsi iis, quae Darius dicit, res omnis finita videtur, tamen, quoniam hoc agebat poeta, ut atrocitas malorum a superbia deterreret, minime id consequutus esset, si gravi illa Darii tranquillitate rem componi, luctumque universae civitatis, quem maxime ostendere debebat, rursum sedari voluisset. Immo quo magis intellectum ex Darii oratione erat, iustas Xerxem dare superbiae poenas, tanto magis exardescere

dolorem et re vera ut poenam, dempta iam omni excusatione, se prodere oportebat. Quod egregie videns poeta, ita reliquam partem tragoediae instituit, ut, quum Atossam, filii regis miserum habitum digno vestitu commutaturam a scena removisset, chorum autem pristinam Persarum Dario rege felicitatem potentiamque celebrare fecisset, iam omnem effunderet luctus et querimoniarum vim, ipso Xerxe in conspectum adducto: quem ut caput civitatis, et auctorem totius mali, ducemque funestae illius expeditionis, quum prudenter huic demum loco reservavit, tum a choro, admirabili temperamento inter acerbissimas exprobrationes et debitam regi reverentiam, ita excipi fecit, ut nulla fingi neque crudelior poena superbiae, neque gravior confectae dolore civitatis imago possit. Ita quum initio effusius, deinceps, aucto sensim moerore, concisius, minus minusque quid dicant suppetente, lugentem lugentes ad aedes regias deducunt, tam dira quaedam remanet in animis spectatorum infelicis superbiae species, ut nunc demum ipso poenae adspectu, quid sit illud, temere sese iactare, plane intelligant.

Sed satis dictum de inventione. Reliquum est, ut paucis etiam de dictione explicetur. Quae etsi in uni-16 versum non alia est, quam in reliquis Aeschyli tragoediis, tamen et hoc ipsum, et quae sunt alia, digna sunt, quae diligentius considerentur. Etenim quum Graecos esse, quibus haec fabula scriberetur, Persas autem, qui in ea introducerentur, reputaret poeta, ita illam et ingeniorum et morum diversitatem temperavit, ut neque offenderet spectatores peregrinitas, neque non agi res a peregrinis videretur. In quo genere hodie peccant nonnulli, qui, quo magis naturam et veritatem exprimere videantur, peregrinitatem captant studiosissime. At aliud est, vertere fabulam ex peregrina lingua, aliud in domestica fabula argumentum peregrinum tractare. Quae enim versa sunt ex lingua peregrina, aut sic scripta, tamquam si essent versa, eorum virtutes non possunt aliter percipi, quam si suum ingenium spectator

exuat, induat autem alienum. Quod ut ii, qui doctiores sunt, facilius effectum reddant, at plerosque novitas rei et insolentia ita advertit ac moratur, ut in hanc intenti, illud quod primarium est aut non videant, aut perperam iudicent. Id vero Graeco poetae tanto magis metuendum erat, quod ad populi sensum et approbationem exigerentur fabulae. Itaque Aeschylus tanta usus est cautione, ut etiam illorum quaedam, quae prorsus Graeca sunt, retinuerit. Eiusmodi sunt inferiae, quas Atossa Dario affert. Sed hoc quidem facile poterat latere: difficilius delitescebant Graeca Iovis, Apollinis, Mercurii, inferorumque regis nomina. At enim Persicis nominibus si usus esset, nova illa et insolita nomina attentionem spectatorum ab eo, cuius caussa isti dii commemorantur, avocasset, et cogitationibus implicasset alienissimis: veluti si Atossa, ostentum sibi visum describens, pro Phoebo Mithram nominaret. Ex quo loco intelligitur, ne statuam quidem Apollinis, quae ante aedes regias conspici solebat, remotam fuisse. Nam Graeco quidem homini tanto magis licitum erat suos deos peregrino populo commodare, quod ut vel ex Herodoto intelligitur, nomina illa ita muneribus quibusdam et potestatibus numinum significandis inserviebant, ut non mirum Graecis videretur, eosdem deos apud alias quoque gentes coli. Sed ut haec sapienter servavit poeta, ita 17 non minus subactum iudicium prodidit in iis, in quibus adumbravit aliquam peregrinitatis speciem. Horum partim eiusmodi sunt, ut admoneant tantum de peregrinitate, quod genus in primis placuisse Graecis videmus: unde pictores quoque et statuarii multa figurate indicasse satis habuerunt. Tale est, quod Mariandynorum querimonias commemorat, vel barbaricos dicit clamores et eiulatus chori. Alio modo peregrinum colorem inducunt vocabula vel vere peregrina, vel vetustate obsoleta, cuiusmodi sunt βαλὴν et Ἴανες. Cum his coniuncta est res in primis notabilis, interiectionum insolentia. Hae enim voculae quoniam non notionum sunt, sed sensuum indices, nullius sunt linguae propriae, sed communes linguarum

omnium. Itaque nulla est linguae pars, in qua et libertatem tantam, quantam in interiectionibus, poeta habeat, et quae aptior sit ad peregrinitatem sine offensione indicandam. Nam simul peregrinae esse videntur, si non sunt usitatae; simul reliquis non repugnant, quia nihil obstat, quin in quaque lingua locum inveniant. Idque sagacissimum poetam non latuit: unde ut crebras, ita novas et inusitatas in Persis interiectiones deprehendimus. Sed haec quidem, quae attuli, etiam in Supplicibus, pari in caussa, usurpata videmus. Praeter haec autem duo sunt, quae in Persis singularia, praeclaroque inventa iudicio accedunt. Horum unum illa continet, quibus re vera peregrina facta est oratio. Neque enim neglexit poeta, orationem, quantum quidem per Graecae linguae indolem fieri posset, orientis populorum sermoni accommodare. In his non dubitaverim ipsa Persarum nomina ponere, quae si hic illic dispersa invenirentur, nihil magnopere, quod peregrinum videri posset, efficerent: sed sunt ea quibusdam in locis tam copiose coacervata, ut id de industria factum appareat. Hoc modo autem Graecis vocibus Persicorum nominum multitudine obrutis et quasi expulsis, fieri non potuit, quin aptissima quadam minimeque violenta ratione omnia barbaricam speciem induerent. Sed praeterea Graecam quoque orationem, ubi id commode fieri poterat, ad exemplum orientis linguarum conformatam videmus: cu-
18 ius generis duae potissimum formae notabiles sunt, una, qua nomen addito eiusdem nominis genitivo fortiorem quamdam significationem accipit, cuiusmodi sunt *δέσποτα δεσπότου*, et *πιστὰ πιστῶν*; altera, quae est in usu adiectivi pro substantivo, in primis illa insolens quiddam et ex peregrina poesi depromptum prae se ferens, ut quum *τὴν ἀμίαντον*, *τὴν ἀνθεμουργόν*, *τὴν οἰστοδέγμονα* dici, non additis nominibus substantivis, mare, et apem et pharetram designans.

Alterum illud, quod singulare in Persis videtur esse, ita comparatum est, ut sentiri facilius, quam describi possit. Est illud in agitata illa et fluctuante oratione positum, quae in carminibus choricis et repetitione eius-

dem vocabuli, aliam illa aliis in locis vim habente, maxime autem crebra numerorum per interiectiones interpellatione efficitur. Ad quae qui diligenter attenderit, facile sentiet, quam insuetum quiddam multoque magis quam pro Graecorum ingenio aestuans et quasi fluctuosum ad aures accidat. Nec dubitandum videtur, quin, si de modis, qui cantui facti erant, iudicari posset, in his quoque invenirentur, quae eodem essent fine instituta. Nunc vero tantum in numeris consistere cogimur, qui, modo et corrupta emendentur, et versus recte disponantur, quum ubique aptissimi sunt et efficacissimi, tum nescio an in nullo carmine diviniorem vim habeant, quam in illo, quo Darii umbra ab inferis evocatur. Sed haec eiusmodi sunt, ut nisi quis ipse satis culto sensu polleat, explicari, scripto praesertim, non possint.

Sed veniendum est ad id, quod hanc nobis scribendi opportunitatem fecit. Volebamus enim in diem consuetum creationem atque inaugurationem indicere doctorum philosophiae, ad eamque sollemnitatem celebrandam quum communitatem Academicam, tum huius urbis proceres gravissimos, et quiqui rerum nostrarum fautores essent, invitare. Verum exitiale bellum, quod hoc anno vastavit Saxoniam, nos quoque quum aliis non mediocribus affecit damnis, tum usu privavit auditorii, quod a 19 multis annis huic sollemnitati destinatum, post praelium ad urbem nostram commissum, vulneratorum atque aegrotantium receptaculum factum est. Praeterea, etsi Illustris Ordo Iurisconsultorum benevole sui nobis auditorii commoditatem offerebat, tamen convenientius existimavimus, omissis, quae usitatae sunt, caerimoniis, in ipso ordinis nostri conclavi Candidatos inaugurare, abhorrentibus a publicorum sollemnium laetitia animis nostris propter obitum collegae praestantissimi, Mauricii de Prasse. In quo viro, quem ipsum, quae nunc grassatur, mala febrium contagio nobis eripuit, tanto acerbiorem fecimus iacturam, quo ille non solum scientiae diligentia,

ingeniique sollertia excellentior, sed venerabilior etiam iis virtutibus erat, quibus praecipue hominis dignitas continetur. Iustus ille erga omnes, in inimico pariter atque amico laudabat, quae laudanda essent, reprehendebat, quae reprehendenda; strenuus in servanda fide, nullam detrectabat molestiam; promptissimus in adiuvandis aliis, nullo nec dignationis nec notitiae discrimine, maximos ultro subibat labores; ab omni fastu et vanitate alienus, neque admirabatur potentes, neque cuiusquam adeo humilem putabat conditionem esse, quin ei et eadem officia, et pari cum humanitate, ac nobilissimo cuique, praestaret; liberalis et ab lucri cupiditate intactus, succurrebat, quocumque modo posset, egentibus, acerbe notans avaros, aut si quis, aurum probro emere non erubescens, ex publica calamitate privatae rei incrementum captaret: quippe turpe ducebat, quam quisque communis mali partem ferre deberet, imponere aliis, civesque ipsum suos reddere tributarios. Quid autem dicam, amicis qualem se praebuerit? quibus quidquid vel secundum vel adversum accideret, ita ad se ipsum pertinere iudicabat, ut neque in prosperis rebus ipsi magis gaudere amici, quam illum laetatum viderent, potuerint, nec, si qua aegritudo incideret, aut in consolando quisquam officiosior, aut in adiuvando sollertior magisque indefessus reperiretur. Quid denique familiaris consuetudinis decoram hilaritatem, sermonumque urbanam dicacitatem comme-
20 morem, quae coniuncta cum summa animi sinceritate omnibus eum reddebat acceptissimum? Tali igitur viro nobis erepto, quum luctui nostro attemperandam sollemnium nostrorum celebrationem censuerimus, Vobis, Magnifice Rector Academiae, gravissimi utriusque rei publicae Proceres, carissimi Commilitones, peractam in conclavi nostro d. XXI. mensis Februarii creationem magistrorum ea, qua par est, observantia significamus.

DE METRORVM QVORVMDAM MENSVRA RHYTHMICA DISSERTATIO *).

Ex quo metrorum scientia ad iustae doctrinae rationem 3 revocari coepta est, ex omnibus, qui ad hanc rem studia sua contulerunt, nemo ei maius incrementum, mea quidem sententia, attulit, quam Seidlerus, versibus dochmiacis accuratius explicandis. Alii, maiora professi, vel plane destituerunt quam fecerant spem, vel alia, quam quae exspectabantur, in medium attulere. Ex quibus si qui nuper, recentioribus magis quam Graecis litteris imbuti, nullamque nisi ingenii ad negata animosi laudem sectantes, quum aequalem pedum mensuram Graecis vindicare conarentur, vel editis magnis de re metrica voluminibus, vel in diariis quibusdam asseclarum suorum rudimenta commendantes, omnem argutandi calumniandique sollertiam adhibuerunt, ut audientiam sibi fecisse crederentur, naturam numerorum in quadam imagine imaginisque imagine positam ostensuri: nos quidem, hanc communem omnium reputantes doctrinarum sortem esse, ut

*) Edita est a. 1815.

etiam devia suum consequantur fastigium, aliis quaerendum relinquamus, quis Musarum sacerdos, pedem Ionicum a maiore in duabus syllabis unave modulans, carmina non prius audita virginibus puerisque cantet, daturus aliquando, ut sperare licet, etiam monosyllabum versum heroicum. Alia via, ut par erat, rem aggressus est A. Boeckhius, vir et doctissimus et studiosissimus veri: qui quum ipse quoque nova opus esse metrorum doctrina sibi persuasisset, non solum naturam numerorum suo quodam proprio modo explicare studuit, sed etiam, quoniam artis veterum musicae ea in re aliquem usum fore intelligebat, ad hanc quoque, tamquam ad fontem largos haustus promittentem, praecipua quadam cura cursum disputationis 4 suae deflexit. Quae musicae veteris pervestigatio non dubitamus quin admodum fructuosa rei metricae fuisset, si vir praestantissimus admirabilem illam industriam suam eo, quo maxime debebat, contulisset. Nam quum duae sint partes musicae, harmonica et rhythmica, quarum harmonica tenui quodam et hodie vix explicabili vinculo cum metrica doctrina cohaeret, rhythmica autem cognata ei est coniunctaque maxime: harmonicam diligenter ille pertractavit, rhythmicam autem, de qua vel sola, vel praecipue eum dicturum exspectabamus, obiter tantum attigit, afferens magis, quam explicans, quae in hoc genere a veteribus tradita sunt. Est illa sane longe obscurissima pars veteris musicae, quae non aliter, ut videtur, explanari poterit, quam si Aristoxeni elementa rhythmica reperiantur, vel Pselli saltem introductio in artem rhythmicam, cuius specimina quaedam Morellius dedit, in lucem prodeat *). At tanto cautius incedere oportet, si quis numeros Graecorum ex ipsa illius gentis doctrina iudicare instituit.

Prorsus enim diversae erant rhythmica et metrica. Metrica, quae ad solam versuum compositionem specta-

---

*) De illo Pselli scripto v. praefat. ad Elem. doctr. metr. p. VII.

bat, quoniam in sermone duae tantum mensurae usurpantur, in solis duplicis mensurae varietatibus consistebat; rhythmica autem, quae ad cantum pertinebat, quum mensurarum maiorem habebat varietatem, tum pedibus utebatur et aliis et aliter consociatis. Inde metricae artis propriae perhibentur productiones correptionesque syllabarum, et longitudines ac brevitates; rhythmicae autem, tarditates ac celeritates. Nam Porphyrius p. 239. si cui productiones syllabarum et correptiones ad rhythmum referre videatur, nihil nisi negligentius loqui scriptorem illum, ordine minus observato, et res ipsa, et aliorum scriptorum loci, ut Manuelis Bryennii p. 502. et Suidae in v. *ῥυθμός*, docere poterunt. Quot autem mensuris rhythmici usi sint, non est traditum ab antiquis. Nam Aristidis Quintiliani verba p. 33. *σύνθετος δέ ἐστι χρόνος, ὁ διαιρεῖσθαι δυνάμενος· τούτων δὲ ὁ μὲν διπλασίων ἐστὶ τοῦ πρώτου· ὁ δὲ, τριπλασίων· ὁ δὲ, τετραπλασίων· μέχρι γὰρ τετράδος προῆλθεν ὁ ῥυθμικὸς χρόνος*, vereor ne pariter atque ea, quae Martianus Capella p. 194. dicit, ad illa pertineant, quae idem Aristides p. 45. et scholiastes Hephaestionis p. 78. aliique de syllabis vocalium pondere, consonantiumque multitudine magis minusve auctis, nimis profecto subtiliter, disputant. Certe non est ista observatio de ea re intelligenda, de qua disserit Aristoxenus in fr. rhythm. p. 288. qui ipse alia omnia potius, quam pedem simplicem non nisi ex quattuor moris constare dicit. Loquitur ille de partibus pedis, arsi et thesi, quarum dicit in pede simplici non nisi quattuor, duas theses, totidemque arses coniungi: quod etiam Psellus p. 301. confirmat. Verba Aristoxeni, quibus emendatis uti praestat, haec sunt: *τοῦ δὲ λαμβάνειν τὸν πόδα πλείω τῶν δύο σημεῖα, τὰ μεγέθη τῶν ποδῶν αἰτιατέον· οἱ γὰρ ἐλάττους τῶν ποδῶν, εὐπερίληπτον τῇ αἰσθήσει τὸ μέγεθος ἔχοντες, εὐσύνοπτοί εἰσι καὶ διὰ τῶν δύο σημείων· οἱ δὲ μεγάλοι τοὐναντίον πεπόνθασι· δυςπερίληπτον γὰρ τῇ αἰσθήσει τὸ μέγεθος ἔχοντες, πλειόνων δέονται σημείων, ὅπως εἰς πλείω μέρη διαιρεθὲν τὸ τοῦ ὅλου ποδὸς μέγεθος*

εὐσυνοπτότερον γένηται· διὰ τί δὲ οὐ γίγνεται πλείω σημεῖα τῶν τεττάρων, οἷς ὁ ποὺς χρῆται κατὰ τὴν αὑτοῦ δύναμιν, ὕστερον δειχθήσεται. Nam quemadmodum *βάσιν* rhythmici, ut mittam, quae Budaeus in Comm. Gr. l. attulit, nunc de thesi, quam ipsi dicunt, usurpant, ut Aristoxenus fr. rhythm. p. 292. 294. et Psellus p. 301. nunc de loco et sede integri pedis, ut scholiastes Hephaestionis p. 44. et interpres Aristophanis ad Nub. 652. nunc etiam universe de incessu numeri dicunt, ut Aristides p. 38. v. 22. cui addere possem locum ex inedito de metris libello: ita etiam *σημεῖον* modo moram sive tempus vocant, cuius significationis exempla attulit Morellius ad Aristoxeni fr. p. 280. s. modo motum dicunt unum, qui, ut unus sonus, vel una syllaba, partem pedis implet, ut Aristoxenus in fr. p. 278. 282. et Aristides p. 32. modo universe talem pedis partem intelligunt, sive ea motu, seu sono, seu syllaba contineatur, ut idem Aristoxenus p. 288. 290. 292. et Psellus p. 301. interdum vero etiam illam pedis partem, quae vel arsis vel thesis est, etiam si ex pluribus vel sonis vel syllabis vel 6 motibus constet, nomine isto significant, ut Aristides p. 39. paeonem diagyium ex duobus *σημείοις* compositum dicens, qui pes alias vel quinque vel tria dicendus esset *σημεῖα* habere. Sed haec obiter. Quae certae videntur rhythmicorum mensurae, sunt, praeter simplicem et duplicem, quadruplex et octuplex. Hae ambae in orthio, trochaeoque semanto inveniuntur; quadruplex etiam, ut videtur, in spondeo maiore seu duplici. Etsi enim, qui hunc ex quattuor bimoris partibus constare volunt, non inepte comparatione uti possunt proceleusmatici, quem ex quattuor brevibus temporibus compositum similiter duplicem vocat Aristides, tamen, quum ille spondeum istum p. 36. non sine caussa, ut putamus, *ἐκ τετρασήμου θέσεως καὶ τετρασήμου ἄρσεως* fieri dicat, verior videtur Boeckhii sententia, duas eum quaternorum temporum partes habere. Omnino autem ipsa rei natura postulat, ut pluribus, quam simpli et dupli mensuris usam esse musicam Graecorum credamus, quod nimis iners et rudis fo-

ret cantus, qui non nisi duplicis mensurae varietatem admitteret. Sed hoc quidem facile omnibus probabitur. Illud vero mirum plerisque et incredibile accidet, si dixerimus, etsi poetae Graeci propter linguae suae naturam non pluribus utantur, quam duabus mensuris, tamen ex ipsis eorum metris aliquando colligi posse, quibus in cantu rhythmicis mensuris vel non usi, vel etiam usi esse videantur. In qua re si non fallimur, intelligetur forsitan, esse adhuc, quo artis periti nondum penetrarint.

Consideranti comparantique hos duo versus,

ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη,
Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ,

quorum utrumque trochaicum esse volunt, facile appareat necesse est, posse quidem utrumque eodem modo recitari, i. e. per dipodias trochaicas, potiore ictu in prima syllaba notatas, sed tamen, ne Pindaricum ita legi velis, duo obstare, unum, quod volubilitas trochaici numeri, quamvis per trochaeos irrationales ad paullo maiorem gravitatem adducti, minime conveniat severitati Doriae harmoniae, cuius iste e trochaeo spondeoque factus numerus proprius est; alterum, quod epitriti usus in hunc numerum ita receptus est, ut ille non ex duobus trochaeis, sed ex trochaeo et spondeo constare videatur. Nam quid est, cur in tanta horum numerorum apud Pindarum copia vix pauci reperiantur versus, qui trochaeum habeant, quum praesertim idem poeta in iis carminibus, in quibus vere trochaicis numeris usus est, trochaeum in fine dipodiae saepissime admittat, ut in Nem. VIII. *) quod, ut ipse testatur, Lydiam harmoniam habuit: quod contra in Doriis carminibus, ut in Pyth. IV. in quo iste epitritus quingenties tricies ter invenitur, non nisi bis in medio versu ditrochaeum positum videmus, idque ipsum iis in

*) At in hoc quoque carmine Dorios epitritos esse, trochaeosque vel scriptura emendata, vel versibus rectius dispositis removeri, nunc persuasum habeo.

locis, ubi syllaba brevis recte pro longa poni possit. Quae tanta diligentia, quam etiam apud tragicos in hoc genere deprehendimus, monet, ut locos, qui repugnant, de vitio suspectos habeamus. Sunt autem apud Pindarum, de quo solo nunc dicam, hi. Ol. III. 27. (46) ubi neque *'Ιστρία νιν*, neque *'Ιστρίαν νιν,* neque *'Ιστριανήν,* ut quidam libri habent, sed *'Ιστριηνὰν* scribendum videtur: pronomine enim tanto minus opus est, quod istud nomen nullo modo ad *γαῖαν,* pertinere potest, sed cum sequente *ἐλθόντα* construendum est. VII. 2. (3) ubi *ἀμπέλου ἔνδον,* quamvis contra plerosque libros et Athenaei auctoritatem, inverso verborum ordini praeferam. X. 4. (XI. 4.) ubi etsi anceps iudicium est, quum duas tantum strophas hoc carmen habeat, versusque et hic et ultimus stropharum trochaicus esse possit, tamen, quum reliqua metrorum compositio trochaeis non magnopere faveat, videndum est, ne *σὺν πόνῳ* vel errori, vel correctori, *ἀνὴρ* in antistrophico prima correpta esse putanti, debeatur, poeta autem *σὺν μόχθῳ* dederit*). XII. 21. (27) iam Boeckhius sustulit, recte monens, *ὁμιλέων* trisyllabum esse. Pyth. I. 13. (26) *ἀτύζονται* non debebat cum *ἀτύζεται* commutari, quum praesertim Plutarchus, gravis nec silentio praetereundus auctor, non uno loco pluralem tueatur**). Nem. V. 14. (25) ubi in particula *μὴ* non immerito offendit Boeckhius, repone, *ἐν δίκᾳ τ' οὐ μὴ κεκινδυνευμένον****). IX. 32. (75) et 47. (111) iam Boeckhius in vitii suspicionem adduxit, in priore nihil obstare monens, quin *εἰσὶν* pro *ἐντὶ* scribatur****); in altero restitue, *οὐκ ἔστιν τὸ πόρ-*

---

*) Servata vulgata lectione in repetita editione Heynii rectius dispositis membris hoc vitium removi.

**) Quamquam hoc in exemplo, quia non epitritus, sed Creticus sequitur, ferri posset *ἀτύζεται.*

***) Defendi hic quoque potest vulgata, modo membris recte divisis.

****) Non est tamen haec, ut opinor, vera lectio, sed scribendum *ἐν τίν τοι*: vide Nem. VII. 132. nisi praestat etiam *ἔν τοι τίν*, ut Pyth. I. 134. *σύν τοι τίν.*

σω. Isthm. V. 34. (52) ubi neque κάρυξε, neque κύρησε nunc probem, sed malim, ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων ἐς πλόον κάρυσσε, *Aeacidam ad expeditionem se vocare indicabat.* Quae praeterea ditrochaei exempla in his numeris inveniuntur, idoneam excusationem habent. Sunt enim aut in fine versus, ubi ultimae syllabae mensuram nihil curari constat, aut in fine numeri, sequente mediis in versibus alio numero, qui locus eamdem habet ancipitis syllabae veniam. Et prioris quidem generis exempla afferre nihil attinet; alterius autem quae reperiuntur, commemorasse non erit supervacaneum. Et ante dactylicos numeros trochaeus invenitur Ol. VI. 18. (31) VIII. 54. (71) X. (XI) 6. 12. XII. 19. (25) Pyth. III. 18. (31) IV. 23. (40) IX. 21. 125. (38. 214) Nem. V. 47. (86) nisi quis ibi, quod Heynio in mentem venit, μάρνανται reponi malit. X. 4. 22. (6. 40) Isthm. I. 17. (24.) Ante choriambum Ol. XIII. 19. (26.) Ante Creticum Ol. X. (XI) 16. 17. 21. XII. 15. (21) Pyth. IV. 5. (9) Nem. I. 1. V. 1. 15. (28) Isthm. III. 15. 17. 34. 35. (24. 28. IV. 25. 28) et olim 51. (IV. 55) ubi nunc meliorem lectionem cum epitrito restituit Boeckhius. At, inquiat aliquis, quid Creticus ad rem, qui quum nihil sit nisi catalexis, non alius, sed idem numerus est, ut, si ante hunc syllabae ancipiti locus est, ea res indicio sit, esse potius in epitrito isto trochaicum numerum, quam non esse. Enimvero ita videri non nego: attamen non esse ita, tantisper mihi concedi volo, tum attulero, quod opinionem meam confirmet. Nunc, si vera dicimus, Ol. XII. 6. (7) metrorum dispositio ea, quae est in vulgatis libris, excusationem praebebit ditrochaeo, quam ille in nupera descriptione non habet. Sed praeter haec exempla etiam illa non sunt existimanda ditrochaeum habere, in quibus nomen proprium illum pedem infert, ut Isthm. II. 14. (21) *) III. 90. (IV.

*) Hunc quidem locum in Elementis doctrinae metricae p. 651. monui liberari posse licentia ista, membris aliter dispositis et v. 66. ἐπεί τοί γ' scribendo. Sed rectius tamen opinor, concedemus hanc veniam nomini proprio.

123) *) (nam Agesidamos, Agesilaos, Agesimachos, qui communi lingua Hegesidami, Hegesilai, Hegesi-9machi erant, sciens omitto) ita ut in his, quae paullo ante ab alio sequente numero veniam habere diximus, haec Ol. VIII. 54. (71) XII. 19. (25) Pyth. IX. 125. (214) Isthm. III. 15. (24) in quibus nomen proprium est, duobus modis defendi possint. Nam ut Aeschylus *Ἱππομέδοντος* et *Παρθενοπαῖος*, Sophocles autem *Ἀλφεσίβοιαν* secunda longa, idemque prima producta *Τελεύταντος* dixit, etsi hoc quidem Porsonus eleganti coniectura tollere studuit, ita Pindarus quoque aliquid in nominibus propriis sibi indulsit, et plus fortasse, quam quis opinetur. Insigne exemplum praebent Ol. II. initio *Ἡρακλέης*, et Nem. VI. 54. (89) *Ἀοῦς ἀκμᾷ*; quibus in verbis, ut nos quidem putamus, paeon primus secundam tertiamque syllabam contractas habet in unam longam: quod quum contra legem paeonum factum sit, apparet, syllabam istam duobis sonis cani debuisse **). Id enim factum esse interdum, et haec Aristoxeni verba monstrant in fragm. rh. p. 288. *ὁ δὲ μικτὸς* (*χρόνος*), *ᾧ συμβέβηκεν ὑπὸ φθόγγου μὲν ἑνός, ὑπὸ ξυλλαβῶν δὲ πλειόνων καταληφθῆναι, ἢ ἀνάπαλιν ὑπὸ ξυλλαβῆς μὲν μιᾶς, ὑπὸ φθόγγων δε πλειόνων*, et Aristophanes comprobat, abusum huius rei notans illo *εἰειειειειειλίσσετε* in Ranis v. 1349. 1390. Paeones quidem, quibus vel Germanicas Musas noster ille canere docuit Klopstockius, Boeckhius nunc Graecorum volubili linguae eripere conatus est, quod quae ab ipso inventa est metrorum doctrina eos non ferret. Nos, aliter ea de re sentientes, illud tantum nunc monebimus, in carmine Ol. II. primum paeonem, aliquoties ab interpolatoribus sublatum, praeter il-

---

*) Hic locus non indiget hac excusatione. Sed non recte distinxi membra in Elem. doctr. metr. p. 651.

**) Ita tamen hoc insolens videtur in paonico numero et pene abhorrens ab eius natura, ut dubitem an praestet has Critici soluti contractiones putare.

lud *Ἡρακλέης* in omnibus strophis et posse restitui, et videri restituendum esse. Redeo ad ditrochaeum. Is uno in carmine, Isthmicum quartum, vulgo quintum, dico, prorsus videtur rationes nostras conturbare:

μᾶτερ Ἀλίου, πολυώνυμε Θεία,
σέο γ' ἕκατι καὶ μεγασθενῆ νόμισαν,

cuiusmodi pleraque stropharum initia sunt *): simulque addi his debet III. 19. (IV. 1.)

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος.

Quibus locis quum scripturae correctio adhiberi non pos- 10 sit, certo evertent sententiam nostram, nisi inveniatur, quo ipsi quoque defendi queant. Ac de Isthm. III. 19. (IV. 1) sic existimo: quoniam quaternae dipodiae coniunctae sunt, binas, ut in multis versibus, unum membrum constituere: quam rationem huic versuum generi etiam in V. carmine Isthmiorum, licet alio modo, vindicari, non opus est ut peritos moneam. Ex quo consequitur, nihil offensionis habere ancipitem in fine secundae dipodiae, ut finito ibi numero; sed in prima dipodia post *ἔστι* particulam aliquam excidisse. Aliter statuendum videtur de primis duobus versibus quarti carminis: in quorum primo quum secundus, in secundo quartus pes saepius, quam velis, excusatione opus habeat, in priore autem secundi versus dipodia nulla prorsus trochaeo venia sit: nihil reliquum est, quam ut hos duo versus aut vere trochaicos numeros habere, ideoque plane ab illo genere, de quo loquimur, diversos esse censeamus, quod tamen non videtur bene convenire cum reliquis numeris, in quibus omnibus Dorica gravitas conspicua est; aut primam primi, secundam secundi versus dipodiam neque trochaicam, neque ex trochaeo et spondeo, sed ex basi

---

*) Descriptionem metrorum postea eam dedi, qua tollitur vitium. Vide Elem. doctr. metr. p. 650.

et trochaeo esse statuamus *), quod genus si cui duplicem basin vocare placet, ostendat velim, cur secundus pes alias sequatur, quam quae sunt baseos leges. Ita vero non modo in utraque dipodia varians mensura idoneam rationem habebit, sed recte etiam in secundo versu prior dipodia trochaeum pro spondeo recipiet, latente, quia alius numerus sequitur, falsa mensura. In epodorum autem versu septimo, in quibus omnibus (sunt autem tres tantum) ditrochaeus dactylos praecedit, ferri fortasse trochaicus numerus, quum sit brevissimus, poterit; sin minus, apparet, certe excusari syllabam ancipitem posse.

Sed veniendum iam est ad ea, quorum caussa haec disserui: ex quibus, ut hoc obiter addam, satis intelligetur, cur finem fragmenti Pindarici, quod a Thierschio in Actis Monacensibus I. fasc. III. p. 315. s. et a Boeckhio in adnotationibus ad Isthm. VII. editum est, 11 choriambum, non ditrochaeum constituerim. Alia fragmenta, in quibus ditrochaeus est, ubi epitritum esse conveniebat, vel aperte corrupta sunt, vel certum iudicium excludunt. Igitur dipodia trochaica non potest aliter pronunciari, quam ut prior pes maiorem, posterior minorem ictum accipiat, ut in hoc versu,

ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη.

In qua re nihil mutat ultimae productio, quia ea syllaba tamen pro brevi est. Quin Boeckhio auctore etiam mensuram in secundo pede prima syllaba breviorem, quam in primo, habet. Hic enim lib. I. cap. extremo, ut aequalem pedum mensuram, qua hodie musici utuntur, etiam in Graecam musicam inferret, quum id quosdam per puncta, quibus sescuplum ad dimidium comparatur, frustra tentare intelligeret, rem excogitavit, cui rite exsequendae ipse Apollo impar sit, mensuram dipodiae trochaicae, trochaeum irrationalem habentis, ex his con-

*) Nihil opus esse hac metri descriptione, ex ea quam postea dedi dispositione versuum intelligitur.

stare rationibus: 2. 1. $1\frac{5}{7}$. $1\frac{2}{7}$. Esto: quis enim hodie incredibilia reformidet? At quid fiet praeceptis veterum rhythmicorum? Nam quum $1\frac{5}{7}$ et $1\frac{2}{7}$ hanc rationem habeant, quam 4 et 3, triplicis et quadruplicis mensurae consociatio usitatissima foret, quam tamen veteres vel plane reiectam, vel raro certe usurpatam perhibent. Deinde, si dicunt veteres, posteriorem spondei irrationalis syllabam brevi longiorem esse, quis tamen eorum dixit, priorem syllabam breviorem esse longa? Denique quis dixit, irrationalem syllabam cum irrationali consociari, quae ratio aperte exclusa est et ab Aristoxeno in fr. rh. p. 298. et a Bacchio p. 23. Quae quum ita sint, manebit, ut opinor, etiam secundi pedis initio eadem, quae primi, mensura in ditrochaeo, etiam si posterior pes irrationalis sit. Sed quid dicemus de illo genere, quale hoc est,

Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ,

quod isto modo si legimus, mensura utriusque pedis pari, priore autem pede maiorem percussionem habente, omnis perit numerorum gravitas et magnificentia. Quod genus neminem, qui aliquo venustatis sensu polleat, aliter, quam prioris pedis initio minorem, alterius maiorem ha- 12 bente percussionem recitaturum putamus, ipso sensu illuc inclinante, ut pedem, qui posterior est, spondeum, quam trochaeum irrationalem esse malit. Id vero planissime confirmatur iis, quae supra attulimus. Nam si spondeus tam constanter usurpatur, ut non ipse, sed trochaeus, si is aliquando inveniatur, excusatione indigeat, quid aliud, quam non ex duobus trochaeis, sed ex trochaeo et spondeo hoc genus compositum esse dicemus? At hoc quoque dubitationem habet non exiguam. Nam si iste non ditrochaeus, sed epitritus est, quid caussae est, cur rhythmici, quum hic numerus apud lyricos usitatissimus, apud tragicos minime rarus sit, tamen, ubi de divisione numerorum loquuntur, tria faciant genera, par, duplex, sescuplex; quartum genus autem, epitritum, ut quod exigui usus sit, a quibusdam tantum adiici referant, veluti Aristides p. 35.

bis, Porphyrius in Comment. ad Ptolem. p. 220. Psellus p. 300. Quin Aristoxenus plane hoc genus exclusit, ita scribens in fine fragmenti: *τὸ δὲ ἑπτάσημον μέγεθος οὐκ ἔχει διαίρεσιν ποδικήν· τριῶν γὰρ λαμβανομένων λόγων ἐν τοῖς ἑπτά, οὐδείς ἐστιν ἔῤῥυθμος· ὧν ὁ εἷς μέν ἐστιν ὁ τοῦ ἐπιτρίτου· δεύτερος δέ, ὁ τῶν πέντε πρὸς τὰ δύο· τρίτος δέ, ὁ τοῦ ἑξαπλασίου· ὥςτε πέμπτοι ἂν εἴησαν οἱ ἐν ὀκτασήμῳ μεγέθει*: numeraverat autem quattuor ante genera, trium, quattuor, quinque, sex temporum. Ex quo apertum est, quem diximus epitritum apud Pindarum inveniri, ab rhythmicis aut ad trochaeos relatum, aut certe ne pro epitrito quidem habitum esse. Atqui ne ad trochaeos referatur, obstant, quae paullo ante commemoravimus: quodsi ne epitritus quidem est, quid tandem erit aliud? Laudabo, qui ad hoc ita responderit, ut locus dubitationi non relinquatur. Ego satis habebo, distinctius constituenda quaestione etiam augere dubitandi materiam. Sensum si consulas, quem solum in hoc genere, et quamquam non contemnendum, attamen ne omni quidem ex parte certum ducem habemus, facile adducaris, ut gravitatem Dorii numeri ne spondeo quidem trochaeum sequente, i. e. his mensuris 2. 1. 2. 2. contentam esse, sed longius etiam duci debere 13 secundi pedis initium existimes. Vnde, qui hodiernam musicam veteri immiscent, talem forsitan rationem comminiscentur, 2. 1. 3. 3. adhibito vel illo Aristidis tempore triplici, de quo supra diximus, vel, si id eripiatur, testimonio Aristoxeni p. 302. cuius verba emendata adscribam: *τέταρτοι δ' εἰσὶν οἱ ἑξασήμῳ μεγέθει· ἔστι δὲ τὸ μέγεθος τοῦτο δύο γενῶν κοινόν, τοῦ τε ἰαμβικοῦ, καὶ τοῦ δακτυλικοῦ· ἐν γὰρ τοῖς ἓξ τριῶν λαμβανομένων λόγων, τοῦ τε ἴσου, καὶ τοῦ διπλασίου, καὶ τοῦ τετραπλασίου, ὁ μὲν τελευταῖος ῥηθεὶς οὐκ ἔῤῥυθμός ἐστι· τῶν δὲ λοιπῶν ὁ μὲν τοῦ ἴσου λόγος εἰς τὸ δακτυλικὸν γένος ἐμπεσεῖται· ὁ δὲ τοῦ διπλασίου εἰς τὸ ἰαμβικόν.* Eademque dicit Aristides p. 35. seq. *τῶν ῥυθμῶν τοίνυν οἳ μέν εἰσι σύνθετοι, οἳ δὲ ἀσύνθετοι· ἀσύνθετοι μέν, οἱ ἑνὶ γένει ποδικῷ χρώμενοι, ὡς οἱ τετράση-*

μοι· σύνθετοι δὲ, οἱ ἐκ δύο γενῶν, ἢ καὶ πλειόνων, ὡς οἱ δωδεκάσημοι· μικτοὶ δὲ, οἱ ποτὲ μὲν εἰς χρόνους, ποτὲ δὲ εἰς ῥυθμοὺς ἀναλυόμενοι, ὡς οἱ ἑξάσημοι. At haec ad aliam rem transfert Boeckhius p. 27. cui neque contradicam, neque assentiar, nisi alia praegressa disputatione, cui nunc non est locus. Omnino autem etiam si defendi ista ratio posset, minime apta ea foret his numeris, manente trochaei similitudine, cuius iteratio non minus omnem gravitatem excludit, quam ineptus ille dactylorum exitus, qui in Ol. VI. nimis patienter ad hunc usque diem toleratus est. Aptius fortasse prioris pedis duplum videbitur. 2. 1. 4. 2. Modo quis aliunde hunc longiorem trochaeum proferat. Poterit quidem, ductus ope, ex memorabili loco Aristoxeni, Harm. II. p. 34. *πάλιν ἐν τοῖς περὶ τοὺς ῥυθμοὺς πολλὰ τοιαῦθ' ὁρῶμεν γιγνόμενα· καὶ γὰρ μένοντος τοῦ λόγου, καθ' ὃν διώρισται τὰ γένη, τὰ μεγέθη κινεῖται τῶν ποδῶν, διὰ τὴν τῆς ἀγωγῆς δύναμιν· καὶ τῶν μεγεθῶν μενόντων ἀνόμοιοι γίγνονται οἱ πόδες, καὶ αὐτὸ τὸ μέγεθος πόδα τε δύναται καὶ συζυγίαν.* Quae non recte explicat Meibomius. Nam hoc dicit Aristoxenus, manente ratione eadem, v. c. dupli, mutari pedum pondus per ductum, ut trochaeus, si hoc utare, vel trium possit vel sex temporum esse; rursumque magnitudine manente, veluti senorum temporum, dissimiles fieri pedes, ut eadem magnitudo vel uni, vel duobus trochaeis sufficiat. Verum enim vero nec tam crebro, quam in his epitritis opus foret, ductum muta- 14 tum esse credibile est, praesertim si compares, quae Quintilianus IX. 4, 50. dicit, silentiumque ea de re Aristidis p. 99. seq. et obstare quodammodo etiam Plutarchi verba videntur, qui in libro de musica, quamvis c. 21. p. 1138. B. laudet antiquorum in numeris varietatem, tamen c. 6. p. 1133. B. ita scribat: *τὸ δ' ὅλον ἡ μὲν κατὰ Τέρπανδρον κιθαρῳδία καὶ μέχρι τῆς Φρύνιδος ἡλικίας παντελῶς ἁπλῆ τις οὖσα διετέλει· οὐ γὰρ ἐξῆν τὸ παλαιὸν οὕτω ποιεῖσθαι τὰς κιθαρῳδίας, ὡς νῦν, οὐδὲ μεταφέρειν τὰς ἁρμονίας καὶ τοὺς ῥυθμούς.* Praeterea bene tenendum est, quos Graeci pedes rhythmicos vocant,

etsi natura sua dissimillimi sunt hodiernae illi aequali pedum mensurae, cui tactui nomen fecere, tamen usu non multum ab ea diversos esse: unde consequitur, non necessarium fuisse, ut cantus non alias, quam has ipsas partes, quibus pedis cuiusque natura continetur, exprimeret. Id quum obscurius colligi possit ex iis, quae eodem illo, quem commemoravimus, loco addit Aristoxenus: *δῆλον δ' ὅτι καὶ τῶν διαιρέσεών τε καὶ σχημάτων διαφοραὶ περὶ μένον τι μέγεθος γίγνονται· καθόλου δὲ εἰπεῖν, ἡ μὲν ῥυθμοποιΐα πολλὰς καὶ παντοδαπὰς κινήσεις κινεῖται· οἱ δὲ πόδες, οἷς σημαινόμεθα τοὺς ῥυθμούς, ἁπλᾶς τε καὶ τὰς αὐτὰς ἀεί·* multo clarius intelligitur ex his, quae idem in fr. rh. p. 290. scribit, ubi quum dixisset, pedem suapte natura non ultra quattuor partes, duas theses, totidemque arses, recipere, pergit ita: *δεῖ δὲ μὴ διαμαρτεῖν ἐν τοῖς νῦν εἰρημένοις, ὑπολαμβάνοντας μὴ μερίζεσθαι πόδα εἰς πλείω τῶν τεττάρων ἀριθμόν· μερίζονται γὰρ ἔνιοι τῶν ποδῶν εἰς διπλάσιον τοῦ εἰρημένου πλήθους ἀριθμὸν καὶ εἰς πολλαπλάσιον· ἀλλ' οὐ καθ' αὑτὸν ὁ πoὺς εἰς τὸ πλέον τοῦ εἰρημένου πλήθους μερίζεται, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας διαιρεῖται τὰς τοιαύτας διαιρέσεις· νοητέον δὲ χωρὶς τά τε τὴν τοῦ ποδὸς δύναμιν φυλάσσοντα σημεῖα, καὶ τὰς ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γιγνομένας διαιρέσεις· καὶ προσθετέον δὲ τοῖς εἰρημένοις, ὅτι τὰ μὲν ἑκάστου ποδὸς σημεῖα διαμένει ἴσα ὄντα καὶ τῷ ἀριθμῷ καὶ τῷ μεγέθει· αἱ δ' ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γιγνόμεναι διαιρέσεις πολλὴν λαμβάνουσι ποικιλίαν.* Quae quomodo Boeckhio p. 104. ad ductum rhythmicum spectare videantur, nullo modo assequor. Rectius ea compares cum his verbis Lon-15gini, in fragm. 3. (v. scholiasten Hephaestionis pag. 76.) *ἔτι τοίνυν διαφέρει ῥυθμοῦ τὸ μέτρον, ᾗ τὸ μὲν μέτρον πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρόν τε καὶ βραχύν, καὶ τὸν μετὰ τοῦτον, τὸν κοινὸν καλούμενον, ὃς καὶ αὐτὸς πάντως μακρός ἐστι καὶ βραχύς· ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἕλκει τοὺς χρόνους· πολλάκις γοῦν καὶ τὸν βραχὺν χρόνον ποιεῖ μακρόν.* Apertiusque etiam Dionysius hoc declarat in libro de compositione verborum p.

134. *ἡ μὲν γὰρ πεζὴ λέξις οὐδενὸς οὔτε ὀνόματος οὔτε ῥήματος βιάζεται τοὺς χρόνους, οὐδὲ μετατίθησιν, ἀλλ', οἵας παρείληφε τῇ φύσει τὰς συλλαβάς, τάς τε μακρὰς καὶ τὰς βραχείας, τοιαύτας φυλάττει· ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς μειοῦσαι καὶ αὔξουσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τἀναντία μεταχωρεῖν· οὐ γὰρ ταῖς συλλαβαῖς ἀπευθύνουσι τοὺς χρόνους, ἀλλὰ τοῖς χρόνοις τὰς συλλαβάς.* Ex quibus aestimari potest, non ita planum esse, quae musicorum numerorum cum metris poetarum consociatio fuerit atque communitas. Quamquam male abuteretur ista Dionysii observatione, qui ea vel in metris si quid vitiosum est, excusatum iret, vel musicos numeros non putaret aliqua tamen ratione cum metricis convenisse. Praeterea vero a Plutarcho in libro de musica c. 28. p. 1140. F. 1141. A. quaedam commemoratur *εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασις*, quae quam vim habuerit, melius fortasse intelligetur, quum exempla, quae ibi allata sunt, maximeque paeon epibatus, explicatus fuerit, de quo pede quae ab Aristide tradita sunt, et secum ipsa, et cum iis, quae supra ex Aristoxeno de quattuor pedum *σημείοις* attulimus, videntur pugnare. Sed quiqui fuerint numeri musici, qui Doriis istis epitritis aptabantur, hoc tamen ex iis, quae disputavimus, effici videtur, posteriorem pedem non trochaeum irrationalem, fortasse ne spondeum quidem quattuor temporum, sed longiorem quempiam pedem fuisse. Quae ratio si vera est, sponte intelligitur, tolli dubitationem, quam supra tetigimus, quomodo etiam ante Creticum ditrochaeus pro epitrito locum habeat. Nam Creticus iam minime erit catalexis praecedentis numeri, sed plane alius numerus, ut ex his mensuris constans, 2. 1. 2. ex quo conficitur, si ante dactylos aut choriambos ditrochaeus epitriti vicem sustinere potest, non minus id 16 fieri ante Creticum posse. Confirmatque eam rem iusta versuum recitatio. At, inquiat aliquis, epitritum istum ex trochaeo rationali et irrationali, maioris tantum gravitatis caussa, compositum esse, ex eo colligi potest, quod etiam anacrusin, si quando ea usurpatur, constanter lon-

gam habet Pindarus, bis tantum brevem sibi indulgens, semel Ol. VII. 4. (5) et Isthm. I. 4. (5) qui loci nescias an corrigendi sint. Nam Ol. VIII. emendatio levis mendi, quod v. 87. (115) relictum est, meliorem versuum distinctionem monstrabit. Fateor, eiusmodi esse hoc argumentum, ut in se ipso nihil habeat, quod reprehendi possit. Verum quod ad anacrusin attinet, eam etsi longam esse necessitas nulla cogit, tamen sequente tam gravi, quam nos quidem putamus, numero, facile intelligitur, longam anacrusin brevi aliquanto aptiorem esse: quod autem maximum est, non evertuntur isto argumento, quae de gravitate Dorii numeri diximus: quae quum tanta sit, ut trochaicum numerum, quidquid comminiscare, plane aspernari videatur, nihil proderit ad trochaeorum defensionem mensura anacruseos. Sed satis. Alia, quae fortasse de hoc versuum genere dici possent, aliis relinquam.

Aliud enim, idque apertius proferre exemplum volo mensurae per numeros musicos mutatae. Numerum ex uno spondeo factum nemo magnopere laudabit, sed certis tamen locis recte adhiberi fatebitur. Minus etiam trochaeus probabitur unus: etsi hunc quoque pedem, maxime basi praegressa, ante choriambum vel Creticum saepe, neque id inepte positum videmus. Nam qui basin et hunc trochaeum pro duplici basi numeret, non persuadere mihi, supra significavi: vereor potius ne hic illic basis in iis numeris conspiciatur, quibus Pindarus etiamnum lege solutis fertur. Omninoque est ea nuper imperiosius in arbitrariam legem coacta, adeo ut lyrici Aeolenses et comici, quibus addere necessario etiam tragicos debebimus, imperfecti rhythmici audiant. Nimirum quid facilius, quam in poetas culpam coniicias, ubi, doctum credulis vitii nomen, παρακαταλογὴ ad manum sit? Sed ille, 17 quem dixi, trochaeus plerumque ante breves quosdam et abruptiores numeros invenitur, nihilque habet, quare non eadem, qua reliquae syllabae, mensura esse iudicetur. At alius haud raro invenitur trochaeus, gravibus ille vel longis numeris mixtus, quem sive trochaeum esse, sive spondeum putes, (plerumque enim ex duabus longis con-

stat) concinnitati eum numerorum, servata communi mensura, mire officere fatendum est. Sic apud Pindarum:

> *τᾶς ἀκούει μὲν βάσις ἀγλαΐας | ἀρχά,*
> *πείθον | ται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν.*

Apud Aeschylum in Eumenidibus:

> *μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ | μᾶτερ*
> *Νύξ, ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν | ποινάν.*

In Agamemnone:

> *Ζεύς, ὅς | τίς ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ αὐ-*
> *τῷ φίλον κεκλημένῳ·*

Lege istum trochaeum eadem, qua reliquos pedes mensura, ut hanc habeat longitudinem, 2. 1. et senties, numeros esse ineptos, inconcinnos, elumbes. Cur ita non est etiam in versu Hipponacteo:

> *ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ' | ἥκω.*

Nempe in hoc versu trochaeus ille pro iambo substitutus, huius vice fungitur, servans proinde mensuram eius: in illis autem exemplis seiunctus a caeteris numeris integri membri locum tenet, ut, si trium ille temporum sit, ineptissima evadat tam brevis membri ad tam longa, quam caetera sunt, comparatio. Quare quid aliud, quam, quo numeri isti apta proportione aequarentur, quantum multitudini syllabarum deerat, tantum ponderi adiectum fuisse censeamus? Ac profecto, qui modo ineptissimi et turpiter fracti numeri videbantur, aptissimi erunt et eximia gravitate decori, si hunc non vulgarem illum trochaeum, qui trium, sed semantum, qui duodecim temporum spatio 18 producitur, esse statuas. Hoc eiusmodi mihi esse videtur, ut neminem fore credam, qui semel monitus, si reputarit, quales illa carmina numeros requirant, non vera nos attulisse sibi persuadeat. Aliud exemplum huius trochaei inauditos tollet numeros in Ol. IX. Sed facta semel pedis huius mentione, paucis explicemus Aristidis locum, qui nescio an a plerisque non satis intellectus fuerit.

Dicit is p. 38. nominis originem declaraturus: *σημαντὸς δέ, ὅτι βραδὺς ὢν τοῖς χρόνοις, ἐπιτεχνηταῖς χρῆται σημασίαις, παρακολουθήσεως ἕνεκα διπλασιάζων τὰς θέσεις.* Martianus Capella obscure vertit: *semanticus sane, quia, quum sit tardior tempore, significationem ipsam productae et remanentis cessationis effingit. Σημασία,* de quo vocabulo non satis accurate scholiastes Hephaestionis p. 20. *σημασία οἱ χρόνοι παρὰ τοῖς μετρικοῖς καλοῦνται*, potius notationem temporis significat. Ita Aristoxenus fr. rh. p. 302. qui locus ita corrigendus: *τῶν δὲ ποδῶν ἐλάχιστοι μέν εἰσιν οἱ ἐν τῷ τρισήμῳ μεγέθει· τὸ γὰρ δίσημον μέγεθος παντελῶς ἂν ἔχοι πυκνὴν τὴν σημασίαν· γίγνονται δὲ ἰαμβικοὶ οὗτοι, οἱ ἐν τρισήμῳ μεγέθει.* Comparandus cum his scholiastes Hephaestionis, qui p. 81. de eodem pede pyrrhichio ita scribit: *οὗτος δὲ κατὰ πόδα μὲν οὐ βαίνεται, διὰ τὸ κατάπυκνον γίνεσθαι τὴν βάσιν, καὶ συγχεῖσθαι τὴν αἴσθησιν.* Iam quae sint *ἐπιτεχνηταὶ σημασίαι,* declarabunt haec Quintiliani verba IX. 4, 51. *inania quoque tempora rhythmi facilius accipient: quamquam haec et in metris accidunt: maior tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis, atque aestimant, quod breves illud spatium habeat: inde τετράσημοι, πεντάσημοι, et deinceps longiores fiunt percussiones: nam σημεῖον tempus est unum.* In tanta enim trochaei semanti tarditate non recte servata mensura fuisset, nisi pedum digitorumve ictu tempora notassent. Iam vero intelligi poterit, cur illa addat, *διπλασιάζων τὰς θέσεις*, quae alias et quod *διπλασιάζων,* non *τετραπλασιάζων*, et quod *τὰς θέσεις*, non *τάς τε θέσεις καὶ τὰς ἄρσεις* dixerit, mira videantur necesse est. Et quamquam *τετραπλασιάζων*, quum id librarii etiam *δπλασιάζων* scribant, facile restitui possit, tamen *διπλα-*19*σιάζων*, ut quod caussam contineat, quare *τὰς ἄρσεις* omiserit, genuinum esse puto. Hoc enim vult, pedem istum propter magnam eius tarditatem ita proferri, ut, quo mensura eius recte comprehendi observarique possit,

thesis duplici ictu pedis notetur, eaque ratione quasi in duas quaternorum temporum partes dividatur: ex quo consequitur, arsin, quae, ut ex quattuor tantum temporibus constans, artificiosa, i. e. fictarum partium, notatione non opus habebat, ne commemorandam quidem fuisse. Itaque ut vulgaris trochaeus tres habebat moras, sic semantus ille partes complectebatur tres, quattuor quamque temporum, quarum partium priores quum in uno sono comprehensae facile iusta mensura excidere possent, omnes tres partes ictu aliquo pedis vel manus notabantur, quorum ictuum duo priores ἐπιτεχνηταὶ dicuntur σημασίαι, quod non syllabas duas, sed unius syllabae duas partes discernebant. Sed finem facio. Existimari vero ex his poterit, neque metricam doctrinam ab omni parte iam explanatam esse, rhythmicam autem adhuc in tenebris totam iacere.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI DISSERTATIO PRIMA *).

PRAEFATIO.

3 Septimus hic annus est, ex quo rogatus, ut conferrem aliquid ad secundum fasciculum Musei studiorum antiquitatis, Buttmanno dissertationem misi de choro Eumenidum Aeschyli: qua commodum missa quum accepissem Boeckhii librum de tragicis Graecis, in quo is novam de ea tragoedia coniecturam proposuerat, aliam de eodem argumento dissertationem adieci. Aliquanto post, dilata editione fasciculi illius, petii, ut mihi redderentur dissertationes istae, quo eas hic illic fortasse auctas correctasve, quum iis usus foret, remitterem. Ita repositas servabam, servaremque etiamnum, nisi mihi nunc, quae ex muneris mei officio duae erant commentationes edendae, ad eas scribendas otium defuisset. Cui officio quum edendis illis, quas tum scripseram, dissertationibus satisfieri posse intelligerem, non putabam id aegre laturos celeberrimos editores Musei, ut quos et amicos mihi esse scirem, nec dubitaturos, si instaurare Museum suum vellent, non detrectaturum me esse, quod iis gratum fore acciperem.

Chorum Eumenidum, aliaque nonnulla, quae cum hac quaestione coniuncta sunt, attigit nuper etiam Blom-

*) Editae sunt a. 1816.

fieldius in praefatione ad Aeschyli Persas: quae omnia si vellem persequi, facile tertiae alicui dissertationi materiam invenirem. Verum quoniam nonnulla horum ex iis, quae a nobis disputata sunt, facile a quovis iudicari poterunt, illud tantum paucis commemorabo, quod praetermitti res ipsa vetat. Putat enim vir doctissimus, Aeschyli aevo numerum personarum chori arbitrarium fuisse; in Eume- 4 nidibus quidem ex tribus eum personis constitisse, eodemque numero fuisse chorum Cabirorum, Phorcidum, Heliadum; Heliades tamen fortasse septem, sed non plures fuisse. Non quaeram, Aeschyli aevum, quod vocat, quo spatio finiri putet: quod aevum partem complectitur etiam illius temporis, quo Sophocles tragoedias docuit: sed ut ipsa artis initia, primosque conatus Aeschyli intelligamus, quis credat, chorum ex tam paucis personis compositum fuisse, non modo tacentibus ea de re scriptoribus antiquis omnibus, sed diserte testantibus contrarium? Quumque constet, chori cantica prius, quam actorum sermones et diverbia in usu fuisse, quis sibi persuadeat, trium cantorum voces pro iusto concentu chori habitas esse, praesertim quum cyclii chori ex quinquaginta viris essent? Nimirum colligit istud Blomfieldius ex his ipsis, quos dixi, choris Furiarum, Cabirorum, Phorcidum, Heliadum: has enim personas consensu antiquitatis non nisi paucas numero esse; nec plures, quam esse crederentur, produci in scenam potuisse. At ex his solus Furiarum chorus, qui aliquid probare possit, relinquitur. De caeteris enim res plane incerta est. Quin in Cabiris qui fuit chorus, ex Argonautis potius compositum fuisse credibile est. De Phorcidum choro nihil constat: qui si fuit ex Phorci filiabus, certe in iis etiam Gorgones numerabantur, ut sex, non tres, fuerint, neque illae fortasse sine comitibus. Heliades quidem haud dubie chorum constituerunt: quis vero contendat, non fuisse iis alias septem vel octo nymphas ministrorum loco adiunctas, ut septem matronis pedisequae consociatae sunt in Supplicibus Euripidis? Sed videamus Furias. Credebatur sane, has numero tres esse; verum est, nusquam Aeschylum diserte plures commemorare:

concedam etiam, illa v. 140. *ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ,* et v. 588. *πολλαὶ μέν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως,* de tribus accipi posse, etsi nec puto ita esse accipienda, et vim ac virtutem horum locorum ea interpretatione imminui video; quumque negem ex eo, quod v. 48. seqq. cum Gorgonibus et Harpyiis comparantur, de nume-5ro quidquam colligi posse, quae Blomfieldii sententia est, aliud pro hoc argumento substituam, quod erunt qui non leve putabunt, v. 255. ab una Furiarum reliquas verbo duali compellari: denique nihil tribuam auctoritati scholiastae, qui ad v. 588. diserte quindecim Furias fuisse scribit: quid iam his argumentis omnibus efficitur? Nihil vero, ut opinor. Laudabo enim, qui probabiliter respondebit ad haec duo, primo, unde tandem, si tres fuerunt, fabula ista de quinquaginta Furiis oriri potuerit, quae si ad veritatem revocatur, quid aliud quam hoc indicat, plures, quam oportebat, fuisse? deinde, quomodo, quod ex Apsine in secunda nostrarum dissertationum attulimus, apertum potuerit minimeque dubium crimen tragoediae illi exprobrari, nisi id in eo fuit positum, quod, quae tres habebantur Furiae, plures esse poeta voluerat. At, inquiat fortasse, prorsus incredibile est, tam impudenter contemni religiones potuisse, ut quis numerum deorum pro arbitrio multiplicaret. Minime vero. Aliud est enim, pro uno deo plures introduci; aliud, qui sunt numero plures, eorum augeri numerum. Illius enim natura perit multiplicando, horum non solum conservatur, unde Furias et Gratias alii duas, alii tres esse existimarunt; sed magis etiam exsplendescit. Omninoque in Furiis aliisque huiusmodi numinibus incertum aliquem numerum mentibus hominum obversatum esse, vel illud, quod apud Homerum et Hesiodum, deinde apud plures alios est, *μητρὸς* et *πατρὸς Ἐριννύες*, arguere videtur. Quare Aeschylum credibile est, quum Furias introduceret, tribus, quae proprie Furiae habebantur, comitatum adiunxisse aliarum, quae varia illarum munia obeuntes, sociae illis et administrae essent. Eamque rem nescio an indicare voluerit v. 419. *ἡμεῖς γάρ ἐσμεν νυκτὸς αἰανῆς τέκνα, Ἀραὶ δ' ἐν*

οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα. *Ἀραὶ* enim numero sunt infinitae. Sed quid dubitemus, quum certius habeamus indicium in extremis Choephoris, ubi Orestes, cernere sibi visus non unam aliquam, sed plures Furias, augeri numerum earum videt, eaque re territus exclamat v. **1057.** *ἄναξ Ἄπολλον, αἵδε πληθύουσι δή.* Quae verba quum apertum sit de pluribus quam de tribus dici, quid cunctabimur, etiam illud in Eumenidibus v. 588. *πολλαί μέν ἐσμεν,* ut consentaneum est, de maiore aliquo numero dictum accipere: quo facto iam ne illud quidem v. **140.** *ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ,* exile erit *). Illud autem, quod v. 255. una Furiarum reliquas numero duali compellare videtur, tanto minus ponderis habet, quod nonnisi edd. quaedam *λεύσσετον πάντα* praebent, quam lectionem suspiceris correctoribus deberi, qui codicum et Aldinae scripturam, *λεῦσσε τὸν πάντα,* quae sane difficilior est, vitiosam esse putabant. Quae verba, nisi aliquid vitii contraxerunt, quodammodo comparari possunt cum simili locutione, quae est in his Polemonis in oratione pro Cynegiro p. 5. sub finem: *ἐπαίνει μὲν σὺ τὸν ἑστῶτα, τὸν ἀκλινῆ, τὸν νεκρόν, τὸν μηδὲν στήλης διαφέ-*

---

*) Memorabile est etiam Euripidis testimonium, qui etsi in Oreste v. 1648. scripsit,

> *ἐνθένδε δ' ἐλθὼν τὴν Ἀθηναίων πόλιν,*
> *δίκην ὑπόσχες αἵματος μητροκτόνου*
> *Εὐμενίσι τρισσαῖς,*

tamen in Iphig. Taur. 961. seqq. aperte multas commemoravit:

> *ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην τ'*
> *ἔστην, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον,*
> *τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐριννύων,*
> *εἰπὼν ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι*
> *Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν· ἴσας δέ μοι*
> *ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ,*
> *νικῶν δ' ἀπῆρα φόνια πειρατήρια.*
> *ὅσαι μὲν οὖν ἕζοντο πεισθεῖσαι δίκῃ,*
> *ψῆφον παρ' αὐτὴν ἱερὸν ὡρίσαντ' ἔχειν·*
> *ὅσαι δ' Ἐριννύων οὐκ ἐπείσθησαν νόμῳ,*
> *δρόμοις ἀνιδρύτοισιν ἠλάστρουν μ' ἀεί.*

ϱοντα· ἐγὼ δὲ τὸν πεζόμαχον, τὸν ναύμαχον, τὸν πανταχοῦ, τὸν κατὰ μικρὸν μέγαν, τὸν ἀντὶ πολλῶν ἕνα. His omnibus diligenter perpensis fatendum erit, poetas non cantorum numerum personis fabulae, sed has usitato chori numero accommodasse, ut, si minor esset personarum numerus, augeri debuerit, ut in Eumenidibus et Supplicibus Euripidis, et, ut credere par est, in Aeschyli Heliadibus; sin maior esset, minui, ut in Aeschyli Supplicibus, in quibus scite observavit Boeckhius sedulo caveri, ne mommemoretur numerus Danaidum.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI.

DISSERTATIO PRIMA.

Duae celebrantur de Aeschyli Eumenidibus fabulosae narrationes, una, quum ea fabula in scenam producta esset, pueros nonnullos prae terrore exstinctos esse, et mulieres gravidas abortum fecisse; altera, chorum, eo usque 7e quinquaginta personis constantem, ob hanc ipsam rem ad quindecim, et lege quidem, redactum esse. Prior illa de pueris et mulieribus narratio nescio quem grammaticum auctorem habet, qui eam vitae Aeschyli ab alio grammatico scriptae inseruit: neque enim in omnibus codicibus legitur iste locus. Verba autem haec sunt: *τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποϱάδην εἰς-αγαγόντα τὸν χοϱόν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥςτε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβϱυα ἐξαμβλωθῆναι.* Hanc quidem narrationem quum Boettigerus, vir celeberrimus, in libro de personis Furiarum p. 3. recte, ut mihi videtur, e comica quadam vel epigrammatica exaggeratione ortam iudicaret, non debebat tamen ad eam rem Gorgiam adhibere, qui apud Plutarchum in Quaest. conviv. VII. 10. p. 715. E. fabulam, quae Septem ad Thebas vocatur, a Marte dictatam Aeschylo esse dixisset.

Nam illum longe aliud quid dixisse in promptu erit recordanti Aristophanis in Ranis v. 1021. ex quo loco corrigendum esse Plutarchum iam Stanleius viderat ad vitam Aeschyli p. 700. b. Sed redeamus ad grammaticum, qui istud additamentum ad vitam Aeschyli adscripsit. Quamvis enim inepta sit ista narratio, habet ea tamen duplicem, neque eam levem utilitatem. Primum enim, quoniam caussam, quare ita territi fuerint spectatores, non in numero Furiarum ponit grammaticus, hac ipsa re dubitare nos cogit de veritate alterius narrationis, de qua statim explicabimus: deinde aliam affert terroris caussam, eamque talem, quae ad ipsam fabulae Aeschyleae interpretationem insigne momentum habeat, poetam Furias *σποράδην* introduxisse dicens. Quod quid sit, infra explanabitur. Progrediamur ergo ad Pollucem, quo solo auctore chorus tragicus usque ad Eumenides quinquaginta personas habuisse creditur. Scribit autem Pollux ita, lib. IV. 110. *τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν, ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Solum haec dixi Pollucem tradere: graviter enim falluntur, qui, quod Petitus ad leges Atticas p. 66. (138. ed. Wessel.) Kühnius ad Pollucem, et Stanleius ad vitam Aeschyli p. 702. b. faciunt, de eadem re intelligunt verba Aristotelis in libro de arte poetica c. IV. 16. *καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσεν.* Aristoteles non de personis choricis, sed de carminibus loquitur: quin ne potuit quidem personas in mente habere, quia, si lege cautum est propter Eumenides illas, ne chorus ultra XV personas haberet, id non est auctore Aeschylo factum, sed nolente Aeschylo. Multo minus Philostrati locus de vita Apollonii VI. 11. p. 244. a Stanleio et Oleario huc trahi debebat, in quo additum *ἀποτάδην* satis docere poterat, Philostratum quoque de longis chori carminibus loqui. Crediderunt autem Polluci non modo Petitus, Stanleius, Kühnius, Perizonius, Berglerus, aliique, quos Boettigerus commemoravit, sed etiam Ilgenius in dissertatione de choro tragico p. 55. Opuscu-

lorum, Iacobsius, et, quod mireris, ipse Boettigerus in libro de personis Furiarum p. 2. quamquam hic eo, ut videtur, inclinans, ut nisi quinquaginta, certe omnino plures quam XV personas chori usque ad Eumenides fuisse putet. Polluci quidem, parum accurato scriptori, omnino credi non debuit, praesertim in re, quae vel per se parum credibilis esset. Quid vero? an tum quoque ei fidem habebimus, quum alios, et quidem antiquos doctosque grammaticos, immo Aeschylum ipsum, contraria prodere cognoverimus? Quod vel coniectura assequi licebat, Agamemnonem, Choephoros, et Eumenides, simul in scenam productas esse, id diserte confirmat grammaticus, qui scripsit argumentum Agamemnonis, Olympiadis etiam numerum annumque, et nomen archontis adiiciens. Quod si usque ad Eumenides quinquaginta erant chori personae, totidem etiam in Agamemnone fuisse par est: nondum enim lata erat lex ista, si umquam lata est, qua quindecim esse iuberentur. Contra si iam in Agamemnone chorus e quindecim personis constabat, non modo eumdem in Eumenidum choro numerum fuisse probabile est, sed necesse est etiam, falsa retulisse Pollucem. Atqui scholiastes Aristophanis ad Equites v. 586. quum ostendisset, comicum chorum personas habuisse XXIV, haec addit: *ὁ δὲ τραγικὸς ιέ, ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.* At quid est hoc? Cur scholiastes in re, quae omnium tragoediarum communis erat, ad hanc fabulam maluit, quam ad omnes provocare? Stanleius ad indicem personarum, quae sunt in Agamemnone, cavendum dicit, ne quis personas XV ex lege fuisse putet, quandoquidem haec lex postea demum lata sit. At ita augetur etiam rei difficultas. Nam si ita existimavit Stanleius, ante istam legem arbitrarium fuisse personarum numerum, ineptissimus fuerit iste scholiastes necesse est, qui exemplum ex iis fabulis petierit, in quibus non erat definitus cantorum numerus, non ex his, in quibus idem ille numerus, quem commemorat, ut lege constitutus, semper sibi constabat. Dignum est scholion istud, quod diligentius consideretur. Scribit grammaticus ita; *οἱ γὰρ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας*

ποιηταὶ καὶ οἱ τραγικοὶ χοροὺς ἵστασαν, οἳ τὰ χορικὰ ὑπεκρίνοντο καὶ ᾖδον μέλη· συνειστήκει δὲ ὁ μὲν κωμικὸς ἐξ ἀνδρῶν ἢ δὴ καὶ γυναικῶν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἐκ παίδων κδʹ, ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν, ἄῤῥενας μὲν ὄρνις ιβʹ, θηλείας δὲ τοσαύτας· ὁ δὲ τραγικὸς ιέ, ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Apertum est, doctissimum grammaticum ea, quae de chori personis dicit, ipsorum auctoritate poetarum confirmare. Ac de comico quidem choro Aristophanem advocat testem, qui in Avibus v. 298. seqq. chori personas numeret XXIV, de tragico autem Aeschylum in Agamemnone: cur? non sane aliam ob caussam, quam quia in hac fabula chori personae singulae loquentes introducantur, ex eaque re XV esse appareat. Ita est autem. Nam, quod nondum a quoquam est animadversum, Aeschylus, inventor, ut videtur, huius rei, receptae postea a caeteris tragicis, in Agamemnone omnes chori personas ordine seorsum verba facere voluit: idque sic instituit, ut, si id alibi obscurius facere videatur, hic ea res latere nullo modo possit. Quare grammaticus iste Agamemnonem prae aliis fabulis nominavit. Est autem ille locus a v. 1353. ubi scribae semichoria constituerunt, quibus nihil hic fingi potuit ineptius. Nam si istud colloquium inter duo semichoria distribuitur, adeo istae personae inconstantes et inopes consilii sunt, ut non modo, quid agant, nesciant, sed semper a contrariis ad contraria transvolent, morum certique ingenii prorsus 10 expertes. Divisis vero istis versibus inter quindecim chori personas, non modo suum cuique ingenium manet, sed etiam motus oritur incredibilis, qui hic eo magis erat necessarius, ut ne finis fabulae post horrenda illa Cassandrae vaticinia elanguesceret. Initium istius loci sic describendum est:

στρ. *ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.*

ὤμοι πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω.

ΧΟΡΟΥ ὁ ά.

σῖγα· τίς πληγὴν ἀϋτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

ἀντιστ. *ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.*

ὤμοι μάλ᾽ αὖθις, δευτέραν πεπληγμένος.

ΧΟΡΟΥ ὁ β′.

τοὔργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.

ἐπῳδ. ΧΟΡΟΥ ὁ γ′.

ἀλλὰ κοινωσώμεθ᾽ ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα.

Inde de iis, quae reliquae sunt XII chori personae, singulae binos trimetros recitant, quorum ultimos habet coryphaeus, quo duce rursum congregatur chorus, et versus regias aedes se coniicit:

ταύτην ἐπαινεῖν πάντοθεν πληθύομαι,
τρανῶς Ἀτρείδην εἰδέναι κυροῦνθ᾽ ὅπως.

In quibus verbis ipsum vocabulum *πάντοθεν* nostram personarum descriptionem confirmat. Quod si in Agamemnone, ipso Aeschylo auctore, chorus personas habuit XV, quis dubitabit, quin totidem etiam in Eumenidibus Furiae introductae fuerint? Atque hoc quoque idonea auctoritate, infra ipsius poetae, nunc scholistae firmabimus. Nam ubi Furiae dicunt, (v. 588.)

πολλαί μέν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως,

11 scholiastes, haud dubie ex perantiquo grammatico, observat: *τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς, ἀλλὰ πρὸς τὸν χορόν· ιέ γὰρ ἦσαν.* Hoc autem ille significat, quum Furiae multas se esse dicant, non respici traditionem veterum, qua tres esse perhibebantur, sed chorum Furiarum, qualem poeta introduxerit, e XV Furiis constantem. Veterum enim alii duas, alii tres esse Furias tradiderant: vide scholiasten Sophoclis ad Oed. Col. 39. quarum narrationum ea, quae tres eas esse volebat, pervulgata erat. Vtar in hanc rem trium idem dicentium grammaticorum testimonio, non quod eo opus esse putem, sed quod inde aliquid lucri ad quemdam Eumenidum Aeschyli locum accedit, Harpocrationis, Photii, et Suidae. Hi igitur in v. *Εὐμενίδες* sic scribunt: *Αἰσχύλος ἐν Εὐμενίσιν, εἰπὼν τὰ περὶ τὴν κρίσιν τὴν Ὀρέστου, φησὶν ὡς ἡ Ἀθηνᾶ πραΰνασα τὰς Ἐριννύας, ὥστε μὴ χαλεπῶς ἔχειν πρὸς τὸν Ὀρέστην, Εὐμενίδας ὠνόμασεν· εἰσὶ δὲ τρεῖς, Ἀληκτώ,*

Μέγαιρα, καὶ Τισιφόνη. Quod hi in Aeschyli Eumenidibus dictum esse referunt, nusquam in ea fabula, ut ea nunc quidem habetur, scriptum est: quin ne nomen quidem in ea Eumenidum usquam reperitur. Atqui horum fides grammaticorum eo minus in dubitationem venire potest, quod Aeschylus non modo hanc appellationem Furiarum, ut ex ipso illo Orestis iudicio natam, propriamque Atheniensibus, vix praeterire potuit, (vide Sophoclem in Oed. Col. 42. et ibi scholiasten, cuius adnotationem repetiit Suidas in v. *Εὐμενίδες*) sed etiam ipsum fabulae nomen mentionem eius rei factam esse arguit. Quin etiam in argumento fabulae, quod non solum in Robortelli editione, sed etiam in reliquis mutilum est, adnotatur: *τὰς δὲ Ἐριννύας πραΰνας, προσηγόρευσεν Εὐμενίδας*: ubi scribendum *πραΰνασα*, auctoribus illis ipsis, quos attuli, grammaticis. Nihil ergo aliud relictum est, quam ut eum locum, in quo Furias Eumenidum nomen accepisse poeta dixerat, librariorum negligentia, vel codicum tristi fortuna interiisse statuamus: cuius generis exempla plura etiam, quam vulgo creditum est, in Aeschyli fabulis exstant. Quum autem et res ipsa, et grammaticorum quos commemoravimus testimonium circa finem fabulae id 12 factum esse ostendat, in promptu est locus, qui non modo maxime ad eam narrationem idoneus videatur, sed etiam ob ipsam verborum inconcinnitatem lacunae suspectus sit, v. 1028. Ibi quum Minerva se missuram dixisset, qui Furias ad destinatam sedem deducerent, ita pergit:

> *ὄμμα γὰρ πάσης χθονὸς*
> *Θησῇδος ἐξίκοιτ' ἄν, εὐκλεὴς λόχος*
> *παίδων, γυναικῶν, καὶ στόλος πρεσβυτίδων.*
> *φοινικοβάπτοις ἐνδυτοῖς ἐσθήμασιν*
> *τιμᾶτε, καὶ τὸ φέγγος ὁρμάσθω πυρός.*

Hic non solum desideratur virorum et iuvenum mentio, quorum in hac pompa tam insigne officium erat, ut id non videatur praeteriri potuisse, (vide quae Boettigerus p. 6. de personis Furiarum attulit: quibus adde Maussacum ad Harpocr. in v. *σεμναὶ θεαί*, p. 314. et Valesium ad

Maussaci notas p. 133.) sed etiam verbum *τιμᾶτε* sic nude positum aliquid excidisse monstrat. Hic enim versus,

φοινικοβάπτοις ἐνδυτοῖς ἐσθήμασιν,

si quis alius, vitii suspicione vacuus est. Nam ἐνδυτὸς non simpliciter, quod induitur, significat, sed quod ornatus caussa: vide Eurip. Iph. Aul. 1079. Troad. 259. Apud eumdem in Ione v. 231. est *ἐνδυτὸς στέμμασι, sertis ornatus.* Sic etiam Sophocles in Trach. 674. *ἐνδυτῆρα πέπλον* dixit, quae verba male interpretatur Musgravius.

Revertamur ad Pollucem. Et quum nulla tam inepta reperiatur fabula, quae non aliquid veri contineat, videndum est, an ex his, quae apud hunc et in vita Aeschyli leguntur, aliquid effici possit, quod nisi verum, certe veri simile sit. Ambo scriptores in eo conveniunt, magnum terrorem choro Furiarum in theatro excitatum esse: idque sic est probabile, ut iure pro vero haberi possit: dissen-
13 tiunt autem de caussa huius terroris: quam quum Pollux in numero ponat quinquaginta Furiarum, quod falsum esse docuimus, reliquum est, ut alterius scriptoris sententia consideretur, qui eo territos dicit spectatores, quod Furiae *σποράδην* introductae fuerint. De ea re excursus est Boettigeri in libro de personis Furiarum p. 98. seq. qui *σποράδην* interpretatur *catervatim*, et ita templum ingressas putat v. 244. Neutrum equidem ab omni parte probaverim. *Σποράδην* Zonaras interpretatur *ἐσπαρμένως*, Photius et Suidas *διεσπαρμένως ὧδε κἀκεῖσε*, Hesychius *ἐσπαρμένως ἢ ἐν διαφόροις.* Moschopulus Sched. p. 190. *σποράδην ἵστανταί τινες, ἤγουν διεσπαρμένως.* Ita Plutarch. Symp. II. 1. p. 629. D. E. *σποράδην δὲ ἀναγέγραπται, καὶ οὐ διακεκριμένως, ἀλλ' ὡς ἕκαστον εἰς μνήμην ἦλθεν.* Ex his nihil aliud colligi potest, quam chorum Furiarum non, ut solitum erat, ordinibus instructum ingredi, sed singulas nullo certo ordine advenire. Id autem fieri non poterat quin maximum terrorem spectatoribus incuteret, non modo ob rei insolentiam, (aliud est enim, quod Pollux dicit IV. 109. *ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ'*

ἵνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον) sed etiam quod, si singulae Furiae, alia post aliam, irruerent, numerus earum, ut qui continuo augeretur, multo maior videri debebat, quam si ordinibus dispositae simul omnes conspectae fuissent. Sed quis credat in ea re tantam potuisse vim ad terrorem inesse, si Furiae, quum iam ante coram spectatoribus omnes apparuissent, in secundo demum actu ita fuissent introductae? Immo sic demum percelli et horrore impleri spectatores potuerunt, si primus Furiarum ingressus ita tumultuosus fuit. Quare, etsi nolim contendere, non iterum sic eas prodiisse, illud tamen apertum esse arbitror, neque, quantum primus adspectus valeret, fugere Aeschylum potuisse, nec narrationem istam de nimio spectatorum terrore potuisse oriri, nisi si prima eos Furiarum ingressio ita commovit. Sed licet etiam ultra suspicionem progredi. Nam neque chori carmen, quod est a v. **143.** usque ad **178.** neque quod est a v. **254.** ad **275.** parodus chori est, quae demum v. **322.** incipit: id quod et oratio ostendit, et cla- **14** rius etiam metra docent, quorum haec est compositio, ut non esse ab universo choro cantata appareat: sed hoc alius est disputationis. Consistam in oratione, quae in utroque carmine, maxime autem in priore, egregie confirmat ea, quae scholiastes ad v. **140.** adnotavit: *ἀναστήσει αὐτὰς οὐκ ἀθρόως, μιμούμενος ἐμφαντικῶς τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἐγείρεταί τις πρώτη, ὥςτε μὴ ἀθρόως τὸν χορὸν φθέγξασθαι.* Aliud quidem huic quodammodo repugnans scholion ad v. **144.** adscriptum est, alius fortasse interpretis: *κομματικῶς ἕκαστον κατ' ἰδίαν προενεκτέον· αἱ γὰρ διακοπαὶ πρόςφοροι τοῖς πάθεσιν.* Sed hoc interprete, etsi non contemnendo, quum meliora nos ipse poeta doceat, facile carebimus. Totum enim istud carmen a. v. **140.** ad v. **178.** tam omni sententiarum nexu destitutum est, tamque multas continet eiusdem rei aliter atque aliter expressae repetitiones, ut non videatur dubitari posse, quin, quod alibi quoque, eodem indicio ducti, factum animadvertimus, non universus chorus, aut pro eo coryphaeus, sed singulae personae loquantur. Has enim deinceps accedentes neque mirum est in pari indignatione

omnes in eamdem sententiam loqui, et necessarium, nexu talem orationem carere. Iacebant sopitae in interiore templi parte Furiae: audiuntur primo voces somniantium: inde una excitata lente progreditur, ita loquens:

> *ἔγειρ᾽, ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ᾽, ἐγὼ δὲ σέ.*
> *εὕδεις; ἀνίστω, κἀπολακτίσασ᾽ ὕπνον,*
> *ἰδώμεθ᾽, εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ.*

Prodit iam secunda concitatior:

> *ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ, ἐπάθομεν, φίλαι.*

Deinde tertia:

> *ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ.*

Tum quarta *):

> *ἐπάθομεν πάθος δυςαχθές, πόποι,*
> *ἄφερτον κακόν.*

15 Eodemque modo deinceps prorumpunt omnes, singulae aliquid dicentes: quindecim enim commata sunt. Apertum vero est, quantum talis ingressus terrorem excitare debuerit, Furiis alia post aliam ex adyto egredientibus, eaque re speciem praebentibus gregis finem non habituri. Intelligi iam puto, quid sit *σποράδην*. Simili modo, id quod suspicatus erat Boettigerus, etiam templum Minervae ingrediuntur v. **244**. ubi dum una de Furiis, quae prima introierat, iambis de adventu suo exponit, deinceps adveniunt aliae: quorum aliquibus iam praesentibus ea, quae hucusque iambis loquuta fuerat, ab his numeris ad

---

*) Immo haec secundae verba sunt, orationem a tertia interpellatam ad finem perducentis. Quarta dicit, quod sequitur:

> *ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν· οἴχεται δ᾽ ὁ θήρ.*

Quam excipit quinta:

> *ὕπνῳ κρατηθεῖσ᾽ ἄγραν ὤλεσα.*

Ad eumdemque modum distribuendi sunt versus antistrophae.

concitatiores defertur, illas ad persequendum Oresten instigans:

> ὀσμὴ βροτείων αἱμάτων με προςγελᾷ.
> ὅρα, ὅρα μάλ' αὖ·
> λεῦσσε τὸν πάντα, μὴ
> λάθῃ φύγδα βὰς
> ματροφόνος ἀτίτας.

Praeclara enim adnotatio scholiastae legitur ad v. 254. τὸ αὐτὸ πρόςωπόν ἐστι. Huic Furiae dum eae, quae iam praesentes erant, respondent, reliquae congregantur, ipsae quoque aliquid dicentes. Quumque septem sint commata, veri simile est, post primam illam quater de binis, bis de ternis unam aliquid dicere.

Tantum igitur verum est, magnum in theatro terrorem excitatum esse, Furiis sic longa serie in scenam prodeuntibus. Quae res si eo valuit, ut lege coercenda iudicaretur poetae audacia, quid hanc legem, si qua lex ea de re lata est, putabimus continere potuisse? Aut ad omnes tragoedias pertinuerit necesse est, aut ad solas Eumenides Aeschyli. Si ad omnes tragoedias, non potuit nisi de imminuendo personarum numero praecipere. Idque factum testatur Pollux. At quum chorus Eumenidum non e quinquaginta personis, ut hic tradit, sed e quindecim constiterit, lex ista non potuisset choro XV personas tribuere, sed de his XV aliquas detrahere debuisset. Atqui non modo nemo de hac re quidquam narravit, sed, qui de tragici chori personis mentionem 16 iniiciunt, ita de iis loquuntur, ac si chorus semper XV personas comprehenderit, veluti, ut alios taceam, Photius in v. τρίτος ἀριστεροῦ. Quid quod scriptor vitae Sophoclis et Suidas chorum, antea e XII personis constantem, ab Sophocle ad XV auctum scribunt? Sumamus igitur alterum, legem istam ad solas Eumenides spectasse. Sic vero unum de his duobus continuerit necesse est, aut ne posthac σποράδην introducerentur Furiae, aut ne tanto numero. Vetitum fuisse eas σποράδην introduci non tradidit Pollux, nec sane, quare id prohiberetur, ulla

caussa erat. Nam qui in prima fabulae commissione excitatus erat terror, is, si fabula iterum in scenam produceretur, multo minor futurus erat, scientibus, quid visuri essent, spectatoribus. Solum igitur reliquum est hoc, ut numerum XV Furiarum ista lege improbatum esse censeamus. Id vero fieri potuit ob hanc rationem, quod impium videretur, Furias in scenam produci plures, quam tres, quem numerum communis religio coleret. Et admissum esse ab Aeschylo in Eumenidibus, quod pro aperto crimine habitum sit, aliunde constat. Tam plana est autem et simplex haec explicatio, ut nihil iam difficultatis relinqui videatur. Nam etsi Pollux, ut apparebit totam eius de choro tragico relationem considerantibus, sciens L personas nominavit, tamen non videtur dubitandum esse, quin ille narrationem istam aut iam ab aliis corruptam acceperit, aut ipse corruperit, fortasse codice etiam depravato usus. Neque enim, qui primus huius rei auctor fuit, aliud videtur retulisse, quam quum chorus usque ad Eumenidum commissionem XV personas habuisset, improbatis tot Furiis cautum esse, ne posthac iusto maior Furiarum numerus in scenam adduceretur. Vera ille, an falsa narraverit, testium inopia nescimus.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI DISSERTATIO SECVNDA.

Scripta erat superior dissertatio, quum mihi Boeckhius 3 librum misit de tragicis Graecis a se conscriptum. In quo libro quum aliam iniisse viam doctissimum virum vidissem, aequum erat, aut mutare me sententiam, si mihi persuaderet, aut, si non persuaderet, ei rei argumenta dicere. Et quamquam non diffiteor, tam docte acuteque hunc locum ab eo tractatum esse, ut non sit mirandum, si inveniat, qui ei assentiantur: esse tamen arbitror, quae accuratius perpensa coniecturam, quam de Eumenidum commissione proposuit, non posse admitti ostendant. Est autem, ut paucis rem complectar, haec eius sententia: Eumenides bis esse ab Aeschylo editas, quarum editionum posteriorem hanc esse, quam nunc habemus; in priore enim chorum fuisse L Furiarum; in secunda esse Furiarum XV; in priore Furias cum ardentibus taedis prodiisse, quod non esse in secunda; priorem non stetisse; altera poetam victorem fuisse; ob adversam prioris fortunam in Siciliam abiisse Aeschylum; alteram editam esse, quum esset in Sicilia; temporum comparationem suadere, ut credamus ab Sophocle iuvene victum in prima Eumenidum commissione; quod alienum esse ab iteratione fabulae, in qua tertius actor, ab Sophocle demum inventus, compareat.

Haec iam singula considerabimus. Atque illud quidem nullo pacto videtur concedendum esse, chorum umquam e L personis constitisse. Nam non modo parum 4 idoneus auctor est Pollux, qui solus hoc tradidit, sed ne per se quidem ea res credibilis est, praesertim in tanto caeterorum scriptorum silentio. Illud enim valde miror, quod Boeckhius quoque p. 43. Aristotelis verba, *τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε*, de personis chori intelligere non dubitavit. Praeterea L personarum chorus proprius erat dithyramborum: v. Simonidis epigramma apud Bentleium in resp. ad Boyl. p. 20. et in Brunckii Analectis vol. I. p. 137. LVIII. scholiasten Aeschinis T. III. ed. Reisk. p. 721. Tzetzen in prolegomenis ad Lycophronem. Hi chori erant *κύκλιοι*, de quibus multa congessit Perizonius ad Aelian. V. H. X. 6. Tragici autem chori erant *τεράγωνοι*, ut ex Etym. M. p. 764, 4. intelligitur: quod quid significet, ostendet Pollux IV. 108. 109. Quadratos choros Laconistarum commemorat Athenaeus V. p. 181. C. sed obscurum est, qui dicantur Laconistae. Falsa certe sunt, quae de iis attulit Meursius in Misc. Lacon. III. 2. p. 204. Sed redeo ad rem. Quid? Athenienses, qui tantopere dramatica poesi delectabantur, aequo tulisse animo credemus, si tam splendidus chorus pene ad quartam sui partem redactus esset? Et quid hoc est, quod, quum nemo praeter Pollucem tantae cantorum multitudinis meminerit, plerique omnes ut minime dubium referunt, habuisse tragicum chorum personas XV? Nam quod scholiastes Dionysii Thracis in Villoisonii Anecdotis T. II. p. 178. atque ex eodem fonte scriptor vitae Aeschyli in ed. Robort. p. 12. personas chori numerant XIV, id quidem, repugnantibus caeteris scriptoribus, non puto aliud quam errorem esse librariorum: qualia si attendenda essent, e Tzetzae prolegomenis ad Lycophronem, qui locus memorabilis est, quod ex eo chorum in satyricis fabulis totidem, quot in tragoediis, personas habuisse discimus, XI, sive ex codicum scriptura XVI chori personae constitui deberent. Boeckhius quidem in Supplicibus Euripidis XIV inveniri animadvertit p. 75. seqq. septem

enim matronas totidem famulas habuisse. At hoc singulare est, uniusque proprium tragoediae, non ut commemorari tamquam usitatum potuerit. Non certiora sunt, 5 quae eum moverunt, ut alibi apud Euripidem choros XII personarum inveniri crederet. Nam ut concedat aliquis, posse quosdam locos a duodecim personis ordine recitatos videri, at inde non efficitur, non plures fuisse personas, quam XII, quum quaedam etiam tacere potuerint. Quid vero, si hoc totum non est probabile, chorum ab Sophocle a XV personis ad XII redactum esse, uti Boeckhius cum Bothio, quem ne hic quidem audire debebat, suspicatur? Nam, ut paullo ante dicebamus, multo facilius Athenienses, illo quidem aevo, augeri splendorem chori, quam minui passi essent. Hoc enim recte poterat facere, qui populo placere vellet; illud, qui nollet amittere victoriam, non debebat audere. Quare quod scriptor vitae Sophoclis et Suidas tradunt, XV choricas personas instituisse Sophoclem, quum antea XII introducerentur, tantum abest, ut permutatis librariorum errore numeris dici putandum sit, ut potius, si contrarium dicerent hi scriptores, permutatione numerorum emendandi essent. Quamquam non puto eos omni ex parte verum tradere. Nam, si recte sentio, aliquanto ante Sophoclem chorus a XII personis ad XV auctus est: quam mutationem quidam Sophocli tribuerunt, quod hunc plurima novasse in re tragica accepissent. Similiter tertium actorem fuerunt qui ab Aeschylo institutum dicerent, ut ostendunt Themistius orat. XXVI. p. 316. et scriptor vitae Aeschyli in ed. Robort. p. 11. et in cod. Guelf. quum alii, commemorati a Boeckhio p. 45. ab Sophocle id factum referant, quibus addendus est ex eadem Aeschyli vita Dicaearchus Messenius. Sed sive Sophocles, sive alius ante eum a XII personis ad XV auxit chorum, haec quoque res refellit istam Pollucis de L Furiis fabulam. Quis enim sibi persuadeat, chorum modo a XII personis ad XV, adeoque ad L augeri, modo rursum ad XV minui potuisse? Immo talia a minoribus initiis mox ad firmum ac stabilem statum venisse, neque amplius mutationi, praesertim detrahenti ali-

quid de usitato splendore, locum concessum esse, certissimum est.

6 Venio ad faces, quibus Boeckhius p. 44. Furias in priore Eumenidum commissione instructas fuisse putat. Id duplici fretus argumento dicit: uno, quod, quum tantum terrorem excitasse Furiarum chorus dicatur, eum tam insigni ad terrendum adminiculo non caruisse verisimile sit. At hoc quidem nemo diffitebitur, nisi aliae rationes accedant, speciosius, quam verius dictum esse. Idque sentiens ipse, opinor, Boeckhius, ad scholiasten Aristophanis provocat, qui ad Pluti v. 423. sic scribit: *ἐπισκώπτει τὴν διὰ τῶν Ἐριννύων Αἰσχύλου ὑπόθεσιν. παρεισάγονται δὲ μετὰ λαμπάδων δεινοπαθοῦσαι, ὡς Εὐριπίδης· γοργῶπες νερτέρων ἱέρειαι δειναὶ θεαί.* Eodem scholio Boettigerus de personis Furiarum p. 51. ita usus est, ut non de Aeschyli Furiis sermonem esse existimaret. Recte sane, si emendetur scholion. Accuratius enim consideranti facile appareat necesse est, scholion hoc, ut plurima ad Aristophanem scholia, vehementer corruptum esse confusione diversorum scholiorum. Verba Aristophanis facile monstrabunt emendationem, neglectam etiam a magno Hemsterhusio. Sic igitur comicus:

> *ΧΡ. σὺ δ' εἶ τίς; ὠχρὰ μὲν γάρ εἶναί μοι δοκεῖς,*
> *ΒΛ. ἴσως Ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·*
> *βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.*
> *ΧΡ. ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας.*

Ad hos versus, in quibus obiter moneo etiam aliter distingui personas posse, scholia antiquitus haec fere adscripta fuerint necesse est: *Ὠχρά· δεινοπαθοῦσα. ἐπισκώπτει δὲ τὴν τῶν Ἐριννύων Αἰσχύλου ὑπόθεσιν. — Μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν· ὡς Εὐριπίδης·* (Orest. 261.) *γοργῶπες ἐνέρων ἱέριαι δειναὶ θεαί. — Δᾷδας· παρεισάγονται γὰρ μετὰ λαμπάδων.* Nemo iam puto non sentiet, sic demum recte scholiasten aperire facetissimum poetae dictum, si *ὠχρὰ* ad querelas Furiarum apud Aeschylum referat, non si faces commemoret, quas etiamsi habuissent Furiae apud Aeschylum, hic debebat omittere. Mul-

tum etiam confirmat emendationem nostram vocabulum ὑπόθεσις, quo uti potuit scholiastes, si δεινοπαθούσας, non, si μετὰ λαμπάδων introductas dicere volebat. Fa- 7 ces igitur, quae in isto scholio et mox in duobus aliis ad eumdem locum, atque inde apud Suidam in v. τραγῳδία, tamquam Furiis apud tragicos tributae commemorantur, non ad Aeschyli Eumenides, sed ad aliorum fabulas tragicorum spectant. Veri simile est autem, quum Aeschylus Olymp. LXXX. 2. Furias deduci cum facibus ad sedes suas fecisset, visas esse faces multum conferre ad splendorem et terrorem chori, ideoque postea eas Furiis addi solitas esse *). Hinc non mirum, quod in opere caelato Musei Vaticani, quo Choephororum Eumenidumque argumentum expressum est, de quo opere docte disseruit Heerenius in bibliotheca veteris litteraturae et artis parte tertia, Furiae cum facibus conspiciuntur, etsi apud Aeschylum iis carebant.

Hactenus nondum videmus allatum esse, quod Eumenides bis actas esse arguat. Quid ergo de eo dicemus, quod eas Boeckhius, quum primum agerentur, non stetisse censet? Valde profecto lubrica sunt argumenta, quae a terrore petuntur, quem Pollux et scriptor vitae Aeschyli excitatum esse choro Furiarum dicunt. Nam si manifestam exaggerationem detraxeris, nihil relinquitur, nisi valde perterritos esse spectatores: quod cur tandem eo valuisse putabimus, ut fabula improbaretur, quum haec ipsa res laudem potius atque admirationem parere Aeschylo debuerit? Reliqua, quae firmandae opinioni suae affert Boeckhius, collapsa tabulata, et impietatis accusationem, ea minoris etiam sunt ponderis. De accusatione illa infra dicetur. De collapsis autem tabulatis, de quibus scribit p. 38. quam incerta res sit, neminem fore putamus, qui non intelligat. Omnis enim ratiocinatio Boeckhii haec est: si in Siciliam abiit Aeschylus ob ad-

*) Reprehendit hoc Schwenkius in praefatione ad Aeschyli Eumenides p. 8.

versam Eumenidum fortunam, ut scriptor vitae eius testatur, credibile est, in Eumenidum commissione tabulata cecidisse, quod ob eam rem iter istud susceptum esse Suidas dicit. Atqui, ut ne repetam, quod supra dixi, de duplici Eumenidum commissione rem nondum demonstratam esse, Suidae testimonium nihil probabit, si aut vitae scriptor aliud dicit, quam dicere visus est Boeckhio, aut Aeschylum pluries in Siciliam profectum esse statuemus. Ac de vitae scriptore res plana est. Hic enim pro Boeckhio nihil probat, pro nostra sententia argumentum praebet gravissimum, quandoquidem, ut in prima dissertatione ostendimus, Furiae *σποράδην* introductae, quas commemorat, ad istam fabulam, quam hodie quoque habemus, pertinent. Quae fabula quum in his sit tragoediis, quibus Aeschylus Olymp. LXXX. 2. victor fuit, neque collapsa tabulata ad Eumenidum commissionem trahi poterunt, neque poeta in Siciliam abiisse, quod Eumenides non stetissent, iudicabitur. Itaque superest, ut de eo quaeramus, an Aeschylus saepius in Sicilia fuerit. Quae res quo facilius perspici possit, tempora Aeschyli cum ipsis scriptorum dissensionibus describam.

Olymp. LXIII. 4. Natus Aeschylus secundum marmor Parium ad Olymp. LXXII. 3. et LXXXI. 1. ac Suidam in v. *Αἰσχύλος*.

Olymp. LXIV. 4. Hic Aeschylus secundum alios natus est, ut infra ostendetur.

Olymp. LXX. 1. Aeschylus anno aetatis XXV fabulam docet, Suida teste in v. *Αἰσχύλος*, et quidem certans cum Pratina, ut ex eodem Suida in v. *Πρατίνας* intelligitur. Collapsa sunt tabulata, ob quem casum conditum esse theatrum dicit Suidas, quod quidem opus perfectum est demum ab Lycurgo oratore, ut Hyperides apud Apsinem, seu quisquis istum de arte rhetorica librum

scripsit, p. 708. et Plutarchus in vitis X. oratorum p. 841. C. D. testantur. Aeschylus, Suida teste, in Siciliam abit.

4. Nascitur Sophocles secundum marm. Ox. ad Olymp. LXXVII. 4.

Olymp. LXXI. 2. Hic natum esse Sophoclem scriptor9 vitae eius tradit.

Olymp. LXXII. 3. Pugnat Aeschylus Marathone, annos natus XXXV. ut refert marmor Parium.

Olymp. LXXIII. 1. Victor Olympiae Gelo Gelous: v. Pausan. VI. 9, 2. Victus carmine elegiaco a Simonide Aeschylus, ut quidam narrant, in Siciliam se confert *). Elegos eum scripsisse etiam Suidas testatur, sed in cod. Leid. voces *δὲ ἐλεγεῖα καὶ* desunt.

4. Euripidem natum tradunt marm. Ox. Sophoclem nasci Suidas refert, ante Socratem annis XVII. Gelo Syracusas obtinet, ut ex Diodoro Siculo XI. 38. intelligitur, et Hieronem praeficit Gelae: v. Herodot. VII. 156. Aeschylus primum victor, secundum marm. Ox.

Olymp. LXXV. 1. Pugnat Aeschylus ad Salaminem. Nascitur Euripides.

---

*) C. E. Ch. Schneiderus in praefatione ad Indicem lectionum hiemalium in Vniv. Litt. Vratislaviensi a. 1823. hoc sine auctoritate dictum ait. Cur ita statuerit, perpensis quidem, quae infra dicta sunt, nescio.

2. Pugnat Aeschylus ad Plataeas. Arsit Aetna, secundum marm. Ox. ep. 53. v. 68. quod Thucydides annis quinquaginta ante Olymp. LXXXVIII. 3. accidisse refert. Recente adhuc incendii illius memoria scriptum esse Prometheum vinctum, arguere videtur vaticinium ea de re Promethei *).

3. Mortuo Geloni succedit Hiero.

4. Docentur Phrynichi Phoenissae, auctore Bentleio in resp. ad Boyl. p. 141. sq. 145. (s. in Opusc. p. 247. 296.) ante Persas Aeschyli: v. argum. Persarum. Quae contra Bentleium disputat Siebelis de Aesch. Pers. 15. nulla ex parte rationem illam labefactare possunt.

10 Olymp. LXXVI. 1. Hiero, expulsis Catanaeis, alios illuc colonos deducere instituit, urbique no-

*) Idem Schneiderus in eadem praefatione tum ex indole illius fabulae demonstrari posse putat, aliquanto post actam esse, cuius sententiae argumenta alio tempore prolaturum spero, tum ex eo id liquido consequi censet, quod, quum tertius actor ab Sophocle sit inventus, qui primum docuerit fabulam Ol. LXXVII. 3. non potuerit ante eum annum fabula produci, quae tres simul in scenam actores afferret. Atqui in Prometheo prodire statim in principio Prometheum, Vulcanum, et Robur. Nam etiam Prometheum, quamvis tacentem ea in scena, tamen agere. Rectene an secus id dixerit vir doctissimus, tum poterit iudicari, quum constabit, utrum histrio immotam illam per aliquot horas stationem sustinere potuerit, an simulacrum fuerit, quod manibus pedibusque religatum et cuneo per medium pectus adacto rupi affigebatur. Haec coniectura, quae etiam a Welckero in libro de trilogia Aeschyli p. 30. prolata est, habet quidem, quare in dubitationem vocetur, ut in censura illius libri in Diariis litt. Lips. a. 1825. 1. p. 7. indicavi, sed habet etiam, quo valde probabilis esse videatur.

men facit Aetnae. v. Diodor. Sic. XI. 49. Strabo VI. p. 411. sq.

4. Docentur Persae: v. argumentum scholiastae.

Olymp. LXXVII. 4. Nascitur Socrates. Aeschlus ab Sophocle annos nato XXVIII. vincitur, secundum marm. Ox. et Plutarchum in Cimone. Inde in Siciliam abit. Inter hunc annum et eum, quo Persae editi sunt, Aeschylum Septem ad Thebas docuisse necesse est, quae fabula et post Persas acta est, v. schol. Aristoph. ad Ran. 1053. 1058. et vivo Aristide, ut Plutarcho teste constat.

Olymp. LXXVIII. 2. Moriuntur Hiero et Aristides, de quo v. Cornel. Nep. c. 3.

Olymp. LXXX. 2. Docetur Orestea: v. argum. Agamemnonis. Aeschylus secundum vitae scriptorem in Siciliam abit.

Olymp. LXXXI. 1. Moritur Aeschylus, secundum marm. Ox. Gelae in Sicilia, ut Plutarchus in Cimone, vitae scriptor, et Valerius Maximus tradunt. Tempus mortis, Callia archonte memorato, indicat etiam Schol. Aristoph. Ach. 10.

Habemus hic miras scriptorum quum aliis in rebus, tum de tempore Siculi istius itineris dissensiones, aliis Olymp. LXXI. 1. aliis LXXIII. 1. aliis post Olymp. LXXVII. 4. aliis denique Olymp. LXXX. 2. Aeschylum in Siciliam abiisse dicentibus. Quas dissensiones antequam componere aggrediar, illud viae muniendae caussa ostendam, quod quum ab aliis, tum a Boeckhio quoque neglectum video, quas habemus a grammaticis scriptas poetarum vitas, eas a diversis hominibus diversis temporibus e variis scriptoribus concinnatas esse. Quare in huius-

11 modi scriptis non tam ordo et nexus et consensus, quam singula per se fragmenta, quorum farragines sunt istae vitae, considerari debent. Aeschyli quidem vitam sic esse e plurium scriptorum fragmentis compositam, neminem latebit, qui praestantissimam editionem Robortelli cum vulgaribus libris contulerit. Clarius hoc aliquando apparebit, editis lectionibus, quas e codd. MSS. adnotavi. Exemplo nunc sit hic ipse locus, qui est de Siculo itinere: quem ita afferam, ut missis levioribus scripturae diversitatibus, ea, quae in libris quibusdam omissa sunt, uncis includam. *Ἀπῆρε δὲ πρὸς Ἱέρωνα τῆς Σικελίας τύραννον, κατά τινας μὲν, ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς [καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι Σοφοκλεῖ· κατὰ δὲ ἐνίους, ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς] Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον· [τινὲς δέ φασιν, ἐν τῇ ἀποδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰςαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὡς τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι·] ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, ἐπεδείξατο τὰς Αἰτναίας, [πάνυ λαμπρῶς] οἰωνιζόμενος ἐντεῦθεν βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικίζουσι τὴν πόλιν, καὶ σφόδρα τῷ τε Ἱέρωνι καὶ τοῖς Γελώοις τιμηθείς, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος, [ὢν ἐτῶν πέντε πρὸς τοῖς ἑξήκοντα] τελευτᾷ τοῦτον τὸν τρόπον.* Iam etsi prima in his omissio negligentiae librariorum imputanda videtur, tamen quod ad reliquas attinet, quum in duobus codicibus non inveniantur, quae scripta sunt in tertio, reperiantur autem, quae in illo non sunt scripta; quumque editiones Aldina et Robortelli, quae ambae ex codicibus expressae sunt, nihil horum omittant: quid aliud quam e variis narrationibus, a diversis hominibus hinc illinc congestis, hanc vitam conflatam esse censebimus? Vsus sum exemplo ob ipsas codicum dissensiones perspicuo. Sed multa inveniuntur in huiusmodi vitis alia, quae propter alias rationes eamdem rem etiam apertius confirment. Quod si caute huiusmodi indiciis utare, reputesque, quae in unum coniuncta

repugnent et falsa sint, disiuncta posse verissima esse, non raro egregia reperies veri vestigia. Vellem id fecis- 12 set Boeckhius, qui, ut mihi videtur, non modo fidem scriptorum locorumve, quibus usus est, non ubique satis ponderavit, sed quaedam etiam aliquanto cupidius, quam par erat, ad suam accommodavit sententiam: quae si remota cupiditate considerasset, minus et dissensionis inter scriptorum testimonia, et difficultatis in temporum computatione futurum erat.

Haec nunc ordine pertractabimus. Ac Boeckhio videtur Aeschylus non ante in Siciliam se contulisse, quam quum Olymp. LXXVII. 4. ab Sophocle victus esset; inde reliquum vitae tempus apud Siculos exegisse, ideoque Oresteam absens docuisse, fortasse per filium Euphorionem. Haec omnia, ut fatear quod sentio, vereor ne non modo probari nequeant, sed ne credibilia quidem, si accurate considerentur, iudicari possint. Ordiar a profectione ista Sicula. Atque illud quidem nemo, opinor, dubitabit, quin recte Boeckhius censeat, Aeschylum post Olymp. LXXVII. 4. quum ab iuvene Sophocle victus esset, in Siciliam abiisse. Nam non modo plures in ea re testes conveniunt, sed afferunt etiam ea, quae aperte in hoc, neque aliud tempus quadrent. Plutarchus in Cimone p. 117. (884. ed. H. Steph.) *πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος, Ἀφεψίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος· ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ᾽ ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι, δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον. ὁ μὲν οὖν ἀγὼν καὶ διὰ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ᾽ οἴχεσθαι δι᾽ ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται.* Quum non statim

Athenis abiit, eo videtur indignationem dissimulare voluisse. Ac fortasse ad eamdem repulsam pertinet, quod Athenaeus refert lib. VIII. p. 348. E. *φιλόσοφος δὲ*
13 *ἦν τῶν πάνυ ὁ Αἰσχύλος, ὃς καὶ ἡττηθεὶς ἀδίκως ποτέ, ὥς Θεόφραστος ἢ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς εἴρηκεν, ἔφη χρόνῳ τὰς τραγῳδίας ἀνατιθέναι, εἰδὼς ὅτι κομιεῖται τὴν προσήκουσαν τιμήν.* Ex Athenaeo haec tetigit etiam Eustathius p. 1298, 57. Eadem, quae a Plutarcho, ab aliis quoque tradita esse, e vita Aeschyli cognoscimus, in qua diserte ad Hieronem, condenda urbe Aetna occupatum, profectus dicitur, eaque opportunitate novae urbis civibus fabula indidem nomen habente gratulatus esse. Censentit etiam Pausanias I. 2, 3. ita scribens: *συνῆσαν δὲ ἄρα καὶ τότε τοῖς βασιλεῦσι ποιηταί· καὶ πρότερον ἔτι καὶ Πολυκράτει Σάμου τυραννοῦντι Ἀνακρέων παρῆν, καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν.* Vnde apparet, factum hoc esse inter Olymp. LXXV. 3. et LXXVIII. 2. per quod tempus rex Syracusarum fuit Hiero. Neque obstant, quae de Aetna urbe Olymp. LXXVI. 1. condita traduntur: nam ut non satis accurate dictum sit a vitae scriptore, occupatum eo tempore in constituenda ea civitate fuisse Hieronem, tamen etiam nuper constitutae gratulatum esse Aeschylum, nihil est quod credere prohibeat. Nec denique repugnat, quod Persas iterum docuit in Sicilia: scholiastes Aristophanis ad Ran. 1060. *δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν.* Additamentum ad vitam Aeschyli in cod. Guelf. *φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ, καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι·* quae iam in ed. Rob. p. 13. sed valde corrupta prostabant. Atqui Persas docuerat primum Athenis Olymp. LXXVI. 4. Haec igitur omnia dubitare nos non sinunt, quin Aeschylus Olymp. LXXVII. 4. quum ab Sophocle victus esset, in Siciliam abierit ad Hieronem, regem Syracusarum, ibique aliquamdiu vixerit. Sed quid fiet caeteris narrationibus,

quae ab his, quarum modo mentionem fecimus, mire differunt? Vtrumne has, quod Boeckhius fecit, falsas esse pronunciabimus, an, si fieri possit, studebimus cum his, quae modo ut vera probavimus, conciliare? Sunt autem plura etiam, quae dubitationem obiiciant, quam visum est Boeckhio. Primo ea consideremus, quae de Siculo itinere 14 diversa narrantur. Suidas in v. *Αἰσχύλος: φυγὼν δὲ εἰς Σικελίαν διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἰκρία, ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ, χελώνης ἐπιῤῥιφείσης αὐτῷ ὑπὸ ἀετοῦ φέροντος κατὰ τῆς κεφαλῆς ἀπώλετο ἐτῶν νή γενόμενος.* Boeckhius p. 38. ita de hac re scribit, ut subindicare videatur, potuisse hoc in priore ista Eumenidum commissione, de qua sibi persuasit, accidere. Quod quum secundum ea, quae supra disputavimus, non potuerit fieri, videndum est, quo tempore lapsa esse tabulata existimari debeant. Qui mentionem istorum fecerunt tabulatorum, Libanius in argum. I. Olynth. Demosthenis, scholiastes Aristophanis ad Thesm. 402. Hesychius, Photius, Suidas in v. *ἰκρία*, Suidas etiam in v. *Αἴγειρος*, Zonaras p. 65. et 1101. Eustathius p. 1472, 5. nihil aliud, quam ante conditum theatrum spectasse ex iis populum tradunt. Sed Suidas tamen in v. *Πρατίνας* clarius de ea re scribit: *ἀντηγωνίζετο δὲ Αἰσχύλῳ τε καὶ Χοιρίλῳ ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ πρῶτος ἔγραψε σατύρους. ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἰκρία, ἐφ᾽ ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταί, πεσεῖν, καὶ ἐκ τούτου θέατρον ᾠκοδομήθη Ἀθηναίοις.* Hoc eiusmodi est, ut vix dubitari possit, quin de eodem casu loquatur Suidas, de quo in Aeschyli commemoratione dixerat. Vbi quum lapsa narret tabulata Aeschylo tragoediam exhibente, quod nunc in Pratinae fabula factum dicit, quid verisimilius est, quam accidisse eam rem Olymp. LXX. 1. quo anno, eodem Suida teste, Pratinas et Aeschylus inter se decertarunt? Quod si quis forte in eo haereat, quod, si alteri horum poetarum tam adversus casus accidit, ea res non videatur de utroque narrari potuisse: planum est, conciliari secum posse Suidam et facillime et valde probabiliter. Quid enim, si prior Aeschylus, quam Pratinas, fabulas suas exhibuit?

si in Aeschyleae fabulae commissione concidit pars tabulatorum? nemo enim, opinor, tota corruisse tabulata sibi persuadebit. Quid porro, si labefactis semel tabulatis, quum deinde Pratinae fabula ageretur, alia collapsa est tabulatorum pars? *) Ita nec Suidas sibi repugnabit, et 15 caussa apparebit idonea, quare Aeschylus invidiam quorumdam incurrerit, quod tanto studio ad eum confluxisse populus visus esset, ut non modo tabulata ruerent, sed ea re etiam Pratinae fabula impediretur. Quam invidiam eo maiorem fuisse credibile est, si eo tempore primum edidit Aeschylus fabulam. Quod quidem verisimillimum est, non solum, quia tum annos non amplius XXV. natus erat, sed etiam quod scriptores, quum quando quis fabulam docuerit indicant, illud tempus respicere solent, quo primum poetae fabulas in theatrum produxerunt. Neque aliter iudicasse video Bentleium, qui in resp. ad Boyl. p. 197. primum dicit Aeschylum fabulam docuisse Olymp. LXX. Quid quod vix dubitari sinit Suidas, cuius haec in cod. Leidensi verba sunt: *ἦν δὲ κέ ἐτῶν, ὅτε ἠγωνίζετο· καὶ ἐνίκησε νίκας κή*. Editi libri habent: *ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ ό* (sic legendum pro *ϑ'*) *Ὀλυμπιάδι, ἐτῶν ὢν κέ*. Iam quid veri similius est, quam Aeschylum, quo evitaret haec odia, simulque sui desiderium excitaret, in Siciliam abiisse? Sed video, quid aliquis obiecturus sit: quum certum sit, Aeschylum post Olympiad. LXXVII. 4. in Siciliam se contulisse, necessarium esse, ut, si vera sint, quae modo coniecimus, non semel istuc profectus sit; atqui hoc nec traditum esse a quoquam, et Suidam, scriptorem vitae Aeschyli, ipsumque Plutarchum ita de Siculo isto itinere loqui, ac si, postquam in Siciliam venerat Aeschylus, ibi manserit usque ad mortem; accedere denique his Athenaeum, qui quum p. 402. C. sic scribat, *ὅτι δὲ Αἰσχύλος, διατρίψας ἐν Σικελίᾳ, πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς, οὐδὲν ϑαυμαστόν,*

---

*) Severiter et haec notanda iudicavit Schwenkius in praefatione ad Aeschyli Eumenides p. 9. seq. et quaedam alia.

aliter scripturum fuisse, si saepius in Sicilia fuisset poeta. Non ego sane haec argumenta prorsus contempserim: sed fateor tamen, minoris ea ponderis esse, quam prima specie videntur. Nam Athenaei quidem verba certe hoc non excludunt, non semel in Sicilia fuisse Aeschylum: quod autem ad caeteros, quos commemoravi, scriptores attinet, nemo non videt, quam facile, quum in Sicilia mortuum esse poetam scirent, caussam autem itineris non unam, quippe aliis de alio itinere disserentibus, afferri vidissent, haec ita potuerint confundere, ut semel profectum in Si- 16 ciliam ibique mortuum putarent. Attuli haec eo tantum fine, ut ostenderem, nihil esse, quare prorsus reiiceretur Suidae de isto itinere testimonium. Sunt vero etiam alia, quae, etiamsi Suidam errare credas, sententiam meam valde commendare videantur. Quorum alia infra, unum nunc afferam. Syracusas ad Hieronem regem venisse Aeschylum, testimoniis scriptorum non ambiguis comprobatum vidimus. Ita vero mirari licet, quid sit, quod a vitae scriptore non apud Syracusanos, sed apud Geloos in honore fuisse, nec Syracusis, ubi eum hospitia contraxisse credas, sed circa Gelam, quum ex oppido exiisset, ut Valerius Maximus, non ille tamen Gelam nominans, IX. 12. refert, mortuus sepultusque dicatur. Multas sane comminisci possumus caussas, quibus haec ita acciderint. Sed quum alii, ut vitae scriptor testatur, eum in Siciliam abiisse dicant, quod victus esset ab Simonide, quae res evenit Olymp. LXXIII. 1. quidni credamus Gelam tum eum sive primum, sive iterum ivisse, probatumque habitanti ibi Hieroni, quem biennio post Gelo ei urbi praefecit, quum illo tempore, quo Hiero rex factus erat Syracusarum, rursus inviseret Siciliam, Syracusas profectum, mortuo Hierone antiquos hospites, Geloos, praetulisse? Haec si facta statuimus, non erit opus, ut quemquam illorum scriptorum, qui alius aliam ob caussam Aeschylum in Siciliam ivisse tradunt, erroris arguamus. Sed etiamsi haec, quae tria nobis videntur itinera fuisse, unum tantummodo sint, at rediisse tamen Aeschylum Athenas, et postea, sive iterum, sive quartum, in Siciliam profe-

ctum esse, non improbabilibus me argumentis ostensurum spero. Nam ut ab hoc ordiar, quis facile sibi persuadeat, Aeschylum, virum apud populares suos virtute et fortitudine clarum, ob tragoediae perfectionem celebratum, propter carminum suorum praestantiam honoratum, non paucis insignem victoriis, denique non omittentem haec studia, sed quam maxime in iis perseverantem, quis, inquam, sibi persuadeat, hunc patria, pro qua ter strenue dimicaverat; scena, quam ipse perfecerat; favore et plau-
17 su civium, quibus non poterat non desideratissimus redire, tredecim annos, tot enim sunt ab Olymp. LXXVIII. 1. ad finem vitae eius, carere sustinuisse? Deinde quis credat, eum absentem in Sicilia, Athenis fabulas per alios docuisse? quod profecto, si quidquam, ab omni verisimilitudine abhorret. Quid enim? poetas, quibus, quod de victoria decertarent, non perinde erat, rectene an secus fabulae suae ab histrionibus agerentur, hos credamus aliis fabulas suas docendas commisisse, de quorum fide ut nihil dubitaverint, at dubitare tamen de eo debebant, an illi, quomodo ipsi poetae quidque agi voluissent, non ubique satis assequuturi essent? Aristophanem quidem scimus iuvenem, quum nondum ei liceret fabulam producere, alieno nomine usum esse: sed vix credi poterit, etiam partes docentis eum alii tradidisse. Praeterea alia res est in tragoedia, in qua multo difficilius, quam in comoedia, quomodo singula tractari ab histrione debeant, intelligitur, multoque magis, si quid peccatum est, fabula periclitatur. Aeschylus vero ante alios poetas sedulo curabat, ut ad suam ipsius mentem omnia exhiberentur: quod clare ostendit Athenaeus I. p. 21. E. his verbis: *Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτόν φησι σχηματίσαι τοὺς χορούς, ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων· καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περιιστᾶν.* Quae paullo post etiam Aristophanis testimonio confirmat. Nunc Aeschylus post Olymp. LXXVII. 4. nisi alias tragoedias, certe Oresteam docuit, quae fabulae tanta arte sunt factae, ut, si quae aliae, praesen-

tia poetae opus habuisse videantur. Sed fac per alium exhibitam esse Oresteam: quaerimus per quemnam. Per aliquem, inquit Boeckhius, ex Aeschyli familia, fortasse per Euphorionem. In hac vero re omnium maxime ab eo dissentio. Nam neque familiam aut sectam Aeschyli umquam fuisse credo, neque rationem video ullam, ob quam Euphorioni aut cuicumque alii commissio Oresteae tribui possit: immo eam ab ipso Aeschylo, tum praesente Athenis, introductam esse probabile reddam. De familia ista Aeschyli miror sibi persuasisse Boeckhium tam infir- 18 mis argumentis. Quinctiliano quidem, X. 1, 66. correctas Aeschyli fabulas in certamen deferre posterioribus poetis permissum ab Atheniensibus dicenti, non modo nullus adstipulatur alius scriptor, sed quidam aperte repugnant, de qua re dixit iam ad Quinctilianum Gesnerus. Quin Lycurgi oratoris rogatione decretum fuit, fabulas Aeschyli, Sophoclis, et Euripidis, publica auctoritate descriptas, inspici, dum agerentur, a scriba civitatis, ne quid histriones suo arbitrio mutarent, ut Plutarchus refert in vitis X. oratorum p. 841. F. his verbis: *τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτοὺς ὑποκρίνεσθαι* *). Recte hic *αὐτοὺς* pro *αὐτὰς* Reiskius, sed male interpretans. Sunt enim histriones intelligendi. Reliqua, quae Boeckhius affert, ad *τοὺς περὶ Αἰσχύλον*, qui a duobus scriptoribus dicuntur, et ad ea, quae Suidas de Euphorione refert, redeunt. Videamus locos ipsos horum scriptorum. Scholiastes Aristophanis ad Ran. 72. de So-

---

*) Ex eadem lege se contrarium demonstrasse ait Boeckhius in dissertatione, quam Germanice scripsit de differentia Atticorum Lenaeorum, Anthesteriorum, et Dionysiorum ruralium p. 53. provocans ad librum de principibus tragicis p. 12. seqq. coll. 328. seqq. et Petersen. de vita et fabulis Aeschyli p. 79. seq. lectorique neutrius partis studioso et de hac re et de Aeschyli familia, quam se sibi satis firmasse videri, iudicium relinquens. Is igitur iudicet.

phocle ita scribit: *οὐ μόνον δὲ Χοιρίλῳ καὶ τοῖς περὶ Αἰσχύλον καὶ Εὐριπίδην, ἀλλὰ καὶ Ἰοφῶντι συνηγωνίσατο τῷ υἱῷ.* Vbi qui, quod Boeckhius facit, verba *τοὺς περὶ Αἰσχύλον* non de ipso Aeschylo, sed de quadam eius secta intelligi debere contendit, quid, obsecro, aliud, quam caussa iam desperata ad extrema se redactum confitetur? Et, quod magis etiam mirum est, ibidem, ubi haec affert Boeckhius, p. **31.** eo se abripi defendendae suae sententiae cupiditate passus est, ut vitae Sophoclis scriptorem, eadem his verbis tradentem, *συνηγωνίσατο δὲ Αἰσχύλῳ, καὶ Εὐριπίδῃ, καὶ Χοιρίλῳ, καὶ Ἀριστίᾳ, καὶ ἄλλοις, καὶ Ἰοφῶντι τῷ υἱῷ,* male solum Aeschylum nominare diceret. Sed videamus, qui solus reliquus est, commemoratum p. **33.** Diogenem Laertium. Is II. **43.** quum dixisset Athenienses, interfecto Socrate, mox Melitum capitali supplicio afficiendum, Socratem autem statua honorandum decrevisse, ita pergit: *οὐ μόνον δὲ ἐπὶ Σωκράτους Ἀθηναῖοι πεπόνθασι τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλείστων ὅσων· καὶ γὰρ Ὅμηρον, καθά φησιν Ἡρακλείδης, παρακόπτειν ἔλεγον, καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.*

19 Quid vero? taline loco, quem corruptum esse interpretes fassi sunt omnes, sententiam suam firmari putabat Boeckhius? Vt scripserit Diogenes *πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον*, quemadmodum Menagius cum regio codice edidit, quum vulgo legeretur *πρῶτον τὸν περὶ Αἰσχύλον,* quid sibi volunt haec verba? Vtrumne praecipuum dicit inter sectatores Aeschyli? at tum scribere debebat aut *τὸν πρῶτον,* aut *πρῶτον ὄντα:* an primum, quod deinde aliis ex eadem familia idem honor habitus sit? at quis umquam hoc Aeschyli sectatoribus contigisse audivit, quum id ipsum, exstitisse talem sectam, huius demum loci fide credere nos velit Boeckhius? Quare antequam quis hoc loco ullam in partem uteretur, de emendatione cogitandum erat? Ac Mer. Casaubonus scribendum putabat: *καὶ Τυρταῖον παρακόπτειν ἔλεγον, καὶ Ἀστυδάμαντα, πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον, ὃν ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.* Alia tentabat Menagius, quae praeterire satius duco, quia

non magis removent difficultatem, qua hic locus premitur. Ego quidem plane persuasum mihi habeo, Diogenem scripsisse: *καὶ Ἀστυδάμαντα πρότερον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.* Constat autem saepissime commutari ab librariis *πρῶτον* et *πρότερον*. Astydamanti enim vivo posita est statua, de qua re Photius et Suidas in v. *σαυτὴν ἐπαινεῖς*, et proverbiorum collectores exposuerunt. Aeschylo autem post Astydamantem demum decretam esse statuam ex eo intelligitur, quod id factum est rogatione Lycurgi oratoris, quem Plutarchus in vitis X. oratorum p. 841. F. legem tulisse scribit, *ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου.* Atqui Astydamas primum edidit tragoediam Olymp. XCV. 2. teste Diodoro Siculo XIV. 43. quo tempore puer adhuc erat Lycurgus, qui secundum Taylori sententiam in praefatione ad eius orationem p. 105. ed. Reisk. circa Olymp. XCIII. natus est. Convenit cum his etiam Pausaniae de Aeschyli statua testimonium, qui I. 21, 3. sic scribit: *τὴν δὲ εἰκόνα τοῦ Αἰσχύλου πολλῷ τε ὕστερον τῆς τελευτῆς δοκῶ ποιηθῆναι καὶ τῆς γραφῆς, ἣ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι.* Itaque hoc dicit Diogenes, perversissime iudicare solitos esse Athenienses, qui quemadmodum de Socrate eiusque ac- 20 cusatoribus brevi temporis spatio diversissima statuerint, ita Homerum Tyrtaeumque insanire putaverint, Astydamantem vero, arrogantia magis quam arte notum, prius honoraverint statua, quam parentem tragoediae Aeschylum. Removimus *τοὺς περὶ Αἰσχύλον*, qui, praeter ipsum Aeschylum, non fuerunt umquam ulli. Reliquus est Euphorion, filius Aeschyli, de quo quum Suidas scribat, *ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν,* Boeckhius non modo p. 32. id factum putat Olymp. LXXXVII. quo tempore Sophoclem atque Euripidem ab Euphorione victum narrat Aristophanes Byzantius in argumento Medeae Euripidis, sed p. 55. etiam Aeschylo in Sicilia degente fabulas eius ab Euphorione aliove Aeschyli cognato in certamen delatas suspicatur, ita ut istud *οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμε-*

νος de his fabulis intelligendum sit, quas Aeschylus nondum Athenis edidisset. Neutrum ne levissimam quidem speciem veri habet. Primum enim quis credat, si paternis tragoediis Euphorion Olymp. LXXXVII. vicit, non Aeschylum, sed Euphorionem victorem renunciatum esse? Quin, si omnibus hoc credibile videretur, certe ipse Boeckhius non poterat ita sentire. Nam si Olymp. LXXXVII. Euphorionem pro Aeschylo renunciatum putat, quomodo illud explicabit, quod, quum Olymp. LXXX. Orestea ab eodem Euphorione vel alio ex Aeschyli familia, ut ipse opinatur, introducta esset, non is, qui eam introduxit, sed Aeschylus victor perhibitus est? Non ambiguis enim verbis in argumento Agamemnonis scriptum est, *πρῶτος Αἰσχύλος*. Et omnino si non scriptor fabularum, sed qui eas mortuo vel absente poeta committebat, pro victore habitus esset, qui tandem de Aeschylo dicere potuisset is, qui vitam eius scripsit, *οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν νίκας ἀπηνέγκατο*? aut Philostratus in vita Apollonii VI. 11. p. 245. *ὅθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν αὐτὸν τῆς τραγῳδίας ἡγοῦντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς*. Denique Suidae verba, *οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος*, nisi quis ea violenter alio detorquere velit, non possunt nisi de 21 iis fabulis intelligi, quas Aeschylus, dum viveret, sive omnino nondum ediderat, sive nondum commiserat Athenis, quum eas in Sicilia docuisset. Et id eo certius est, quo melius convenit cum illorum testimoniis scriptorum, qui fabulas Aeschyli etiam post mortem eius in scenam productas esse tradunt: ex quibus in primis huc pertinet vitae scriptor, cuius haec verba sunt: *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν λαμβάνειν*.

Ex his, quae hactenus disputata sunt, quid conficiatur, apertum est. Nam si Aeschylum neque tredecim annos mansisse in Sicilia, nec fabulas suas absentem per alios

docuisse credibile est, quid aliud quam Athenas redierit necesse est, ibique fuerit Olymp. LXXX. 2. quum ageretur Orestea, postea autem rursus in Siciliam se contulerit, ubi Olymp. LXXXI. 1. mortuus est? Coniecturae per se probabili fidem facit is, qui vitam Aeschyli scripsit: qui quum Aeschylum dicat, postquam in Siciliam venisset, ἐπιζήσαντα τρίτον ἔτος diem obiisse, planissime rationes nostras comprobat. Nam si post actam Oresteam in Siciliam abiit Aeschylus, tres ab eo tempore anni sunt usque ad mortem eius. At repudiat hunc scriptorem Boeckhius, tamquam auctorem parum idoneum. *Aeschyli vitae scriptorem*, inquit p. 50. *tam parum accuratum, qui anno aetatis LXV. obiisse, anno vero LXII. in Siciliam ad Hieronem venisse Aeschylum tradit, nemo postulabit ut aut distinctius refutemus, aut eius in subducendo calculo rationem habeamus praecipuam.* Quaenam vero sunt illa, quae ut parum accurate tradita culpat? Primo p. 49. Aeschylum secundum vitae scriptorem ne attigisse quidem dicit Olympiadis LXXX. annum secundum. At nusquam hoc ille dixit. Nimirum ita eum existimasse ex eo colligit Boeckhius, quod Aeschylum ad Hieronem, qui mortuus est Olymp. LXXVIII. 2. profectum esse, et tertio post anno, quum annum haberet LXV, ideoque ad summum Olymp. LXXIX. 1. obiisse narret. Quid vero, si, quod factum esse infra ap- 22 parebit, vitae scriptor, diversos auctores sequutus, ex alio aliud adnotavit? Nam etiamsi codices non ostenderent, nihil hanc vitam nisi farraginem fragmentorum esse, quis grammaticum, qui tam pauca de Aeschylo, eaque tam confuse scripta reliquerit, non, quidquid hic illic legisset, adnotare satis habuisse, sed quaerere de his rebus diligentius, et ad Olympiadum annos singula expendere aut voluisse aut potuisse credat? Tantum ergo abest, ut Musgravium reprehendere debuerit Boeckhius, quod secundum vitae scriptorem tempore pugnae Salaminiae Aeschylum quadraginta annos habuisse censuerit, ut magis, nisi illa de bis actis Eumenidibus opinione praepeditus fuisset, non potuisset non probare rationes Musgravii, unius tantum

anni discrimine a vero aberrantis. A quo ne in eo quidem discedere debebat, quod ille, quum scriptor vitae Sophoclis et scholiastes Aristophanis ad Ran. 75. de Sophocle scribant, *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη δεκαεπτά, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος εἰκοσιτέσσαρα,* numeros commutandos indicavit, quod Lessingius quoque in vita Sophoclis fecit, ut Sophocles XXIV. annis post Aeschylum, XVII. ante Euripidem natus diceretur. Quae emendatio Boeckhio, qui Aeschyli natales a Musgravio Olymp. LXV. anno 1. Sophoclis Olymp. LXXI. anno 2. assignari animadverteret, non potuit non suspecta videri, quod ita Sophocles Aeschylo posterior fuisset annis XXV. Euripide autem prior annis XV. Quare ipse aliam tentat coniecturam: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκατέσσαρα.* At in tali caussa nisi exactissime numeri conveniant, quod ne in hac quidem coniectura fit, nihil certum esse putandum est. Quod si Musgravium sequare, qui quidem vereor ne haec non magis quam Lessingius ex omni parte perspexerit, calculos omnes verissimos esse intelliges. Haec ordine nunc persequar.

Ac sponte intelligitur, non mirum esse, si plerumque certius constat, quando mortui sint clari homines, quam quando nati. Pari enim omnes conditione nascimur, sed non ignota manet mors, quorum clara fuit vita. 23 Quare quum de aetate illustrium virorum quaeritur, rectius plerumque a mortis tempore, quam a natalibus, anni numerantur. Hoc si in Aeschylo teneas, habebis rationem facillimam, qua discrepantia scriptorum testimonia in concordiam adducas. Mortis tempus ab solo marmore Pario indicatum est, Olymp. LXXXI. 1. In hac re nihil videtur erroris esse. Nam et paullo ante, Olymp. LXXX. 2. Oresteam Aeschylus ediderat, nec post Olymp. LXXXI. quisquam eum vivum commemoravit, nec denique est, nisi alienos calculos adhibeas, qui alio tempore eum obiisse dicat. Marmor Parium eum tradit mortuum esse annos natum LXIX. Hoc si verum est, natus fuerit ne-

cesse est Olymp. LXIII. 4. Apud Suidam est, mortuum esse anno vitae LVIII. qui manifestus est librariorum error, quia, ut idem Suidas et illo et alio loco refert, iam Olymp. LXX. 1. cum Pratina certavit, annos natus XXV. qui numerus prorsus convenit cum calculo marmoris: unde verisimile est, Suidam non νή, sed ξή scripsisse. Vitae scriptor Aeschylum tradit LXV. aetatis anno mortuum esse: a qua narratione non multum recedit, quod paullo post in eadem vita legitur, ἐβίωσε δὲ ἑξήκοντα καὶ τρία ἔτη, ubi tamen pro ἔτη ξγ', quod duo codices habent, in tertio scriptum est ξέ, fortasse dissensionis componendae caussa. Nunc secundum eos, qui LXV. annos implevisse Aeschylum dixerunt, si a mortis tempore numeres, natus fuit Olymp. LXIV. 4. Hanc vero narrationem sequutus est is, e quo scholiastes Aristophanis ad Ran. 75. et scriptor vitae Sophoclis, numeris e Musgravii et Lessingii sententia permutatis, Sophoclem retulerunt Aeschylo XXIV. annis posteriorem, XVII. priorem Euripide fuisse. Id enim qui tradidit, Sophoclem existimavit natum esse Olymp. LXX. 4. quo anno ille secundum marmor Parium, quod eum Olymp. LXXVII. 4. annos habuisse XXVIII. refert, natus habeatur necesse est. Atqui ab Olymp. LXIV. 4. quo anno isti Aeschylum natum putarunt, ad natales Sophoclis Olymp. LXX. 4. anni sunt XXIV. inde autem ad Olymp. LXXV. 1. quo anno natus est Euripides, numerantur anni XVII. Hinc manifestum est, Sophocleae quoque vitae scriptorem e diversis auctoribus, ex alio retulisse natum Sophoclem Olymp. LXXI. 2., ex alio illa commemorasse, quae modo explicuimus de intervallo inter natales Aeschyli, Sophoclis, et Euripidis. 24

Apertum iam esse arbitror, scriptorem vitae Aeschyli iniuria a Boeckhio reprehensum esse, tamquam qui poetae mortem ad Olymp. LXXIX. 1. retulerit. Qui si, ut ostendisse mihi videor, non discessit ab his, qui Aeschylum Olymp. LXXXI. 1. obiisse narrarunt, illud quoque verum sit necesse est, quod supra eodem auctore po-

suimus, post Olymp. LXXX. 2. quo tempore acta est Orestea, poetam rursus in Siciliam profectum esse, quia tertio post illam profectionem anno, quum annos haberet LXV. ab eo scriptore mortuus in Sicilia esse traditur. Hinc intelligitur, in his quoque, quae in vita Aeschyli de Siculo isto itinere scripta sunt, diversa tempora, diversasque narrationes, et magis etiam, quam putabatur, confusas esse. Nam praeter illos, qui Olympiadem LXX et collapsa tabulata memoraverant, alii in Siciliam profectum esse Aeschylum dixerant ob victoriam Simonidis, quae pertinet ad Olymp. LXXIII. 1. alii ob victoriam Sophoclis, a quo superatus est Olymp. LXXVII. 4. alii denique ob invidiam et litem, cui Eumenides ansam dederant, quae res incidit in Olymp. LXXX. 2. Ad hanc postremam narrationem, eamque solam, quadrat illud, quod tertio post anno mortuus esse dicitur. Sed in Aeschyli vita haec, quum e variis scriptoribus adnotata essent, in unum tenorem coniuncta sunt; quae si singula, quo pertinent, referas, vera erunt omnia; sin sic, ut ibi connexa sunt, probare voles, nihil in iis reperies veri *).

Sed venio nunc ad ultimam Boeckhii obiectionem, Olymp. LXXX. 2. inquit, Eumenides in his fabulis fuerunt, quibus tum Aeschylus victoriam consequutus est: itaque non potuerunt illo tempore Eumenides caussam ei relinquendae patriae praebere. Esto: concedam enim tantisper: quid inde consequitur? Nempe hoc, aliam ob 25 caussam in Siciliam eum abiisse. Nam de facto quidem constat. Victorem illo anno ea tetralogia didascaliae de-

---

*) Schneiderus in illa quam supra dixi praefatione concedit, saepius in Sicilia fuisse Sophoclem: sed quae de caussis, cur patriam reliquerit, diversa narrantur, pro inanibus commentis habet. Non refragor, qui satis habeam demonstrasse, non esse illum semel tantum in Siciliam profectum, sed saepius, eorumque itinerum tempora ex iis caussis, ob quas illuc ivisse eum quidam crediderunt, posse coniici.

clarant; praesentem fabulas suas docuisse, gravissimo teste Athenaeo evicimus; Siciliam post Eumenidum commissionem petiisse, luculenter ostendit vitae scriptor, tertio post anno mortuum narrans; idem mortis annus in marmore Pario consignatus est; denique in Sicilia mortuum sepultumque esse, certissimum est: ut, quum iam exploratum habeamus, anno eum aetatis LXV Athenas reliquisse, supervacaneum sit, cur id fecerit, quaerere. Sed nihilominus quaeram, an propter Eumenides abierit. Non enim concedendum puto, fabulam, qua vicerat, non potuisse in caussa esse, ut patriam relinqueret. Neque enim mirum foret, si, quae erat levitas Atheniensium, quem modo victorem coronassent, eumdem propter easdem fabulas in ius vocavissent. Quae a vitae scriptore et Polluce de choro Eumenidum tradita sunt, utcumque fabulosa, hanc tamen vim habent, ut arguant, fuisse, quod in Eumenidum choro improbaretur. Inde quidam, ut Perizonius ad Aelianum V. H. V. 19. quum viderent, Aeschylum aliquando reum impietatis factum dici, eam accusationem ob Eumenides institutam putarunt. Sic etiam sensit Musgravius, Aeliano testem adiungens Apsinem, cuius locum non videtur inspexisse Boeckhius. Aliter confidentius, opinor, p. 39. illam impietatis accusationem ad Eumenides retulisset, quum recte observaverit, accusationes saepe plura complexas esse capita. Sed ne Musgravius quidem omnia videtur perpendisse, qui versus Eumenidum v. 70-73. 185-197. ad impietatis criminationem adhibitos putaverit. Aperte enim refragatur Apsines, ita scribens p. 686. media: *οἱ ἐπὶ Ποτιδαιάταις κρινόμενοι Ἀθηναῖοι, καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι, καὶ ὁ ἐπὶ τῶν λιμωττόντων Σκυθῶν, καὶ ἐπὶ πάντων, ὅπου μέγα τι καὶ ὡμολογημένον τὸ ἀδίκημα.* Quorum verborum quae ultima sunt, satis demonstrant caussam istam non in versibus illis, qui non magis impii sunt, quam multi aliorum versus tragicorum, sed in magno aliquo apertoque crimine versatam esse. In promptu est, non id aliud fuisse, quam quod pro tribus, quas civitas coleret, Furiis multo plures introduxisset. Mirum est tamen, alios scriptores, qui 26

iudicii illius mentionem fecere, non modo de Eumenidibus nihil dicere, sed crimen etiam indicare aliud. Simpliciter impietatis reum factum dicit Aelianus V. H. V. 19. *Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι. ἑτοίμων οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις, Ἀμεινίας ὁ νεώτερος ἀδελφός, διακαλυψάμενος τὸ ἱμάτιον, ἔδειξε τὸν πῆχυν ἔρημον τῆς χειρός. ἔτυχε δὲ ἀριστεύων ἐν Σαλαμῖνι ὁ Ἀμεινίας, ἀποβεβληκὼς τὴν χεῖρα, καὶ πρῶτος Ἀθηναίων τῶν ἀριστείων ἔτυχεν. ἐπεὶ δὲ εἶδον οἱ δικασταὶ τοῦ ἀνδρὸς τὸ πάθος, ὑπεμνήσθησαν τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ ἀφῆκαν τὸν Αἰσχύλον.* Distinctius caeteri crimen illud indicant. Aristoteles in Eth. Nicom. III. 2. *οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτούς, ἢ οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόῤῥητα ἦν, ὥςπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά.* Clemens Alex. Strom. II. p. 387. *ὡς Αἰσχύλος, τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπών, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθείς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας ἑαυτὸν μὴ μεμυημένον.* Audiamus nunc Eustratium ad Aristotelis locum fol. 40. a. *δοκεῖ γὰρ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξότισι καὶ Ἱερείαις, καὶ ἐν Σισύφῳ πετροκυλιστῇ, καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ, καὶ ἐν Οἰδίποδι· ἐν γὰρ τούτοις πᾶσι περὶ Δήμητρος λέγων, τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι ἔοικε. λέγει δὲ καὶ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν. καὶ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν αὐτὸν παραιτησαμένων, ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι πρῶτον, ἐδόκει ὑπαχθῆναι εἰς δικαστήριον καὶ ἀποφυγεῖν, αὐτῶν τῶν δικαστῶν ἀφέντων μάλιστα διὰ τὰ πραχθέντα αὐτῷ ἐν τῇ ἐπὶ Μαραθῶνι μάχῃ· ὁ μὲν γὰρ ἀδελφὸς αὐτοῦ Κυνέγειρος ἀπεκόπη τὰς χεῖρας, αὐτὸς δὲ πολλὰ τρωθεὶς ἀνηνέχθη φοράδην· μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπιγεγραμμένον αὐτοῦ τῷ τάφῳ· Αἰσχύλον Εὐφορίωνος,* et reliqua. Apparet consentire hos scriptores in eo, accusatum esse Aeschylum propter evulgata arcana mysteriorum. Nam apud

Eustratium male legi videtur, *ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν περιφέρειν τινὰ δοκεῖν*: quare *προφέρειν* posui. A quo crimine quum prorsus diversum sit illud, quod in Eumenidibus culpabatur, dubitari poterit, an Aeschylus omnino propter Eumenides non sit in ius vocatus. 27 Fatendum est enim, certo indicio de hac re non constare, quum, qui id testari videtur, Apsines, eum suspicio sit non caussam in iudicio aliquando disceptatam, sed exercitationis caussa in scholis rhetorum proponi solitam commemorasse. Quamquam ea res nihil impedit, quin vere in ius vocari potuerit Aeschylus: idque sane ab eo aliquam habet veri similitudinem, quod et vitae scriptor eum propter terrorem choro isto excitatum in Siciliam profectum scribit, et Pollux, licet falsa admiscens, propter eamdem caussam lege de choro cautum esse refert. Accedit ad haec Epigramma Diodori XII. in Brunckii Analectis T. II. p. 188. quod quum arguat, invidia Atheniensium factum esse, ut Aeschylus non in patria sepultus sit, quid aliud, quam Eumenides intelligendas censebimus, quando eo ipso anno, quo hae sunt editae, postremum illud in Siciliam iter susceptum est? Nisi Diodorus aliam sequutus est narrationem: quod cur sumamus, nulla caussa est. Epigramma hoc est:

Αἰσχύλον ἥδε λέγει ταφίη λίθος ἐνθάδε κεῖσθαι
τὸν μέγαν, οἰκείης τῆλ' ἀπὸ Κεκροπίης,
λευκὰ Γέλα Σικελοῖο παρ' ὕδατα· τίς φθόνος ἀστῶν
Θησείδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει;

Quod si qua est suspicio, propter Eumenides diem Aeschylo dictum esse, aut bis accusatus esse credendus erit, aut illud, de quo constat, iudicium etiam ad Eumenides spectavit. Bis accusatum esse, ab nullo auctore traditum est: quo probabilius videtur alterum, in quo non modo nihil est quod repugnet, sed omnia consentiunt pulcerrime. Nam quum fieri non potuerit, quin insolens ille numerus Furiarum, statim ut visus est, omnes adverteret: quid mirum, si obtrectatores Aeschyli, quum

etiam victorem eum pronunciari viderent, apertam impietatem vociferantes, tumultum in theatro concitarunt; moniti autem, ut lege agerent, mox impietatis reum egerunt? Ita recte dixerit Aelianus, ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί 28τινι δράματι. Quid porro, si, quo atrocius illud crimen esse videtur, duo capita fecerunt accusationis, primum de introductis novis diis, secundum, usitatum illud de evulgatis mysteriis? Atque hoc quidem caput non ex una tetralogia depromptum fuisse, vel illud indicio est, quod quinque fabulae ad eam rem probandam adhibitae sunt: ut accusatores isti, quum semel impietatis postulassent Aeschylum, ex omnibus eius tragoediis argumenta conquisivisse videantur. Quod si Eumenidum nullam mentionem fecerunt scriptores, qui iudicium illud commemorarunt, non est obscurum, praetermitti id propterea potuisse, quia tantummodo de patefactis mysteriis loquuntur. Sed satis de his. Illud adiiciam, quoniam in iudicio illo Cynegirus pro fratre intercessisse dicitur, suspectum mihi videri Aminiam illum, quem vitae scriptor et Suidas minorem fratrem Aeschyli fuisse narrant. De Cynegiro res certa est, de quo multa Valckenarius ad Herodot. VI. 114. p. 491. seq. Huius virtus ut in pugna Marathonia inclaruerat, ita Aminias quidam, Pallenensis, teste Herodoto VIII. 84. 93. in pugna Salaminia praemium fortitudinis adeptus est. Confusis ob similitudinem, quae diversa erant, Aminias a quibusdam frater habitus est Aeschyli, ut ab Diodoro Siculo XI. 27. et Aeliano V. H. V. 19. Inde factum, nisi fallor, ut vitae scriptor et Suidas, utrosque vera dixisse rati, Aminiam putarent alterum Aeschyli fratrem, eumque minorem natu fuisse.

DE MYTHOLOGIA GRAECORVM ANTIQVISSIMA DISSERTATIO*).

Ex omnibus, quotquot hodie supersunt, Graecarum lit- 1 terarum monumentis nullum, mea sententia, memorabilius est, quam Theogonia Hesiodi. Quod carmen etsi nec magnitudine, nec splendore argumenti, rerumque aut

*) Edita est a. 1817. Quae hac dissertatione et ea, quae sequitur, scripta sunt, fuerunt qui vel ut lusum riderent, vel, si serio dicta essent, vituperarent. Iidem tamen postea ipsi aliquid nominum significationibus tribuerunt. Ex quo colligi potest, etiamsi in singulis non desit dubitandi materia, tamen summam eorum quae dixi aliquid veri continere. Ea est enim veri vis et virtus, ut ei etiam qui primo adversati sint, postremo vel dissimulantes cedant. Non infitior tamen, accidisse mihi in quibusdam partibus, quod solet iis, qui ab usitata via novae quaerendae semitae caussa discedunt, ut varietate flexuosi callis invitante iusto longius progrediantur. Praeterea vero meminisse lectorem oportet, non paucas illarum fabularum, ut in iis quae ad Creuzerum scripsi indicatum est, non uno modo vel posse vel debere explicari. Caeterum quae me ut haec scriberem adduxit nominum cum rebus conspiratio, iam Pausaniam, nihil tale quum scribere inciperet suspicantem, in progressu operis ita advertit, ut alia, quam quae primo adspectu viderentur, istis fabularum involucris recondita esse intelligeret. Qua de re sic scribit VIII. 8, 2. τούτοις Ἑλλήνων ἐγὼ

dictionis varietate atque ornatu ad Homeri aliorumque clarorum poetarum scripta comparari potest, tamen aliam eamque ita propriam commendationem habet, ut ea caussa etiam anteferendum illis poematis esse videatur. Dico autem non reconditum quiddam et abstrusum, sed id, quod quum cuivis primum in mentem venire debeat, propterea neglectum est, quia parum fructuosum fore putabatur. Nam quis non ante omnia, unde acceperit Hesiodus narrationes illas de originibus deorum, et qua ratione, quove consilio de iis exposuerit, quaerendum censeat? At enim quod ad fontes attinet, ex quibus hausit ille, quum plerique hanc quaestionem non propriam Hesiodei carminis, sed communem universae Graecorum mythologiae esse opinarentur, seiunxerunt eam ab interpretatione Theogoniae. Quo factum est, ut alterum illud investigare, quomodo eas res narrasset Hesiodus, supervacuum putarint. Ad ipsam vero mythologiae Graecorum explanationem quum duplex via pateat, eam plerique omnes ingressi sunt, ut, quoniam ex orientis regionibus omnis ista doctrina derivata est, quidquid de Indorum, Phoenicum, Aegyptiorum, aliarumque gentium sapientia compertum habemus, ad Graecas fabulas applicarent. Vnde quanta perturbatio orta sit mythologiae, quantaque dissimillimarum rerum permixtio atque confusio, satis inter omnes constat. Multo rectior, ut mihi videtur, altera via est, quae versatur in eo, ut exclusis, quae ab aliis gentibus probata fuerunt, illa, quoad fieri potest, persequamur, quae a Graecis ipsis sunt tradita. Quorum quum
2 nihil habeamus, quod Homero Hesiodoque antiquius sit, ab his omnis ista ordienda videtur disputatio, praecipue

---

τοῖς λόγοις ἀρχόμενος μὲν τῆς συγγραφῆς, εὐηθείας ἔνεμον πλέον, ἐς δὲ τὰ Ἀρκάδων προεληλυθώς, πρόνοιαν περὶ αὐτῶν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι’ αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκέτ’ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους, καὶ τὰ εἰρημένα οὖν ἐς τὸν Κρόνον σοφίαν εἶναί τινα εἴκαζον Ἑλλήνων.

autem ab Hesiodo, quod is non dispersim, neque obiter, ut Homerus fecit, sed ordine et de industria doctrinam illam exposuit. Quo autem modo ex Hesiodi Homerique carminibus enucleanda esset ista ratio mythologiae, plerosque omnes latuisse video: siquidem etiam Heynius, qui rectius quam alii de his rebus sentiebat, in commentatione de Hesiodi Theogonia ex illis duobus, quae in hoc genere ut maxime memorabilia, ita ad enodandam rem unice opportuna sunt, alterum modo obiter attigit, alterum, idque primarium, plane praeteriit. Et hoc quidem in eo est positum, quod nomina deorum omnium origine Graeca sunt, et a munere cuiusque dei atque officio petita. Nam ut nonnulla horum nominum, aut, si cui ita videbitur, omnia in oriente nata sint, at illud tamen apertum est, a Graecis ea Graeca facta, significatusque iis eos attributos esse, qui cum lingua Graeca convenirent. Vnde intelligitur, ex nominibus naturam et munia cognoscenda esse deorum. Nec deorum tantum, sed etiam heroum, omninoque rerum omnium, nominibus, quae propria vocantur, appellatarum. Quis enim non miretur, pleraque heroum, et qui deinceps ex iis procreati sunt, nomina ita cum factis eorum et rebus gestis convenire, ut non ante, quam quisque res illas gessisset, sed post imposita fuisse probabile sit? Illustre exemplum praebent ipsae res Troicae, in quibus qui inclaruere plerique (nam quare non omnes, non est obscurum) iis vocati sunt nominibus, quae poetas ex factis eorum commentos appareat. Hinc valde suspecta fides illarum historiarum, ut partim penitus fictae, partim aliquid veri fictis nominibus tegere videantur. Verum etsi difficillimum est, vera fabulosi temporis a fictis diiudicare, tamen, qui sobrie satis et caute in hac re procedet, aliqua certe, quibus insisti possit, vestigia deprehendet.

Alterum, quod in explicanda Hesiodi Homerique mythologia maximum momentum habet, illud est, quod hi poetae ita fabulas istas referunt, ut eos sensum earum plane ignorasse appareat. Quod animadvertit quidem

3 Heynius, sed ut non tantum, quantum debebat, huic rei tribuerit. Nam quum bene intellexisset, utrumque poetam multa ex vetustioribus carminibus hausisse, admonendi erant, docendique, qui explanare fabulas instituerent, non esse quid Homerus aut Hesiodus sensisset investigandum, sed quid illi dicere voluissent, qui his auctores fuerunt. Sic redibitur quidem ad allegoricam interpretationem harum rerum, sed alio modo, quam qui merito ab recentioribus interpretibus explosus est. Exemplum afferam, quo nullum illustrius inveniri potest. Non immerito risit Lucianus notissimos illos in Odyssea versus:

τὸν δὲ μέτ' εἰϛενόησα βίην Ἡρακληείην,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

Refert Homerus accepta, mirabilia illa quidem atque incredibilia, sed credita tamen: unde pro simplicitate sua non est sollicitus, quomodo idem simul et apud inferos et apud superos degere possit. At qui haec invenit, perabsurdus fuisset, si commentus esset, quod fieri nequiret. Absit vero talis suspicio. Nam ille quem a gloria *Ἡρακλέα* appellavit, virtutem voluit intelligi viri fortis ac strenui: qui ubi moreretur, ipsum, ut mortalem, ad Orcum dixit descendere; virtutem autem, ut eam aeternam esse, seniique expertem ostenderet, apud immortales Iuventae consociavit. Qua fabula nihil profecto neque aptius potuit, neque splendidius inveniri. Huiusmodi vero plurima sunt apud Homerum, quorum nonnulla non sunt in omnium conspectu posita: ut quae in Iliadis libro secundo de sceptro Agamemnonis narrantur: quae ita sunt comparata, ut Homerus longe aliter omnia fuerit enarraturus, si intellectam habuisset mentem illius, a quo ista acceperat. Quem si reputamus Pelopi eiusque genti regnum Peloponnesi datum dicere, nec Tantali mirabimur non esse mentionem factam, neque in his, quae non sunt ex more Homeri eo loco dicta, offendemus.

Haec igitur illorum, qui auctores fuerunt istarum narrationum, eruditio, Homeri autem Hesiodique earumdem rerum ignorantia, quid aliud, quam veluti nube dispulsa ad immensa temporum spatia prospectum aperit, quibus et emicuit in Graecia lux sapientiae, et clare fulsit, et paullatim rursum exstincta est. Videmus rerum divinarum humanarumque scientiam ex Asia per Lyciam migrantem in Europam; videmus fabulosos poetas peregrinam doctrinam, monstruoso tumore orientis sive exutam, sive nondum indutam, quasi de integro Graeca specie procreantes; videmus poetas illos, quorum omnium vera nomina nominibus ab arte, qua clarebant, petitis oblitterata sunt, diu in Thracia haerentes, raroque tandem etiam cum aliis Graeciae partibus commercio iunctos: qualis Pamphus, non ipse Atheniensis, Atheniensibus hymnos deorum fecit; videmus denique retrusam paullatim in mysteriorum secreta illam sapientum doctrinam vitiatam religionum perturbatione, corruptam inscitia interpretum, obscuratam levitate amoeniora sectantium, adeo ut eam ne illi quidem intelligerent, qui hereditariam a prioribus poesin colentes, quum ingenii excellentia omnes praestinguerent, tanta illos oblivione merserunt, ut ipsi sint primi auctores omnis eruditionis habiti. Nobilis est hanc in rem sententia Herodoti, qui etsi non recte, tamen, ut illo quidem aevo, admirabili perspicientia, lib. II. c. 53. ita de Homero et Hesiodo scribit: *οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες· οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον, ἐμοί γε δοκέειν, ἐγένοντο τούτων.* Quem mirum est quosdam non vulgaris doctrinae viros hoc dicere opinatos esse, primos, qui versibus eas res exponerent, Homerum et Hesiodum fuisse: quod a mente eius alienissimum esse, perspicuum est. Hanc vero tam immensam praestantissimorum monumentorum iacturam aliqua saltem ex parte compensare poterimus investigandis, quaecumque supersunt eorum vestigiis: quibus diligenter collectis, recteque

explicatis, historia quaedam condi poterit temporum, quae ante Homerum et Hesiodum fuerunt, eaque talis, quae uberrimam contineat utilissimarum quaestionum materiam. Est autem in hac omni ratione iudicio maxime 5 opus, quia non testibus res agitur, sed ad interpretandi sollertiam omnia revocanda sunt: in qua hoc tantum spectandum, ut procul habita temeritate arbitrii, nihil, nisi quod res ipsa verum esse apteque cohaerere ostendat, admittatur. In quo genere uti plurimum difficultatis habent confinia fabulosi temporis et eius aevi, in quod historiae primordia incidunt, ita saepe etiam fabulae ipsae propter mutationes atque additamenta, quibus nunc temere, nunc etiam certo consilio deformatae reperiuntur, impeditissimae sunt.

Experiar huiusmodi interpretationem in Hesiodi Theogonia. Quod si, ut supra dixi, nomina ipsa, quae res iis nominibus appellatae sint, indicant; Hesiodus autem, sensu fabularum, quas refert, minime perspecto, nihil aliud, quam tradita ab antiquis et credita ab aequalibus carmine exponere voluit: plana est via, qua explicari doctrina ista debeat, dummodo ea, quae poetae ignorantia addita sunt, ab iis, quae ille ab antiquioribus acceperat, diiudicare sciamus. Apertum vero est, hanc *θεογονίαν*, quae vocatur, *κοσμογονίαν* potius dicendam esse, siquidem in mundi creatione vitaeque hominum perfectione non modo principium carminis, sed, ut interpretatio nostra docebit, totum carmen versatur.

Igitur antiquus ille philosophus, quem auctorem sequutus est Hesiodus, primum omnium exstitisse dixit *Χάος*: quam ille non, ut postea plerique, rudem indigestamque molem materiae, sed propria nominis significatione Spatium, quod omni materia vacuum est, intelligi voluit. Nam postea demum creatam dicit Materiam, cuius et Graecum nomen *Γαῖα*, et Latinum, ab eo ductum, quod creandi in se semina continet. Ei addidit *Ἔρον*, nomine a verbo *εἴρειν* derivato, Iugatinum, quod

sine eo iners iacuisset materia, nec quidquam creatum esset. His tribus positis elementis, spatio, in quo sunt cuncta; materia, ex qua fiunt omnia; vi denique copulatrice; ad ipsam accedit rerum creationem explicandam. Nam versum, in quo Tartarus primordiis illis adnumeratur, si non ab interpolatore, certe ab Hesiodo additum esse, verisimillimum est. Primam igitur progeniem *Χάος*, Spatium, generavit, quae nominata est *Ἔρεβος* et *Νύξ*, 6 ex eorumque congressu editae dicuntur *Αἰθὴρ* et *Ἡμέρη*, miro ad primum adspectum commento, quum repugnare videatur, Noctem ex Tenebris Aetherem et Diem parere. At enimvero meminisse debemus, multa in hoc genere nomina inveniri, quae longe alias initio significationes habuerint, quam quas postea usus iis attribuit. Ex Spatio generatae dicuntur, quae duae res propriae eius sunt. Nam ante quam quidquam ex materia creatum esset, vastum inane, in quo ea pendebat, tenebris erat et caligine repletum, quae ab operiendo *Ἔρεβος*, Opertanus, dictae. Simul autem quoniam etiam movendi conditio omnis in Spatio posita est, creata ab eo perhibetur *Νύξ*, Nuta, a verbo *νύειν* dicta, quod est vergere. Nam omnium primus, maximeque simplex motus est, quo gravia deorsum feruntur. Mansit ab hoc primo significatu perantiquum epitheton noctis *θοὴ* ad Homerum. Igitur *Νὺξ* et *Ἔρεβος*, Nuta et Opertanus, *Αἰθέρα* et *Ἡμέρην*, Clariam et Serenam dicuntur genuisse: quod est, desidente caligine, quae omnia operiebat, superne lucem esse ortam. Nam caliginem antiquus ille cosmogoniae conditor non omni corpore expertem, sed quasi nebulam esse putavit: unde quae desederat, crassiori caligini nomen *νὺξ* mansit. Postea *Αἰθὴρ* et *Ἡμέρη*, deflexo nonnihil significatu, aliter dici coeperunt. Recentioribus horum vocabulorum significationibus priscam fabulam, quae iam non apte inventa videretur, accommodarunt alii: unde hoc est apud Hyginum: *ex Caligine Chaos: ex Chao et Caligine, Nox, Dies, Erebus, Aether.* Ad eamdem recentiorem rationem pertinere videtur, quod ab Hesiodo erat alio loco positum de *Βροτῷ*, sive Mortali: de quo

sic Etymologus p. 215, 37. *Ἡσίοδος δέ, ἀπὸ Βροτοῦ, τοῦ Αἰθέρος καὶ Ἡμέρας:* quibus verbis divinae particula aurae mortali corpore inclusa declaratur.

Sequitur, quid Materia, et primum quidem sine coniuge, qui nondum erat ullus, genuerit. Creavit ea autem primo *Οὐρανόν,* Superum, a verbo *ὄρειν*, unde etiam *ὄρος,* dictum, quod caeli fornices, quos Ennius appellavit, ab extremo terrae circuitu in altum curvari viderentur. Caelo creato crassior Materiae pars in eam 7 speciem formata, quam Tellurem vocamus. Id antiquissimum illud carmen per extrema designavit, *Οὔρεα,* Montes, nominans, et *Πόντον.* Sed hoc postremum nomen non intellexit Hesiodus, quum exornandae rei caussa *πέλαγος μέγα οἴδματι θῦον* addidit. *Πέλαγος* enim, a verbo *πελάζειν* dictum, ut ab Latinis Venilia, mare notat: a qua origine etiam *πελασγοί*, advenae: de quorum sedibus qui quaerunt, propemodum idem agunt, ac si, quod ubique terrarum mercatores ac peregrinantes inveniuntur, hos certos certarum regionum populos esse sibi persuaderent. Igitur *Πόντος,* Profundanus, non mare est, quod nondum creatum, sed profunditas. Cognatum nomen cum verbo *πιτνεῖν*, servatumque in Latina lingua, *fundus*, sed paullum deflexo significatu. Atque demittere ad fundum maris *ποντίζειν* dicitur, non *θαλασσοῦν,* quod aliud est.

Caeli dehinc Terraeque progeniem enumerat Hesiodus, fideliter singulos eo ordine producens, quo sapientissime ab antiquo auctore dispositi fuerant. Vnde multo recentiores esse apparet Orphicos versus in fragm. VIII. in quibus hic ordo Titanum imperitissime est perturbatus. Primus igitur natus *Ὠκεανός,* Celerivena, non ille a verbo *νάειν,* ut grammatici volunt, sed ab obsoleto *ἔειν*, *ire*, dictus, ut ab *ὄρειν Οὐρανός.* Aliud eius nomen, *Ὠγήν,* ab ovo ductum, quod materiam, ut vitellum, in medio aluerit. Intelligitur autem Oceanus non quem postea ita dixere, sed vis aquarum, quae ingenti impetu

effusa universum orbem terrarum inundavit atque obruit. Quae quum resederat, ut hoc addam, tum demum maria, flumina, fontes apparuerunt. Inde Homerus:

> *ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,*
> *καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.*

Effusionem illam aquarum comitata est ingens elementorum omnium perturbatio, ut disiecta, soluta, permixta, sursum deorsum, ultro citro ruerent, atque ferrentur, usque dum mutuo se ipsa coercendo turbas illas composuerunt. Hunc universae naturae tumultum fratres Oceani alii Titanes *) denotant, per paria, ut singuli singulis oppositi sunt, deinceps prodeuntes. Ac primo *Κοῖος* et *Κρῖος*, Turbulus et Seiugus. Et *Κρῖον* quidem recte iam veteres interpretati sunt, inde dictum videntes, unde est verbum *κρίνειν*. In alterius nomine mirifice nugantur, quod ex verbo *κείειν* ductum est, ut *κλοιὸς* a *κλείειν*. Desidunt autem turbida: unde ex eadem stirpe derivata sunt *κοινὸς* et *coenum*. Post hos videmus *Ὑπερίονα* et *Ἰαπετόν*, Tollinem et Mersium, quorum prioris nomen a verbo *ἰέναι* factum; alterius apertum est. Dehinc *Θεία* et *Ῥεία*, Ambulona et Fluonia, quarum meare commune est, sed propria sunt, alterius, manere inter meandum; alterius, diffluere ac dissipari. Has sequuntur, postea alia officia nactae, *Θέμις* et *Μνημοσύνη*, Statina et Moneta, quarum alterius est, fluxa statuere et firmare; alterius, quiescentia excitare et commovere. Vtriusque nomen apertum, modo alterum quis non a nomine *μνήμη*, sed a verbo *μνᾶσθαι* deductum meminerit, quod verbum cum affinibus *μαίεσθαι*, *μένειν*, *μεμονέναι*, *μενοινᾶν*, a *μάειν* derivatum, communem habet nitendi notionem, quae est in Germanicis *streben* et *stemmen*. Postremae

---

*) Permira est, quam C. O. Müllerus in Diar. litt. Gotting. a. 1821. fol. 96. p. 958. ab Solgero acceptam profert Titanum fabulae explicationem, quae ipsi magis Hesiodea est visa.

sunt *Φοίβη* et *Τηθύς*, Februa et Alumnia, nominibus non obscuris. Earum altera purgatrix est, removens inutilia et noxia; altera nutrix, utilia et salutaria admovens. Claudit hoc agmen unus, isque etsi postremus in lucem editus, tamen ante caeteros nobilis. Is *Κρόνος*, Perficus, est, nomine vocatus cognato cum verbo *κραίνειν*. Hic ultimus natu, quia denique motus illos composuit; et *ἀγκυλομήτης*, quia diuturnum hoc fuit et difficile opus. Vnde postea temporis significatio huic nomini, leviter mutato, accessit: neque enim *Κρόνος* a tempore, sed tempus a *Κρόνῳ*, quod cuncta perficeret, appellatum.

Excipiunt hos duae alii Caeli Terraeque generationes, Cyclopes et Centimani. Cyclopes male interpretatur Hesiodus. Sunt enim *Κύκλωπες* Volvuli, quos per caelum volutos auribus oculisve percipimus, tonitru, fulmen, fulguratio. Hinc nomina eorum, *Βρόντης*, Tonuus; *Στερόπης*, Praestinxius; *Ἄργης*, Fulgetrus. Centimanorum generatio primos conatus indicat animatas naturas procreandi: quae immanissimae fuerunt, luxuriante adhuc vi generatrice, necdum modum adhibere docta. Quoniam autem triplex omnino est enormitas, ingenii, virium, formae: tribus ea nominibus comprehensa, *Κόττος* dicta est, 9 ab nomine *κότος*, Saevio, et *Βριάρεως*, Viriatus, et *Γύης*, Membro *). De hac interpretatione fabulae si cogitavisset Bentleius ad Horat. Carm. II. 17, 14. non dubitanter formam postremi nominis *Γύγης*, quae notior librariis ab rege Lydiae, toties alteri substituta est, ut plane ineptam reiecisset.

Omnis Caeli Terraeque progenies *Τιτῆνες*, Tendones, appellati, non ab alia re, quam quod ultro citroque

---

*) Creuzeri obiectionibus motus vidi grandinem potius, et imbres, et nives significari, ut Centimanorum nomina esse debeant Ferius, Sulcius, Gravinus, cuius alterum nomen, *Αἰγαίων*, Turbulus sit. Vide Epistolam ad Creuzerum de natura et ratione mythologiae Germanice scriptam p. 84. seq.

tendendo omnem rerum naturam pertentaverint. Mansit cognatum verbum, sed brevi prima syllaba, *τιταίνειν*.

Tentamenta haec fuerant condendae rerum naturae, sed irrita, nondum iusto invento temperamento. Vnde exosus natos suos Vranus, ut quisque in lucem editus esset, rursum occuluisse dicitur. Ei rei finem imponere eius erat, qui *Κρόνος*, Perficus, vocatur. Itaque antiquus philosophus, ut conquievisse caeterarum virium rudes impetus, solamque superstitem mansisse vim perfectricem indicaret, ab hoc parentem privatum esse generandi potestate dixit, verum non ita, ut, qui iam exstiturus esset novus rerum ordo, alium parentem haberet, (qui enim potuisset, quum ex iisdem viribus, ex quibus antea, sed apte temperatis, enasci deberet?) sed ut generandi officium a parente ad ipsam rerum creatarum naturam transferretur. Hinc resectis patris genitalibus sanguinem Terra, semen Mare excepit. Ac Terra peperit *Ἐριννύας*, *Γίγαντας*, *νύμφας Μελίας*. Quae fabula iis perobscura videatur necesse est, qui Furias, et eos, de quibus postea fabulati sunt poetae Gigantes, intelligunt. Nymphas Melias autem ne veteres quidem, quid essent, perspexere. Antiquus ille cosmogoniae conditor quid senserit, et res ipsa, et nomina declarant. Vt certis et firmis legibus natura adstringeretur, fetus edi necesse erat non imperfectos, sed maturos; neque steriles, sed fecundos; neque aversantes se invicem, sed sociabiles. Haec quibus efficerentur triplices naturae vires, earum primas vocavit *Ἐριννύας*, Maturinas, a verbo *ἐλιννύειν*, mutata littera liquida; quod nomen postea ad cunctatricem vindictam sceleris translatum, materque Furiarum Nox esse perhibita; secundas *Γίγαντας* appellavit, Genitales, cuius nominis aperta origo est; tertias *Μελίας*, Cicurinas, dixit, ab ea radice, unde est verbum *μειλίσσειν*. Semen autem Vrani, ab aquis, quia per humores omnis generatio fit, exceptum, creavit *Ἀφροδίτην*, Spumicitam, i. e. coitus appetentiam, latentem usque ad tempus pubertatis, unde appulisse dicitur *Κυθήροις*, Latebriis; deinde se prodentem, ex qua

re in *Κύπρῳ*, Pronia, nata fertur, quod nomen a vocabulo *κυφὸς* factum. Iam minus, opinor, mirum videbitur, Hesiodum v. **50**. homines et Gigantes coniungere: quo loco non videtur dubium esse, quin hominum originem et generatores dicere voluerit. Indidem etiam in Homerico hymno Apollinis v. **336**. de Titanibus scriptum est, *τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε*. Caeterum quem non advertat admirabilis harum de naturae primordiis narrationum consensio cum iis, quae hodie doctorum hominum industria de vicissitudinibus orbis huius comperta habemus, in quo nos senescente iam, medii inter duas ruinas, aeternitatem, serius ocius novis fluctibus perituram inani labore consectamur. Mihi quidem maior illa consensio videtur, quam ut narrationes istas nihil nisi commenta esse philosophorum putem. Immo ab illis eas acceptas credam, qui ipsi testes fuerint magnae alicuius conversionis, aliamque viderint orbis terrarum faciem, quam quoad nostri generis memoria pertingit. In qua re non videtur negligenda esse immanium belluarum commemoratio: quantae magnitudinis animalia fuisse unquam vix credibile foret, nisi eruta hic illic ingentia ossa magni nos superficiem sepulcri, alium tegentis et maiorem naturae ordinem, incolere demonstravissent.

Revertor ad Hesiodum: apud quem quae v. **211** — **232**. enumeratur, Noctis, et deinde Eridis propago, aperte ex pluribus est, iisque maximam partem recentioribus commentis petita: ut quod Parcae Noctis filiae dicuntur, de quibus aliter infra v. **904**. Quare haec praetereo, praesertim quum nihil difficultatis habeant.

Pergit antiquus auctor cosmogoniae in Ponti progenie. Ac *Πόντος*, Profundanus, qui iam, ex quo profunda aquis repleta sunt, non solam profunditatem, sed simul etiam, quod ea continetur mare, significat, cum
11 Terra coniuge primo procreat *Νηρέα*, Nefluum, i. e. fundum: qui et primus natu dicitur, quia quos fratres sororesque habet, nituntur ipso; et senex, quia semper immutabilis est; et verax, quia numquam fatiscit, quo facto

diffluerent aquae; et aequus, quia tranquillum est imum mare. Proximus ab hoc natus *Θαύμας*, Mirinus, quo prospectus significatur et per se admirabilis propter tam late patens maris aequor, et magis propter illa, quae nascuntur in eo. Tum *Φόρκυς*, Furcus, quo promontoria et quivis alii e mari exstantes scopuli indicantur. Inde Hesychius: *πόρκες, χάρακες*. Aliique Grammatici *φόρκυνα, λιμένα* interpretantur. Cognata nomina sunt *πόρκος, πόρκης, furca*. Sequitur *Κητώ*, Iacua, affinem cum verbo *κεῖσθαι* originem habens, quae latentia sub undis saxa, occultosque scopulos significat. Denique *Εὐρυβίη*, Latipolla, quae est fluctuatio maris.

Quoniam Oceanus fons est omnium aquarum, huius filiarum una uxor data Nereo. Ea, propter opes, quae per mare afferuntur, *Δωρίς*, Donona, dicta, quinquaginta parit filias. Harum nomina praetereo, quod interpolata est ista enumeratio apud Hesiodum. Apertum est autem, undas intelligi, quibus a sua cuique potestate imposita nomina.

Thaumanti, sive Mirino, alia consociata Oceani filia, *Ἠλέκτρη*, Coruscia. Proprie nomen hoc expergiscentem notat, ex qua origine sunt etiam *ἠλέκτωρ* et *ἀλέκτωρ*. Sed quoniam coruscat mare, quum primum quasi expergiscit imminente tempestate fluctuatio, coruscandi significatus adhaesit. Huius filiae sunt *Ἶρις*, Sertia, quod ex septem coloribus conserta est. Huc pertinent Theogoniae versus **780** — **782**. alieno loco positi, quorum hic sensus est, raro arcum caelestem conspici, quum tempestas est. Porro *Ἅρπυιαι*, Rapae, quarum nomina *Ἀελλώ*, Voluta, et *Ὠκυπέτη*, Celerivola: quae quid sint, omnibus apertum est.

Phorcus autem et Ceto quas genuerunt filias, quomodo interpretandae sint, magis reconditum est. Est ea duplex generatio. Primae sunt *Γραῖαι*, Albuneae: quarum nomen proprie canas significare, vestigium ostendit in Germanica lingua conservatum, *grau*. Eae sunt undae,

quae littori illisae spumas agunt. Nam circa scopulos 12 maxime vel prominentes vel latentes aestuat mare. Recedunt eae autem et veniunt. Inde altera, quod aufert, quae sunt in vado, *Πεφρηδώ*, Auferona, dicta; altera autem a verbo *ὕω*, *Ἐνυώ*, Inundona. A cuius rei similitudine etiam in bello dicitur *Ἐνυώ*, et Mars *Ἐνυάλιος*. Fortasse non diversae ab his erant, quas Augustinus aliter interpretatus est, Abeona et Adeona. Romani Veniliam et Salaciam appellabant. Secunda generatio complectitur Gorgones, quae quum dicuntur *πέρην Ὠκεανοῖο* habitare, nihil id aliud est, quam esse eas in medio mari. Nam Oceanus, deposita diluvii significatione, mare magnum est. Ex hac re, et ex ipsa natura Gorgonum, quae ipsae quoque undae sunt, apparet, quare Graeae earum *προφύλακες* ab aliis dictae sint *). Appellatae autem illae *Γοργόνες*, Torvinae, quod magnae sunt, ipsoque adspectu terrent. Harum tria sunt nomina, a triplici natura: *Σθεινώ*, Valeria, a vi; *Εὐρυάλη*, Lativolva, a magnitudine; *Μέδουσα*, Guberna, ab eo quod undarum cursum regit. Hinc intelligitur, cur haec mortalis, illae immortales dicantur. Nam et vis undarum semper manet eadem, et fluctuatio: cursus autem mutatur, ventis, annive tempestatibus mutatis. Medusam *Περσεύς*, Penetrius, capite truncasse dicitur. Quod quid aliud est, quam audacem quempiam iter tentasse per adversum cursum undarum? Vnde prosiluisse narratur *Χρυσάωρ*, Auripeto, qui est lucri cupidus mercator, et *Πήγασος*, Pagulus, a verbo

---

*) De Graeis, quarum tertia Dino, quum refluxus in fluxum vel contra revolvitur, v. Misc. Obss. nov. I. 3. p. 75. ss. Quae quum, ut apud Aeschylum Prom. 794. unum communem oculum dentemque habere dicuntur, est id, quum altera conspicitur, non conspici alteram; quum altera mordet, non mordere alteram. Obscurius et, ut videtur, ex non satis intellectis antiquorum mythologorum verbis illa addita sunt, *ἃς οὔθ᾽ ἥλιος προςδέρκεται ἀκτῖσιν, οὔτε νύκτερος μήνη ποτέ*. Quibus significari videtur, fluxum et refluxum nec diei nec noctis proprium esse, quia, quum non ipso VI. horarum spatio absolvatur, non servat vices dierum.

πηγνύειν dictus, quod est pangere: qui est navis: unde etiam equus, usitata translatione, vocatur, ut apud Plautum in Rudente:

> *nempe equo ligneo per vias caerulas*
> *estis vectae* *).

Chrysaor iunctus dicitur *Καλλιρόη*, Pulcrifluae, Oceani filiae: i. e. fausta navigatione traiecit mare magnum. Inde natus *Γηρυονεύς*, Fabulo, qui, ut nomen declarat, mendaces fabulas significat mercatorum: quare triceps. Sed insequuti temporis tanta fuit levitas, ut, qui ridendis his fabulis inventus esset, ipse credulae ignorantiae materiam fabularum praebuerit. Occidit illum *βίη Ἡρακληείη*, virtus Poplicluti, et quidem *περιῤῥύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ*, in insula [13] vel peninsula Rubellia, (quam ubi terrarum quaerere, quibus lubet, possint, infra apparebit) interfecto cane Orthro et bubulco Eurytione, de quibus mox.

Sequitur alia Phorci et Cetus progenies, *Ἔχιδνα*, Serpens, in specu edita, sedem habens sub terra in montibus Turgentinis, qui a verbo *αἴρεσθαι* *Ἄριμοι* dicti, dimidiata mulier, dimidiata serpens, i. e. ex parte forma spectabili, ex parte autem timenda. Haec omnia nemo non videt eo conspirare, ut terrae motus, tortuoso cursu procedens, et in capite lucidis flammis conspicuus, intelligi debeat. Maritus Echidnae datus *Τυφάων*, Vaporinus, quem Hesiodus ipse ventum appellat. Ex eo coniugio natus *Ὄρθρος*, Erigus, quem apparet montem esse ignivomum. Is canis est Geryonae, quod est custos, quo tutae sunt fabulae mercatorum, ne alii eodem divitias quaesitum eant. Ei paullo ante adiungebatur bubulcus *Εὐρυτίων*, Latipoenus, quo late diffusa vastatio designatur. Locus autem, ubi haec omnia sunt, *Ἐρύθεια*, Rubellia, a rubentibus flammis, dicitur. Porro Echidna

---

*) Quin Germanicum navis nomen *schiff* ipsum est Graecum *ἵππος*.

parit *Κέρβερον*, Hiscium, qui transpositis litteris pro *κρεμερὸς* dictus videtur. Eum craterem seu fauces intelligi debere, unde erumpunt ignes, eo confirmatur, quod canis Orci, et *χαλκεόφωνος* dicitur. Idem, quod montes ignivomi plerumque non uno in loco, sed in multis hiscunt, ignesque eiiciunt, *πεντηκοντακάρηνος* vocatur. Deinde ex iisdem parentibus nascitur *Ὕδρη Λερναίη*, Bullia Palustra. Notum est enim, quassatam infernis ignibus terram saepe in paludem commutari, aquis ubique ebullientibus. Videtur autem etiam nomen *Λερναίη* a *λειρινός*, cui cognatum *λειριόεις*, quod mollem notat, derivatum: unde *λέρνη* est palus, atque inde proverbium *λέρνη κακῶν*. Hydram interemisse dicitur Hercules, qui indicatum quid sit, cum *Ἰολάῳ*, Compoplino, cui nomen a verbis *ἰέναι* et *λαός*. Id est, strenuo congregati populi labore exsiccata esse loca ista. Tum *Χίμαιραν*, Torrentinam, parit Echidna, dictam ab nomine *χείμαῤῥος*. Significat enim profluentia liquefacta saxa atque arenas, quam hodie *lavam* vocant: unde et ignem spirare dicitur, et tria capita habere, sive aptius, ut apud Homerum,

14 *πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,*

i. e. antrorsum vastatrix, in medio torrens, in postrema parte draco, alte flammante cauda. Sedem eius indicatam putant ab Homero Iliad. XVI. 328. quum nutritam ab Amisodaro *) dicit, (disertius filiam huius vocat Palaephatus, et ex eo Apostolius) quem Eustathius ex veteribus scholiis Cariae regem, Aelianus autem et Eudocia Lyciae fuisse volunt. At hoc quoque montis ignivomi nomen est, Perpetivastius, factum, nisi fallor, a verbis *δέρω* et *μίω*, i. e. *findo*, ex quo *μίτος, μίνυνθα, μίκρος, μισθός*, et oppidum *Ἄμισος*. Occidit Chimaeram, Pegaso, i. e. navi missus illuc, *Βελλεροφόντης*,

*) Simile nomen *Pixodarus*, de quo v. not. ad Strabon. Tom. V. p. 617.

Aspricida: ἔλλερα enim grammatici ἐχθρά, πολέμια, ἄδικα interpretantur, dicta a verbo ἔλλειν. Itaque hic est fabulae sensus: exsulem navi missum ad locum, ubi devolutis flammis absumeretur, praeter exspectationem salvum mansisse.

Chimaera ex Orthro peperit Φῖκα, sive Σφίγγα, Anginam: quod est, aestu et fumo suffocatos esse homines; deinde leonem Νεμειαῖον, Pabulinum, quo pestis significatur, ex malis terrae motum sequutis nata. Postea ad Nemeam res omnis et Tretum atque Apesantem translata, vero fortasse leone ansam praebente, cuius antrum adhuc Pausaniae aevo, ut ipse refert II. 15, 2. monstrabatur.

Denique Ceto etiam illum draconem dicitur Phorco peperisse, qui poma Hesperidum custodiebat: quod ipsum de monte ignivomo, et quidem, ut videtur, de Vesuvio intelligendum esse, in promptu est.

Enumeratur deinde Oceani propago. Ei Tethys, ut, quae in terra sunt, nutrirentur, Fluvios peperit, quorum aliquot celebria nomina ipse, ut videtur, de suo adiecit Hesiodus. Porro de ter mille filiabus Oceani aliquot nominatim afferuntur, a vetusto conditore cosmogoniae acceptae. Eae nymphae fontes denotant, nominibus a natura cuiusque ductis, in quorum explicatione immorari nihil attinet. Quaedam earum infra memorandae erunt.

Ex reliquis Titanibus Ὑπερίων, Tollo, et Θεία, 15 Ambulona, creasse dicuntur Ἥλιον, Σελήνην, et Ἠῶ. Huius fabulae, quod ad Solem et Lunam attinet, facilis explicatio est. Solis nomen a volvendo ductum videtur, ut verba ἀέλλα et ἔλλειν ostendunt: Lunae σέλας nomen fecit. Difficilior Ἠὼς videatur necesse est, quae si proprie Auroram significasset, mirum profecto foret, disiunctam ab Sole, et ut singularem eorumdem parentum filiam commemoratam esse. At enim a verbo ἄειν derivatum nomen Auram significabat: quam recte illis parentibus

ortam perhiberi, apertum est. Nec dubitare sinit ipsius progenies, Venti, et, de quibus infra, Memnon atque Emathion.

Κρῖος, Seiugus, et Nerei filia *Εὐρυβίη*, Latipolla, genuerunt *Ἀστραῖον, Πάλλαντα, Πέρσην*. Pertinent haec omnia ad sidera caelestia. Quae quod ex mari prodire viderentur, mater eorum magna vis maris esse dicta est; quod autem separata et peculiari corpore praedita inde exsurgerent, pater datus est Crius, vis separatrix. Nominata est ea progenies tribus nominibus: *Ἀστραῖος*, Pendulus, ex eadem origine, unde *ἀστὴρ* et *ἄστρον*, a verbo *στηρίζεσθαι*; *Πάλλας*, Rotulus, quae est caeli circum axem suum rotatio; denique *Πέρσης*, Trameus, pariter ut Medusae interfector Perseus, a verbo *πείρειν*, pro quo *περᾷν* usitatum, dictus: hic autem zodiacus est, quem sol permeat. Atque haec ita esse, uti dixi, ex iis clarum est, quae de horum progenie referuntur.

Astraeo quidem quum *Ἠώς*, Aura, Ventos peperisse dicitur, tempestates ex siderum certorum ortu pendentes indicantur. Additi duo versus sunt apud Hesiodum:

> *τοὺς δὲ μέτ᾽ ἀστέρα τίκτεν Ἑωςφόρον Ἠριγένεια,*
> *ἄστρα τε λαμπετόωντα, τά τ᾽ οὐρανὸς ἐστεφάνωται·*

qui, ut ipse eorum nexus cum praecedentibus prodere videtur, aliam, eamque recentiorem fabulam continent. Nam hic *Ἠὼς* Auroram significat, et propterea, quod ab oriente oriri sidera videntur, mater horum esse dicitur.

16 Sequitur maxima natu Oceanine, *Στύξ*, Rigua. Eius nomen a verbo *στύειν* derivatum concretas frigore in oris borealibus aquas significare, satis arguere videtur distincta descriptio, quae est in Theogonia a v. 775. Ei maritus datus *Πάλλας*, Rotulus, quod caeli circum axem suum rotatione stato tempore bruma redit. Nati horum sunt *Ζῆλος*, Aemulatio, quod alluentes glaciem undae

ipsae quoque congelantur; *Νίκη*, Victoria, quod victae frigore stant; *Κράτος*, Robur, a duritie; *Βίη*, Vis, quod frangunt, quidquid in eas illiditur, vel in quod ipsae feruntur.

Dehinc *Φοίβης*, Februae, et *Κοίου*, Turbuli, coniugium explicatur. Hi, quoniam purgandis turbidis bruta et inertia ab agitabilibus et vitalibus segregantur, residente crassiore materia, supernatante autem subtiliore, *Λητὼ* dicuntur procreasse, Sopitiam, et *Ἀστερίην*, Actutam. Est autem *Λητὼ* a verbo *λάειν* vocata, quod convolvendi conglobandique significationem videtur habuisse, unde *λᾶς*, *λαός*, *λήθειν*, et alia. *Ἀστερίη* autem eamdem habet originem, quam supra in Astraeo indicavimus. Itaque *Λητὼ* quietem notat: unde *κυανόπεπλος*, et omnibus grata ac suavis dicitur; *Ἀστερίη* autem est, quam Graeci *ἐνέργειαν* appellant, cui rei Latini non habent satis aptum nomen.

Hanc dicitur in amplam domum suam *Πέρσης*, Trameus, deduxisse, ex eaque suscepisse *Ἑκάτην*, Volumniam, cuius nomen quid significet, ex verbis *ἑκὼν* et *ἕκητι* cognoscitur. Eius fabulae haec sententia est, ex agendi studio sollertiaque, addicentibus signis caelestibus, prosperum eventum prodire. Nam Hecate, cuius plurima Hesiodus officia enumerat, hoc nacta est munus, ut nihil, nisi ipsius permissu, recte geri possit. Quae cur triformis, cur triviorum praeses, cur cum Diana confusa, et quae sunt alia huiusmodi, non est huius loci accuratius exponere.

Sequuntur *Ῥεία*, Fluonia, et *Κρόνος*, Perficus. Nam perfici nihil potest, quod non fluxum et mutabile sit. His parentibus creata rerum naturae perfectio tribus filiabus, totidemque filiis significatur. Filiae vitae cultum eum, qui maxime necessarius est; filii spatia, quae sedem hominum terram circumdant, eorumque spatiorum proprias conditiones designant. Maxima natu est *Ἱστίη*, Vesta sive Stata mater, quae domus est et focus, omnis 17 humani cultus principium. Hanc sequitur *Δημήτηρ*, La-

tinis a creando Ceres dicta, quae est victus, quem terra praebet: in quo proximus a certa sede domicilii cernitur vitae excolendae gradus. Tertia est *Ἥρη*, Populonia, quam Empedocles et caeteri veteres aeris regionem inferiorem esse putarunt. At et nomen eius, quod ab ea radice est, unde *ἀραρεῖν* et *ἀρηρέναι*, servatum in Germanico *heer*, et nomen *Ἡρακλῆς*, et coniugium cum Iove, et perpetuae cum eo rixae, et impeditus partus Latonae, et profectio in extremas terrarum oras ad Tethyn Oceano reconciliandam, et certamen cum Diana, de quo quae recte dicta fuerant in Iliadis lib. XX. inepte reficta sunt in lib. XXI. non sinunt dubitare, quin, qui tertius gradus est perficiendi cultus, communitatem debeamus vitae socialis intelligere. Ad eumque modum explicanda erit fabula, quae in principio lib. XV. Iliadis narratur. Fratres harum sunt *Ἀΐδης*, Nelucus, quo nomine intelliguntur loca infra terram abdita; *Ποσειδάων*, Neptunus, qui mare notat, quod terram cingit: ex quo *Γαιήοχος*, Telluricinx. *Ποσειδάων* ille, sive *Ποδειδᾶν*, de quo nomine mira comminiscuntur grammatici, a verbis *πόσις* vel *ποτὸν* et *εἴδεσθαι* dictus, quod potilis videtur, quum tamen propter salsitudinem bibi nequeat. Ab eadem re ab Romanis Neptunus, quasi Nepotunus, vocatur. Vltimus est *Ζεύς*, Fervius, qui loca tenens ea, quae supra terram sunt, fervorem animabilem notat, quod caelestis calor fervere omnia et vigere facit. Et quoniam ibidem etiam tempestates concitantur, fulmen ei ac tonitru tributa. Quae attexta hic est ab Hesiodo fabula de Saturno natos suos devorante, de ea infra dicetur.

Antea enim commemorandi sunt ultimi Titanum, *Ἰαπετός*, Mersius, et *Κλυμένη*, Claeatia, filia Oceani. Hi quattuor genuere filios, Atlantem, Menoetium, Prometheum, Epimetheum. Non est obscurum, pertinere haec ad navigantes, qui in mare fama modo cognitum delati, confracta navi, ignoto in littore eiecti fuerint. Alius fortiter omnia mala sustinuit, qui est *Ἄτλας*, Sufferus, caelum sustinere dictus, quod in extremis oris terram con-

tingere cava caeli videntur; alius, gloriosus antea, in un- 18 dis periit, qui est *Μενοίτιος*, Petiletus. Terra potitis, alius sollertia sua, quae ad vitam sustentandam opus essent, paravit, quem *Προμηθέα*, Prospicem, esse apparet; alium, inertem, nihil nisi navigationis susceptae poenituit: isque *Ἐπιμηθεὺς* est, Poenituus. De Prometheo plures apud Hesiodum fabulae coniunctae videntur. Antiquissima haud dubie est, quae continetur v. 521—531. Ea quum caussam nullam memoret, quare vinctus fuerit Prometheus, sed simpliciter liberatum eum ab Hercule, interfecta, quae cor ei exedebat, aquila, dicat, nihil aliud innuit, quam curis propter interclusam spem redeundi contabescentem, quum alii strenue superatis periculis ad ea loca appulissent, ex malis servatum esse. Recentior quaedam fabula vincula poenam esse voluit. Ea rem sic narrabat. Naufragi in locum delati, qui non cunctos alere posset, partim perituri erant: id enim, opportune indicium praebente scholiasta, his verbis v. 535. indicatum est:

καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι Μηκώνῃ,

i. e. quum de diuturnitate vivendi certarent: qui locus propter allegoricam deorum et hominum appellationem valde memorabilis est. Ibi igitur sollers iste quum defraudasset reliquos, cognito dolo, exclusus ab illis est a communione vitae, ignique ei interdictum. Itaque quum ipse ignis excitandi viam reperisset, qui fons habetur rerum ad vitam necessariarum, tamen poenas fraudis dedit uxoris improbo ingenio.

Revertimur ad Saturnios. Vt antea condendae rerum naturae, ita nunc perficiendae multa fuere irrita tentamenta. Itaque ut Vranus filios suos, simulatque nati essent, rursus abscondebat, ita *Κρόνος*, sive Perficus, quos genuisset, deinceps devorasse dicitur. Sed qui novissimus natus est, Fervius, in quo, quod non mirum, semper mentem cum vi cuncta animante confusam memi-

nisse debemus, eum callide invento dolo Caelum ac Terra *Λύκτον*, Crepuscam, in *Κρήτην*, Temperiam, in montem *Αἰγαῖον*, Salium, miserunt, ubi clam nutritus est.
19 Id est, vis, quae fervere omnia et vigescere facit, diu sub ambigua luce latuit in regione apte ad efflorescendum temperata, et quidem in monte subterraneis ignibus tremebundo. Tandem, quum adulta prorupisset, Perficus iste etiam reliquas vires, quas occuluerat, in lucem remittere coactus est: qui quem primum eiecit, supposititium Fervium, eum genuinus *Πυθοῖ*, Puteolae, *γυάλοις ὑπὸ Παρνησσοῖο*, in cavernis Aggeri, statuit: i. e. fervor non genuinus putrescit, alia desuper materia aggesta. Sed non ante penitus perfrui imperio potuit Fervius, quam plane debellatis Titanibus, exutoque potestate sua Perfico. Quod bellum nihil aliud esse, quam ingentem terrae motum, quo denuo proruperant aegre domitae efferae vires naturae, apertissimum est. Eo in conflictu quod territae etiam immanissimae belluae ex latebris suis in conspectum prodire visae, Centimanos Fervius ad auxilium vocasse dicitur. Ita superati Titanes, Centimanique iis custodes additi: sed *Βριάρεῳ*, Viriato, coniux data *Κυμοπόλεια*, Vndicolona. Id est, belluae se in latebras suas receperunt, vastissimisque earum mare datum est habitandum. Tunc *Τυφωεύς*, Vaporinus, ex Terra natus, restincti incendii vapore adhuc superante.

Iuppiter igitur, sive Fervius, potitus regno, primo uxorem sibi iunxit *Μῆτιν*, Consam, quae non solum filiam ex eo concepit, sed conceptura erat etiam filium, magna exsuperaturum ferocia. Id est, animi sollertiam, semel fervore correptam, artibus inventis, nihil non fuisse tentaturam. Vnde eam gravidam ventre suo condidit, Fervius.

Inde uxorem duxit *Θέμιν*, Statinam, ex qua *Ὧρας*, Tutilinas, suscepit, *Εὐνομίην*, *Δίκην*, *Εἰρήνην*, Aequitatem, Iustitiam, Pacem. Eas a tuendo dictas, Hesiodus ipse testatur. Deinde *Μοίρας*, Tribunas, *Κλωθώ*, *Λάχεσιν*, *Ἄτροπον*, Neiam, Sortiam, Nevortam. Quarum rerum ratio aperta.

Porro *Εὐρυνόμη*, Latipasca, filia Oceani, *Χάριτας*, Gratias ei peperit, *Ἀγλαΐην*, *Εὐφροσύνην*, *Θαλίην*, Splenduam, Hilariam, Floram: quo significatur navigantium commerciis parta opulentia.

Deinde ex Cerere *Φερσεφόνην*, Semoniam, suscepit,[20] quae semen significat, quod segeti affert interitum. Id quoniam terra conditur, *Ἀΐδης*, Nelucus, rapuisse dicitur Semoniam, volente Fervio. Quam mater quum requireret, intercedente patre pacti sunt, ut tertiam partem anni Semonia infra terram esset, reliquas duas autem apud superos: quam fabulam, cuius sensus perspicuus est, non intellectam multis enarrat is, qui Homericum hymnum in Cererem fecit. Ab Latinis Proserpina dicta, quod proserpit e terra semen.

Ex Moneta, quae Graecis *Μνημοσύνη* est, inventrices artium *Μούσας* genuit Fervius, quas Romani a carminando Camenas vocarunt: in qua fabula nihil obscuri est.

Λητὼ autem, Sopitia, geminos ei peperit, *Ἀπόλλωνα*, Necinum, in insula *Δήλῳ*, Manifesta, et *Ἄρτεμιν*, Sospitam, in *Ὀρτυγίῃ*, Emersia. Nam quiescente fervore vitali mors consequitur. Ea vero biformis est, mortali natura manifesto pereunte, incolumi autem emergente immortali. Itaque Apollo et Diana mortem significant: unde arcus et sagittae, et dea venatrix. De Apolline luculentissimum testimonium exstat Iliad. XXIV. 758. seq. de ambobus Odyss. XV. 409. seqq. Morientes autem quoniam futura praesagire creduntur, Necinus deus est fatidicus: inde ei poesis et ars musica, comitesque Musae ipsae datae. Idem postea *Παιάν*, Icilius, vocatus, quod, quos feriret, vitae molestiis liberarentur. Sospita vero mulieres dicta interimere, detorta aliquantum vera fabulae interpretatione, fortasse quod mulieres non, ut viri saepe, ex vulneribus, sed incolumi plerumque corpore moriuntur. Eadem aliquanto post etiam puerperio praefecta, ut matrum prolisque incolumitati prospiceret.

Postremo stabili connubio Fervius sibi iunxit *Ἥρην*, Populoniam, ex qua *Ἥβη*, Iuventa, *Ἄρης*, qui Romanis Mavors, fortasse a malo avertendo, et *Εἰλείθυια*, Venilia, quam Romani Lucinam dicunt, nati. Nam fervor vitalis, isque mente et consilio praeditus, et ut adolescant homines, facit, et ut pleno robore fruantur, et ut genus suum rite propagent.

21 Postea Fervius, quum *Μῆτιν*, Consam, quae gravida ex ipso fuerat, devoravisset, ex capite suo enixus est *Ἀθήνην*, Nelactam, dictam ab eo, quod lacte non esset nutrita. Nam quae per hanc significantur artes domesticae, forenses, bellicae, virilis ingenii sollertia repertae, et fere virorum propriae sunt. Quae quod non sine multa cogitatione inventae, *Τριτογένεια* illa, Tortigena, dicitur. Similiter etiam *Ἥρη*, Populonia, sine marito partum edidit, qui vocatus est *Ἥφαιστος*, a verbis *ἅπτειν* et *ἄϊστος*, quod ignem ex occulto excitet. Is autem artes ignobiliores et sordidiores indicat: unde Latinis a vulgo Vulcanus dictus. Hinc claudus, proptereaque a Fervio e caelo deiectus in *Λῆμνον*, Capuam, a concepto igne appellatam.

Neptunus autem ex *Ἀμφιτρίτη*, Amfractua, suscipit *Τρίτωνα*, Tortunum, quae res plana est. Mavorti vero Spumicita, sive *Ἀφροδίτη*, *Φόβον* et *Δεῖμον*, Terrorem et Timorem, postea *Ἁρμονίαν*, Faventiam, parit; quo non obscurum est, violentos cum captivis mulieribus concubitus, et consequutam inde reconciliationem designari.

Porro Fervio *Μαίη*, Quaesia, Atlantis, i. e. Sufferi filia, *Ἑρμῆν*, Mercurium, peperit, quod quaerendis multo labore opibus commercia iuncta. *Κάδμος* autem et *Ἁρμονία*, i. e. Instruus et Faventia, praeter alias filiam habuere *Σεμέλην*, Solsequam, quae a verbis *σέβειν* et *ἕλη* appellata, vitem significat. Ex ea Fervius filium genuit *Διώνυσον*, Torculum, cuius nomen a praepositione *διὰ* et radice ea, unde *ὄνυξ*, ductum videtur; unde

apud Homerum semper longam esse secundam syllabam Herodianus apud Etymol. p. 280, 6. observat, spurium, ut videtur, iudicans versum in Odyss. XI. 325. *Νύειν* autem nutandi, et deorsum vergendi significationem habuit, unde *νεύειν* factum. Indidem *νύσσειν*, proprie deorsum feriendo pulsare, et *ὄνυξ*, ungula. Hinc *Διώνυσος* proprie exculcatum significat.

Vulcano uxor data una ex Gratiis. *Ἀγλαΐη*, Splendua; Torculo *Ἀριάδνη*, Roborina, filia *Μίνωος*, Manti, qui a verbo *μίμνειν* dictus: roborantur enim vina vetustate; *Ἡρακλεῖ*, Poplicluto, *Ἀμφιτρύωνος* et *Ἀλκμήνης*, i. e. Amtrui et Opitulanae, sed simul etiam Fervii filio, Iuventa, de qua re supra dictum. Nam ille eo inter 22 homines inclaruit, quod quoquo multum migrando venisset, nullam opitulandi opportunitatem praetermittebat.

Soli deinde Oceani filia *Περσηΐς*, Tramea, *Κίρκην* et *Αἰήτην*, Circam et Tellurinum peperit; quo significatur in longinquo ad occidentem mari duplex navigatio, una frustra in orbem facta, altera ad regionem frugiferam delata. Hinc Tellurinus ex Oceani filia *Ἰδυίᾳ*, Gnara, *Μήδειαν*, Prudentinam, suscepisse dicitur, quod, via cognita, rerum utilium scientiam e dissitis regionibus petere didicerunt.

Ceres cur ex *Ἰασίῳ*, Spontano, *Πλοῦτον*, sive Ditem, in fertilibus agris *Κρήτης*, Temperiae peperisse dicatur, in promptu est.

Cadmi et Harmoniae progeniem non eo, quo conveniebat ordine, Hesiodus aliique enumerant. Nam Instruo, i. e. cultori vineae, ex Faventia, quae hic ad annum coquendo vino aptum translata est, prima nascitur *Σεμέλη*, Solsequa, quae est vitis; secunda *Ἀγαυή*, Strenua, quae uvarum legendarum exprimendarumque laborem significat, tertia *Ἰνώ*, Vacuna, quae est hauriendi diffundendique vini opera; quarta *Αὐτονόη*, Sollertina, quae est condendi vini scientia: unde *Ἀρισταῖος*, Optumanus, ei maritus contigit; quintus denique filius *Πολύ-*

δωρος, Multifrux. Hi nati *ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ*, florente in Cultua, quo nomine vinetum designatur, dictum ita a verbo *θήπειν*, unde *θάμβος*, *θάπτειν*, *θωπεύειν*.

Ἠὼς autem, Aura, ex *Τιθώνῳ*, Nutricio, quem rapuit, quo humores ex terra enascentes intelligi apparet, *Μέμνονα* et *Ἠμαθίωνα* peperit, i. e. Manturnum, regem Aethiopum, quod in calidioribus terrarum oris diuturnae regnant pluviae; et Eluum, imbrem, qui rapida vi aquarum auferens omnia, solum arena obducit. Eadem ex *Κεφάλῳ*, Capitone, *Φαέθοντα*, Fulsium, peperit. Is vero auroram significat, quod radii ex capite orituri solis in auris rubescunt: quorum fulgore quod interdum omnia conflagrare videntur, fabula orta est de curru solis imperite recto. Idem Veneris templo custos additus, quod aurora amplexus amantium dirimit.

Aeetae sive Tellurini filiam Medeam, i. e. Prudentinam, *Ἰάσων*, Meditrinus, filius *Αἴσονος*, Opportunii, a 23 *Πελίᾳ*, Pellone, eiectus ex *Ἰωλκῷ*, Sulcimeda, domum duxit, filiumque ex ea suscepit *Μήδειον*, Prudentinum, quem educavit *Χείρων Φιλυρίδης*, Manicatus, filius Librinae. Apertum est, indicari opportune repertum, qui frugum penuria stimulante ab longinquis regionibus auxilium petitum iret: unde tauros aratro iungere doctus, omnique instructus agri colendi scientia, domum reversus est, arte, quam didicerat, sterilitati agrorum remedium allaturus: quam artem acceperunt inde posteri eius, educati in faciendo opere rustico.

Brevius iusto Phoci et Achillis origo ab Hesiodo commemorata est. Ea haec est. *Αἴγινα*, Quassatia, ex Fervio, omnis consilii auctore, peperit *Αἴακον*, Malivortum, a vocibus *αἶ* et *ἄκος* vocatum, cuius ex *Ψαμάθῃ*, Arenia, filius fuit *Φῶκος*, Igninus. Eidem duos alios peperit *Ἐνδηΐς*, Ruinia, *Πηλέα*, Pulsantium, et *Τελαμῶνα*, Sustentanum. Alteri horum, *Θέτις*, Tranquillina, coniux; alteri *Περίβοια* sive *Ἐρίβοια*, Bubu-

lina: quarum ex illa *Ἀχιλλεύς*, Molestinus, ex hac *Αἴας*, Vulturnus nati. Fabulae hoc argumentum est. Insula terrae motu vastata superstites consilium de effugienda pernicie inire coegit. Alii igne in littore accenso signum dedere navigantibus; alii ex reliquiis ruinarum navem construxerunt, quam in altum delati remis in tranquillo mari vix multo labore promoverunt; velis autem ex corio bubulo expansis, commodius navigarunt. Nomen *τελαμών*, a verbo *τέλλειν* ductum, quod propriam habet tollendi significationem, quodlibet sustentaculum notat: unde hic de malo, in quo vela suspensa sunt, intelligendum. Sic Latini telamones, quos Graeci *ἄτλαντας*, vocabant. *Αἴας* autem velificatio est, a motu et agitatione, unde *ἀΐσσειν* est, nomine imposito. Plura, quae hanc fabulae interpretationem confirment, Phoci progenies suppeditare poterit.

Ἀγχίσῃ, Parilino, ex Venere natus *Αἰνείας*, Morigeranus, in monte *Ἴδῃ*, Gnario *), masculae Veneris inter conscios libidinem indicans. Nam ne quis connubium cum parilis sortis coniuge laudari putet, et Veneris commemoratio obstat, et quae de poena Anchisae narrantur, de quibus videndus Meziriacus ad Ovid. Her. vol. II. p. 143. seqq.

Denique *Ὀδυσσεύς*, Indignatus, ex Circa, quae est 24 diuturna in mari iactatio, *Ἄγριον* et *Λατῖνον*, Agrestem et Streperum, genuit, qui *Τυρσηνοῖς*, Turrinis, imperitarunt. Haec apparet in mores nautarum, diuturna navigatione efferatorum, dicta esse, qui a navibus, in quibus degunt, *Τυρσηνοὶ* vocati. Nomen *Λατῖνος* cum verbo *λατύσσειν* cognatum videtur. Eidem Indignato *Καλυψώ*, Occulina, Atlantis filia, *Ναυσίνοον* et *Ναυσίθοον* peperit, Nauparum et Naucitum, quod est, occultos thesauros navibus fabricandis opportunitatem fecisse.

---

*) Bene me Ionicae vocis *ἴδη* Creuzerus admonuit: ut mons iste Latine Silvia vel Silvius dici debeat. Vide Epist. de ratione mythologiae p. 122.

Hactenus Hesiodus. Quae percensenda duxi omnia, quo ne, si quaedam tantum attigissem, ea viderer elegisse, quae casu huiusmodi interpretationem admitterent. Nunc postquam eamdem omnium esse conditionem ostendi, non puto mihi verendum esse, ne quis ludere me voluisse opinetur. Res ipsa vero ludet mythologos, historicos, geographos, quum operose firmata commentorum suorum fundamenta sic spiritu difflari videbunt. Sed in litteris saepe etiam diruendo aliquid condas: eritque, quum haec interpretandi ratio, cuius nunc specimen dedi, omnem veterum populorum mythologiam illustrabit, licet nec dei, nec numinis, nec religionis ullum in ea vestigium reperiatur. Caeterum quam infinita hic bonis observationibus materia parata sit, non latebit vel rem ipsam, vel quae a nobis dicta sunt, considerantibus.

DE HISTORIAE GRAECAE PRIMORDIIS DISSERTATIO *).

Quae superiore anno de antiquissima Graecorum mytho- 3
logia scripsi, fuerunt qui ioco scripta putarent. Hi, quid sentirem, iam ex epistolis meis ad Creuzerum, quas ille una cum suis edidit, cognoscere potuerunt. Sed incepta tantum est illa disputatio, nec mihi nunc ad eam reverti otium est. Placuit tamen, opportunitate scribendi data, cognatum argumentum attingere, quod spectat ad historiae Graecae primordia. Nam quum antiquissimam populorum historiam fabulis obscuratam esse constet, quae res movit historicos, ut tempora fabulosa ab iis temporibus, in quibus certa narratis fides esset, distinguerent: plerique, quae commentis poetarum et famae temeritate perturbata viderent, neque credenda, neque non credenda rati, quum summam tamen rerum veram esse existimarent, magnis, licet vanis conatibus, quia viam rei agendae certam non habebant, conficere aliquid veri, mirasque illas dissensiones, quae quum aliis in rebus, tum maxime in temporum rationibus inveniuntur, componere allaborarunt. Et recte illi profecto, si ita est, ut putant, famae

*) Edita est a. 1818.

lusu poetarumque inventis vitiatam esse veritatem. At aliud reliquum est: non illud dico, quod fortasse quispiam coniiciat, prorsus fictas esse narrationes illas: nam id abhorret ab illa antiquitatis simplicitate: sed hoc, quod credere iubet stupenda illa, et, si fortuita esset, quovis portento miraculosior nominum omnium ad unum finem conspiratio, longe alias res, quam videtur, narrationibus istis contineri, ita ut narrationes quidem fictae sint, res autem, quas continent, non sint fictae. Quod si ita est, apparet, videndum esse, quae sint illa, quae non sunt ficta. Ea vero aut historica sint necesse est, aut non historica. Si historica sunt, novus historiae fons recludetur, 4 non adhibitus antea; si non historica, hoc certe historia lucrum faciet, quod qui largus eius, licet parum limpidus fons habebatur, alio derivatus, non amplius adulterabit historiam. Sed habet haec disputatio non parum difficultatis, sive originem harum fabularum spectes, sive interpretationem, sive coniunctionem cum vera historia. Dicam de singulis, quae mea sit sententia; eamque deinde exemplo illustrabo, quo illud confirmem, quod nunc ut concessum sumo, fabulas istas narrationes esse non proprie intelligendas, sed quae res omnes, nominibus appellatas iis, quae naturam earum indicent, quoad fieri possit, ut personas vita praeditas introducant.

Huiusmodi igitur fabulis si historiae primordia contineri contendimus, verendum est, ne id parum credibile esse existimetur. Nam quum omnes gentes insito hominum generi gloriae studio maiorum suorum memoriam recolere, resque ab iis gestas narrando celebrare consueverint, cui non mirum, ac potius incredibile videatur, Graecos, gentem laudis avidissimam, adeo oblivioni tradidisse nomina maiorum suorum, ut pro iis fictos quosdam et commenticios colerent? At factum tamen esse necesse est, si vera sunt, quae de fabulis illis diximus. Desinemus vero mirari, ut opinor, si reputaverimus, quod ipsae satis declarant fabulae illae, poetis hanc omnem adornationem deberi. Quorum quum omnis ars, ut et hae fa-

bulae, et omnis mythologia docet, in eo posita esset, ut rudi sane tentamento res omnes, quoad eius fieri posset, in personas animarent: consentaneum, immo necessarium erat, ut his personis, quo quid sibi vellent intelligeretur, nomina imponerent naturae earum convenientia. Quo factum est, ut poetarum sermo, quod ad nomina attinet, prorsus a communi sermone diversus esset: quem propterea deorum, ut illum hominum linguam dicebant: id quod etiam Islandiae incolas fecisse monuerunt interpretes ad Iliad. α. **403.** Quoniam autem penes poetas omnis erat rerum divinarum humanarumque scientia, non est mirum, ex horum auditione commenticias illas appellationes pro vulgaribus obtinuisse, et ita quidem, ut indocta et credula multitudo, paullatim obliviscens veritatis fabulis istis 5 involutae, etiam ipsa commenta poetarum vera esse sibi persuaderet.

Difficilior est interpretatio fabularum. Quae quum tota fere ex nominibus petenda sit, non modo propter vetustatem nominum perobscura saepe atque ambigua est, sed etiam propter rerum, quae nominibus illis significantur, diversitatem haud paullum dubitationis habet. Nam quum duo sint rerum genera, unum singularium, quod nomina propria habet, ut certi homines locive, alterum infinitum, quod communibus appellatur nominibus, ut montes, silvae, flumina, naves, aut hominum munera, officia, virtutes, vitia: hoc posterius quidem genus, si personis induendum erat, necessario fictis quibusdam nominibus, quae ad hunc finem apta essent, indigebat: in illo priore autem genere nulla huiusmodi apparet necessitas. Et profecto locorum certe nomina ea esse videmus, quibus vere sunt illi loci appellati: ut aut, si haec vera sunt, etiam hominum nomina vera credere oporteat, aut, quoniam de hominibus non est credibile, loci quoque debeant fictis nominibus vocati esse, aut denique, quod solum reliquum est, locorum aliam esse, quam hominum conditionem necesse sit. Et ita sane videri potest. Homines enim moriuntur, mortuisque nihil praeter factorum

memoriam superat, ut rectissime quis ex eo, quod fecerit, appelletur. Loci vero manent: qui si aliis quam suis nominibus vocantur, aut ignoti, aut ementiti videri debent, nominibus illis quales, non qui sint, indicantibus. Et de ignotis quidem locis non difficilius credebant homines, quam de hominibus, quia de his fidem habebant narranti: notis autem in regionibus si nomina locorum non vera commemorata fuissent, detraxissent ea narratis fidem, quia scivisset quisque, non exstare eos. Vnde sane absurdum videbitur, in iis, quae de notis regionibus narrabantur, ficta usurpata esse nomina. At quantumvis speciosa haec argumentatio sit, non evincit tamen, ut poetas non etiam in locorum nominibus eadem ratione, qua in hominum, usos esse statuamus: modo meminerimus, nomina, quae ab natura rerum ducta sunt, non esse conti-6 nuo ficta nomina, sed ea tantummodo ficta dicenda esse, quae ab his, quibus in vita communi utebantur, discrepant. Nam poetae illi sine dubio locis non minus quam hominibus ab natura eorum faciebant nomina: sed quia manebant loci, manserunt etiam nomina, et facta sunt propria. Certum enim videtur, multa locorum nomina ex his poetarum fabulis originem traxisse. Vbi autem loca, quae iam habebant nomina sua, commemoranda essent, ineptum fuisset alia iis nomina tribuere, quia iam illi, qui primi nomina ista invenerant, ea aut ab natura illorum locorum, aut ab aliquo memorabili facto deprompserant. Praeterea in rebus, quae ubi actae essent, nihil referret, vera locorum nomina, quae accommodata his rebus essent, delecta videntur; nec minus, quae notis in regionibus gesta erant, iis potissimum in locis facta dici, quorum apta rebus istis nomina invenirentur. Postremo hoc quoque reputare debemus, multis fabulas illas additamentis exornatas ad nos pervenisse: unde veri simile est, quum iusta earum interpretatio iam in oblivionem abiisset, et commenta poetarum ipsa vera esse crederentur, multorum accessisse commemorationem locorum, quorum nulla in fabulis istis mentio fuerat. Hinc aliquot sunt locorum nomina, quorum significatio quomodo cum rebus ibi gestis

congruat, vix videatur intelligi posse. Quod si haec ita sunt, prima in interpretandis fabulis illis et praecipua regula haec esse debet, *nomina formam habere nominum propriorum, vim autem et significationem appellativorum.* Cuius regulae observatione uti de sensu fabulae cuiusque certiores reddimur, ita ea etiam velut uno ictu inextricabiles aliter locorum temporumque conturbationes dirimit, siquidem ubi idem nomen non unius certi loci hominisve nomen est, sed omnium, quorum par aut similis conditio fuerit, non est mirum, locos longissime dissitos, hominesque multis aetatibus disiunctos eodem nomine vocari. Facile autem intelligitur, ex hac regula aliam nasci, quae haec est: *nomen idem diversis rebus tributum, confusionem fabularum; explicationem diversam eiusdem rei, varietatem narrationum produxisse.* Ita, qui nuper diligenter de rebus Aegineticis 7 scripsit, Car. Müllerum quum ipsum insulae nomen, tum tot urbes, quae Aegae dictae sunt, Aegaeum mare, Aegaeus mons, Aegaeon, Aegeus, Aegialeus, Aegimius, Aegyptus, aliaque multa nomina, ipsa denique petulcis cornubus insurgens, quae Iovem nutrivisse fertur, capella admonere potuerant, ne aeneae caprae caussa *Αἴγιναν* recte Quassatiam verti negaret.

Sed dicendum est denique etiam de coniunctione harum fabularum cum vera historia. Ex quibus quum aperte effloruerit historia, discerni quidem hoc potest certissimo indicio, quod propriis, non appellativis nominibus utitur, neque, quod coniunctum cum hac re est, res personatas introducit. Intelligitur autem hoc ex eo, quod nomina iam fortuita sunt, nec nisi casu cum rebus ipsis conveniunt. Verum quoniam non repente, sed paullatim facta est haec narrandi res gestas commutatio, quum, quae antiquissimi personata tradiderant, non intellecto quid sibi vellent, pro veris haberi coepissent, et modo, luxuriantibus poetarum ingeniis, mira commentorum varietate augerentur, modo etiam cum rerum vere gestarum

narrationibus coniungerentur: perdifficile est et saepe prorsus negatum, confinia describere fabularum atque historiae. Accedit, quod qui primi historiam scripserunt, quum non sensum, sed verba illarum fabularum sequerentur, partim conciliare, quae inter se pugnarent, partim coniectando et ratiocinando ad liquidum perducere studuerunt: quibus deinde, ut idoneis auctoribus, creditum est, quum credi omnium minime debuerit. Sed ut possit historia a fabulis satis discerni, illud quaerimus, quid sit in ipsis illis fabulis, quod historiae nomine dignum sit. Quarum si haec, uti diximus, ratio est, ut omnia non propriis nominibus, sed appellativis designent, nihil aliud eas continere apparet, quam quali quid in loco et a qualibus hominibus gestum sit. At haec non est historia. Nam historiae proprium est, ut id, quod narratur, cum eo cohaereat, quod hi, quibus narratur, ipsi sensibus suis percipiunt. Quumque historia et quid factum sit, et a quo, et quando, et ubi, indicare debeat, de his omnibus testium fidem requirimus, quae in rebus pervetustis fere eo redit, 8 ut, quae narrantur, neque per se incredibilia sint, neque his, quae certo facta scimus, repugnent. Sed in his quod primarium est, certum aliquod factum, id quum sponte intelligatur et a certis hominibus et certo tempore et certo in loco factum esse, tamen nulla re magis cum iis, quae vera esse scimus, cohaeret, quam loci significatione. Nam homines certi non possunt intelligi, nisi qui certarum gentium fuerint, eoque locos tenuerint certos; tempora autem ex factis horum hominum computantur: unde si loci incerti sunt, etiam caetera labefactari necesse est. Quod si, ut supra dicebamus, etiam loci in fabulis istis appellativa habent nomina, quomodo sciemus, ubi res illae gestae sint? Tribus modis, nisi fallor. Primus, isque certissimus est, quum, quae narrantur, ipsa certum loci indicium praebent. Secundus, quum quid apud certum maxime populum celebratum videmus: verisimile est enim, ibi aliquid gestum esse, ubi plurima eius fama circumferatur. Tertius denique, quum nomina locorum, quae in fabula sunt, aperte de his locis, qui vere iis nominibus

vocati sunt, intelligenda esse apparet. Quamquam hoc, ut supra diximus, non ubique satis certum argumentum est, propterea quod multa horum nominum postero demum tempore in fabulas istas videntur illata esse.

Haec si vere disputata sunt, non magis eos, qui fabulas veteres ab historia segregant, quam illos, qui ista omnia sic, uti narrantur, acta esse credunt, audiendos putabimus, sed, detracto ornatu poetico, iustaque interpretatione adhibita, materiem narrationum illarum res esse vere gestas censebimus. Simul autem ipsa rei natura nos admonebit, nihil in hoc genere tam incertum esse, quam temporum rationes; neque obliviscemur, uti recentia, vigente adhuc plerorumque factorum memoria, longa videntur, ita antiqua, paucissimorum commemoratione servata, brevia videri.

Sed placet iam, quae diximus, exemplo comprobare. Inachi filiam Io, Argis profugam, post longos errores in Libyam venisse dicunt; ab hac ortas Danaides rediisse Argos, quarum ab una genus duxisse Perseum, a quo Persidas Argis imperitasse; quorum partem expulsos [9], et ex his Herculem natum esse; huius posteros tandem reversos sibi Peloponnesum subiecisse. Referam haec, omissis quae non sunt necessaria, Apollodoro potissimum auctore, qui libro secundo de his rebus exposuit. Sed in eo deseram Apollodorum, quod huic Io octava demum generatione ab Inacho orta perhibetur, quum eam plerique et gravissimi auctores filiam fuisse Inachi dixerint.

Igitur Oceani filius *Ἴναχος*, Evacunus, filiam habuit *Ἰώ*, Itiam, quam amans Iuppiter quum in vaccam transformasset, quo ea *Ἥραν*, Populoniam, lateret, haec *Ἄργον*, Micuum, custodem multis oculis praeditum puellae addidit, furoremque ei immisit. Micuum quum Mercurius, oculis eius consopitis, occidisset, aufugit Itia. Non est obscurum, aquas dici, quae fluvio aliquo sive lacu exundante, imbribus auctae, (is est amor Iovis) tortuoso

cursu sibi viam fecerint; hinc cornua, insigne fluviorum, et vaccae forma. Populus, qui ea loca accolebat, aggere aquas cohibuit ex argilloso limo, qui et albus est, unde nomen Argi, et spongiosus plenusque tubulis, unde *μυριωπὸς* et *πολυόφθαλμος;* ab origine autem et officio idem *γηγενής*, terrigena, et *Ἀλευάδης*, filius Averrunci, dictus. *Ἄργον* Micuum verti, ut ambiguitatem nominis servarem. Nam qui cognata vocabula comparaverit, communem omnium micandi significationem reperiet, quae nunc ad solam celeritatem, nunc etiam ad candorem translata est. Satiato aqua limo, oppletisque rimulis omnibus, quae res per consopitos oculos indicatur, aquae, via reperta, quod Mercurio auctori adscriptum, perruperunt, et libero cursu se profuderunt: unde nomen *Ἰώ*. Errores Ius persequi longum est et inutile: finis eorum videndus. De quo sic Apollodorus II. 1, 3. *τελευταῖον ἧκεν εἰς Αἴγυπτον· ὅπου τὴν ἀρχαίαν μορφὴν ἀπολαβοῦσα, γεννᾷ παρὰ τῷ Νείλῳ ποταμῷ Ἔπαφον παῖδα. τοῦτον δὲ Ἥρα δεῖται Κουρήτων ἀφανῆ ποιῆσαι· οἱ δὲ ἠφάνισαν αὐτόν. καὶ Ζεὺς μὲν αἰσθόμενος, κτείνει Κούρητας· Ἰὼ δὲ ἐπὶ ζήτησιν τοῦ παιδὸς ἐτράπετο· πλανωμένη δὲ κατὰ Συρίαν ἅπασαν· ἐκεῖ γὰρ ἐμηνύετο ὡς τοῦ Βυβλίων βασιλέως γυνὴ ἐτιθήνει τὸν υἱόν· καὶ* 10 *τὸν Ἔπαφον εὑροῦσα, εἰς Αἴγυπτον ἐλθοῦσα, ἐγαμήθη Τηλεγόνῳ τῷ βασιλεύοντι τότε Αἰγυπτίων.* Non opus fuerat, Aegyptum et Nilum nominari. Manifestum est enim, Io ipsam aquas esse Nili: quae multis amfractibus in eam regionem, cui Aegypto nomen est, delatae, recuperata pristina forma, i. e. rursus exundantes, omnia occupant: unde filius Ius *Ἔπαφος*, Occupus. Hunc ut occultent, Populonia rogat Iuventios; quos perpetrato facinore occidit Iuppiter. Id est, populum per eos, qui aetate et sollertia maxime vigerent, canales fecisse, quibus defluerent aquae; sed conatum hunc irritum fuisse. Non dissimilem fabulam narrat Diodorus I. 19. Porro quum Itia filium apud reginam Pleniorum, ubi alebatur, invenisse, et reversa in Aegyptum Proculigno, regi Aegypti, nupsisse dicitur, apertum est, significari deside-

ratum incrementum Nili, copiamque aquarum ex montibus, qui iis pleni sint, quos Aeschylus *Βύβλινα ὄρη* vocat, iterum profusam, idque deinde quotannis factum, quasi per legitimum cum remotissimo earum fonte connubium, qui ob fertilitatem, quam affert, merito rex Aegypti dictus est *). Eadem caussa etiam Epaphus rex Aegypti perhibitus, cui uxor *Μέμφις*, Remeligo, peperit filiam *Λιβύην*, Oppletiam, quod annua Nili exundatio limo omnia, quae infra Memphin sunt, oppleta destituit. Vide Herodotum II. 14. Postea nomen Libyae latius extensum.

Consistamus hic paullum. Nam quum apertissimum sit, haec omnia ad Africam pertinere, et Inachum fontes esse Nili, Nilum ipsum autem per filiam Inachi Io designari, quomodo cum his illud conciliabimus, quod eadem Io et Argiva ab omnibus perhibetur, et omnem propemodum Europam atque Asiam peragrasse dicitur? Facile, ut opinor, si quattuor diversas fabulas in unam confusas esse cogitabimus. Vna est, quam explicuimus. Secunda, in qua Io aquas paludis Maeotidis perrupto gemino freto, cui utrique ab ea re Bospori nomen inditum, per pontum Euxinum in Hellespontum profusas significat. Tertia fabula et quarta Argivorum propriae sunt. Ac tertia quidem aliter ab aliis narratur: v. Pausaniam II. 5, 5. 16, 1. schol. Eurip. ad Orest. 920. 11 1239. ed. Matthiae, et Hyginum fab. 145. sic autem ab Apollodoro: Inachum, sive Evacunum, et *Μελίαν*, Cicurinam, sive Mitigam malis, genuisse *Φορωνέα* et *Αἰγιαλέα*, Feronium et Orum; Orum, sine liberis mortuum, nomen reliquisse Peloponneso *Αἰγιάλειαν*, Oram; Feronio ex *Τηλεδίκη*, (sic enim scribendum) i. e. Procu-

---

*) Description d'Egypte. III. Livrais. Memoire sur le lac Menzaleh par M. le Géneral Andréossy. p. 261—278. Hic sumit magnam multitudinem Nili aquarum aliquando ad occidentem per Libyae deserta sibi viam fecisse. V. Diar. Gotting. 1820. 10. Iun. N. 94. p. 935. s.

licia, natos *Ἄπιν* et *Νιόβην*, Abitium et Imimeam; Abitio, saevo tyranno, a quo Poloponnesus, *Ἀπία*, Abitia, dicta, insidiis *Τελχῖνος* et *Θελξίονος*, Mulciberi et Bitillicis, interempto, Imimeam ex Iove primam mortalium peperisse *Ἄργον*, Micuum, qui regno Feronii accepto Peloponnesum ab se Micuam appellaverit; huic ex *Εὐάδνη*, Vbertina, *Στρύμονος* et *Νεαίρας*, Torrentii et Recentanae filia, genitos *Ἔκβασον* (id enim genuinum nomen est) *Πείρανθον* sive *Πείρασον*, *Ἐπίδαυρον*, *Κρίασον*, Egredum, Tentonem, Incolum, sive ille ab accendendo igne, sive ab indormiendo dictus est, et Dividum; Ecbaso natum *Ἀγήνορα*, Ducentium; huic *Ἄργον*, Micuum. Horum hic videtur sensus esse. Fluctibus diluvii componi coeptis, defluxerunt aquae, omnia secum auferentes, et, oris patefactis, vastum ubique desertum relinquentes: quod est crudele regnum Abitii, quem Aeschylus *Ἀπόλλωνος*, Necini, filium dicit. Nam Buttmannus vereor ut multis persuasurus sit, quod in Lexilogo T. I. p. 67. seq. neglectis, quae maxime consideranda erant, in medium attulit. Regno isti Abitii insidiabantur artes et invitamenta adeundi terram firmam. *Τελχῖνες* dicti videntur quasi *Τευχῖνες*, ut *Τελμησσός*, et *Τευμησσός*, de quo Valckenarius ad Phoen. 1107. Sed humor terra resorptus fecit adiuvante caelesti calore, ut herbae emicarent, quarum ubertas, imbrium copia et recenti fecunditate soli procreata, eos, qui navibus ad ea loca appulerant, movit, ut egrederentur, tentarent regionem, habitarent, et inter se dividerent. Egressi alios eodem adduxere, unde splendida progenies. Is Argus est: quem vereor ne Apollodorus non recte oculatum illum esse putaverit. Illud vero recte fortassis, quod oculato illi Argo, siquidem hic limum significat, ex *Ἰσμήνη*, Lentula, *Ἀσωποῦ*, Lutatii, filia *Ἴασον*, Itium, cuius filia *Ἰώ*,
12 Itia, fuerit, natum dicit. Quod est, aquas ex locis palustribus lento lapsu paullatim in alacriorem rivum collectas, deinde exundavisse. Vnde Aeschylo Lernam petiisse Io dicitur. Quarta denique fabula ea est, cuius Herodotus mentionem facit I, 1. Io, Inachi regis filiam,

raptam a Phoenicibus, et in Aegyptum asportatam esse. Nam verba τὴν Ἰνάχου bene vindicavit Buttmannus in Museo stud. antiq. Germanico vol. II. P. II. p. 371. seqq. Ita igitur quum modo Argivae mulieres, modo exundantes aquae vel Nili, vel paludis Maeotidis, vel fluvii cuiuspiam Argivi eodem Ius nomine dicerentur, poetae, de interpretatione fabularum securi, omnia ad unam Argivam puellam retulerunt, et, quo ea apte coniungerent, varias errorum Ius descriptiones contexuerunt.

Sed redeo in viam. Libya, sive Oppletia, ex Neptuno parit Ἀγήνορα et Βῆλον, Ducentium et Liminem: quod est navibus delatos ad Libyam, alios longius progressos esse, alios in ipsa ora mansisse. Limen uxorem duxit Ἀγχινόην, Proximinam, filiam Nili, ex qua geminos suscepit, Αἴγυπτον et Δαναόν, Volucrem et Naucularium: quorum Volucer Arabiam petiit, Naucularius autem Libyam tenuit. Apertum est, captum ex tempore ab advenis, qui manserant, consilium dici, quorum alii Arabiam occuparint, equorum velocitate ad rapinas conversi, qui mos ad hodiernum usque diem mansit Arabiae; alii autem, manentes ad mare, navigationi operam dederint. Hinc quae Nauculario nascuntur quinquaginta filiae, naves esse apparet; praedones autem, qui totidem sunt filii Volucris. Quos metuens Naucularius cum filiabus confugit Ἄργος, Micuam. Nihilominus eo venere Volucris filii, nuptum illas sibi petentes. Daturum se spondet Naucularius, sed clam mandat filiabus, ut prima nocte sponsos interimant. Fecerunt id illae, praeter unam, quae sponsum, quod se virginem esse sivisset, incolumem servavit. Non est obscurum, naves dici a praedonibus captas, sed deinde naufragium passas, praeter unam, quam tempestas cum praedonibus, qui eam ceperant, redire in portum coegit. Haec quod felicius navigarat, Ὑπερμνήστρα, Praenisia, dicta: praedonum autem, qui eam tenebant, vigilantia Lyncei nomine significata. Praenisiam pater Naucularius carcere aliquamdiu inclusam, postea Lynceo uxorem dedit: i. e. praedones, quum spe

13

potiundae navis excidissent, et ipsi in illorum potestatem, quorum ea navis erat, venissent, familiares factos, propriam accepisse illam navem. Reliquae Naucularii filiae quum victoribus in solemni certamine nuptum datae dicuntur, de qua re explicatius scripsit Pindarus Pyth. IX. 195. nihil aliud quam refectas esse quassas naves et ad defensionem instructas indicatur. Obiter addo, nota illa Danaidum apud inferos poena sortem navium describi, quae ubi in scopulos illisae fatiscunt, omnem exhauriendi laborem eludunt.

Iterum hic duae fabulae in unam coniunctae. Nam ut fuerint, qui ex Aegypto propter Arabum incursiones Argos confugerent, (sic autem fama erat apud Argivos) at quis etiam Arabiae equites Argos venisse credat? Itaque qui illuc *Αἰγυπτιάδαι* venisse dicuntur, praedones sunt maritimi, a navigandi celeritate ita vocati.

Post Danaum Argis regnans Lynceus ex Hypermnestra uxore *Ἄβαντα*, Nebitonem, genuit, qui ex *Μαντίνεως*, Vaticini, filia *Ὠκαλέᾳ*, Convola, geminos suscepit, *Ἀκρίσιον* et *Προῖτον*, Inseparantium et Proficiscentium: i. e. praedones per connubia cum iis, quorum in potestatem venerant, iunctos non amplius de abitu cogitasse, sed postea propter vaticinium quoddam congregata multitudine partem manere, partem abire decrevisse. Et abit Proficiscentius in *Λυκίαν*, Luciam, i. e. nisi fallor, orientem versus. Inseparantius autem uxorem ducit *Εὐρυδίκην*, Latiiuriam, *Λακεδαίμονος*, Dii Locutii, filiam, ex qua *Δαναήν*, Nauculariam, suscepit: quo significatur, manentes in patria, deorumque ius sancte colentes, navigationi operam dedisse. Sed praedixerat oraculum, interemptum iri Inseparantium a nepote suo: nempe metuendum erat, ne navigantium commercia, auctis opibus, dominationem opulentiorum afferrent. Vnde Naucularia diligenter observata, sive, ut poetae dixerunt, turri in-
14 clusa est. Nihilominus ea auro corrupta concepit *Περσέα*, Penetrium, sive Expugnantium dicere malis: qua

re cognita, eiecta est in cista, i. e. suspecti in navem impositi, et in exsilium acti. Delatam navim ad *Σέριφον*, Corruam, (quae, nisi fallor a *σείειν* et *ῥίπτειν* dicta, quasi terrae motu proruta) cepit *Δίκτυς*, Retius, frater regis *Πολυδέκτου*, Accipitris. Piratas intelligi, vel ex his satis clarum est; magis etiam ex iis, quae sequuntur. Nam amore Danaae captus Polydectes, quum, adulto Perseo, potiri ea non posset, convocatis amicis, ut ad celebrandas nuptias *Ἱπποδαμείας*, Vedomnae, filiae *Οἰνομάου*, Vindemii, symbolam conferrent, equos ab omnibus exegit: quos Perseus quum dare nollet, postulavit Polydectes ab eo, ut, quoniam se vel caput Gorgonis allaturum iactasset, staret promissis, et id exsequeretur. Ita ille necessitate coactus, quum ducibus Graeis pervenisset ad Gorgones, potitus equo Pegaso, qui ex cervice occisae Medusae prosiluerat, in Aethiopiam avolavit, insectantibus Gorgonibus; liberataque ibi Andromeda, redux ad Seriphios, quum ibi matrem Danaen et Dictyn ad aras auxilium deorum adversus vim et violentiam Polydectae implorantes invenisset, ostenso capite Gorgonis, Seriphios in lapides transformavit, regnoque Dictyi tradito, cum matre Danae et Andromeda Argos repetiit. Plana hic omnia. Fratres sunt Dictys et Polydectes, quia ambo praedones: sed alter ceperat navem; alter, dux praedonum, sibi eam vindicabat, ad se pertinere fructum capturae ratus: sed metuebat tamen Perseum, i. e. navigantes, captos cum navi. Adultus hic dicitur, quod qui cum fluctibus conflictantes facile capi potuerant, servati e mari magis erant ad resistendum idonei. Hoc metu ut se liberaret Polydectes, expeditionem indicit ad vinum afferendum; piratisque omnibus naves apparantibus, Perseus, sive peregrini illi, quibus adempta erat navis, ipsi quoque vinum quaerere cupientes, quum per ludibrium iuberentur sine navi mare traiicere, conati non modo undas ad littus spumantes, sed etiam remotiores fluctus natando superare, deyicto adverso eorum cursu, navi, quae in mari stationem habebat, potiuntur, et sic vela dant, atque Aethiopiam petunt. In Aethiopia re-15

gnabat *Κηφεύς*, Flexius. Hunc et Phineum Euripides ex Belo, plerique aptius ex Agenore prognatos scripsere. Cepheum fuerunt etiam qui a Neptuno genitum dicerent. Et hic quidem ab eo dictus, quod iter, quo ignotam regionem explorabat, retro flexit; *Φινεὺς* autem, Littorinus, quod in littore sedens, adventumque navis alicuius sibi vaticinans, obtusa prospectando oculorum acie, misero foedoque victu, quem fluctus a procellis non rursus raptum in vado relinquerent, vitam toleraverit. Ex his igitur Flexius uxorem habuit *Κασσιέπειαν*, Facundinam, quae quod sese pulcriorem Nereidibus iactasset, hae una cum Neptuno indignatae undis obruerunt regionem, immiseruntque belluam marinam; a quibus malis non aliam liberationem esse oraculum dixit, quam si filiam illi suam *'Ανδρομέδην*, Viriregam, belluae isti praedam obiicerent. Quod factum est, puella ad rupem alligata. Horum hic sensus est. Navigantes ad ignotam regionem delati, quum per accolas oberrantes facundia sua, ut Homericus Vlysses, multum auri collegissent, (hoc enim regit homines) reversi omnibusque se navigantibus feliciores rati, littus fluctibus vastatum, haerentemque navem suam in aggesta glarea, quae per *κῆτος* significatur, invenerunt. Ita divitias suas in littore deponunt, glareae removendae praedam futuras. Casu adveniunt isti, qui Seripho a praedonibus aufugerant, potirique his opibus cupientes, consentientibus illis, navem eorum remota glarea (id est enim occidi monstrum marinum) in mare protrudunt, acceptisque divitiis, sua navi abeunt. Reversi ad praedones, quum ex improviso iam ut hostes apparuissent, praedones stupore ac metu obriguerunt. Itaque vindicata navi, in qua olim capti fuerant, et imperio praedonum permisso ei, qui ceperat ipsos, ut minus iniusto, domum revertuntur ad suos revisendos. Id est, quod Acrisii visendi caussa Perseus Argos rediisse dicitur.

At Acrisius, sive Inseparantius, oraculi metu in *Πελασγιῶτιν*, Hostiam, se receperat, ubi *Τευτάμιος*, Apparo, rex *Λαρίσσης*, Volupiae, ludos funebres celebra-

turus erat. Eo venit in itinere etiam Perseus, et in cer- 16 tamine imprudens percutit pedem Inseparantii, quo ictu is perit. Ille agnito quem occidisset, sepelit eum, et, veritus regnum eius poscere, quod hereditarium ipsi erat, *Τίρυνθα*, Tortonam, se confert ad filium Proficiscentii *Μεγαπένθην*, Perdolentium, cum eoque sortes commutat, ut is Argis, sive Micuae, ipse autem Tortonae imperet, communitis *Μιδεία* et *Μυκήνη*, Fissia et Patulina, urbibus. Ibi nascuntur ei ex Virirega *Ἀλκαῖος*, *Σθένελος*, *Ἕλειος*, *Μήστωρ*, *Ἠλεκτρύων*, *Γοργοφόνη*, Opitius, Valerius, Capio, Capessitor, Exercitanus, Trucida. Nihil aliud his continetur, quam reversos illos esse, qui olim pulsi et a piratis capti fuerant, quumque in itinere devertissent ad ignotos quosdam advenas, invenisse ibi illos, a quibus fuerant eiecti: hi enim ubi redire illos audiverant, alias sedes quaesitum ibant, vindictam metuentes. Ibi casu eos illi impediunt a progrediendo: is est ex pedis vulneratione interitus: pudore tamen non ipsam patriam suam repetunt, sed ad eos populares suos, qui sponte abierant, accedunt, quos inveniunt male afflictos et dolentes infelici profectionis suae successu. Itaque convenit, ut hi in antiquam patriam redeant, ipsi autem horum sedes occupent. Et quoniam multis cum divitiis advenerant, communitis urbibus antea vicatim habitatis nec moenia habentibus, opes sibi, et potentiam, et amplificandi regni copiam, et nova moliendi facultatem, et belligerandi strenuitatem, denique etiam classem parant. Haec est enim *Γοργοφόνη*, nupta *Περιήρει*, Praeremio.

Iam *Ἀλκαῖος* et *Ἱππονόμη*, Opitius et Equipasca, filia *Μενοικέως*, Domitui, *Ἀμφιτρύωνα* et *Ἀναξὼ* procreant, Amtruum et Subigam. Domi manentium enim est, equos alere opi ferendae hominibus, si domi ad cursum instituantur. Nisi verius Pheneatae, ut Pausanias narrat VIII. 14, 2. *Λαονόμην*, Poplipascam, *Γουνέως* Fecundani, filiam, uxorem Alcaei fuisse dixerunt, quo apertum est auctam multitudinem hominum, et inde ex-

peditionum faciendarum, subigendique alios opportunitatem factam dici.

17 *Μήστορι*, Capessitori, et *Λυσιδίκῃ*, Iurupae, *Πέλοπος*, Nigrini, filiae, *Ἱπποθόη*, Equicita, nascitur: quam raptam Neptunus in insulas *Ἐχινάδας*, Spineas, transfert, ex eaque *Τάφιον*, Sepelinum, creat, qui *Τάφον*, Sepeliam, condit, populumque *Τηλεβόας*, Clamitanos, vocat. I. e. novandi cupiditas cum barbarica iniustitia coniuncta navem piraticam fabricatur, et saxosas insulas petens, ibi sepelit, quidquid ingenti cum clamore impetum faciens rapuit. Sepelini filius fuit *Πτερέλαος*, Pinnigrex, quem Neptunus aureo capillo donatum immortalem fecit. Ei filia *Κομαιθώ*, Crinicrema, et filii *Χρόμιος*, *Τύραννος*, *Ἀντίοχος*, *Χερσιδάμας*, *Μήστωρ*, *Εὐήρης*, Fremo, Torsius, Pertinax, Manceps, Capessitor, Remex. Significatur praedo, celeres naves habens, et maritimis latrociniis perpetuo aurum coacervans.

Exercitanus Subigam sibi connubio iungit, filiamque ex ea suscipit *Ἀλκμήνην*, Opitulanam, et filios complures, ex quibus tantum postremum natu nominare attinet, *Λικύμνιον*, Subolescentium, ex pellice *Μιδέᾳ*, Fissia, natum, muliere *Φρυγίᾳ*, Frixia. Significantur autem militum vagi concubitus eum mulieribus opera domestica obeuntibus, et succrescens inde proles.

Σθενέλου et *Νικίππης*, i. e. Valerii et Vincequae, *Πέλοπος*, Nigrini, filiae, quam alii *Ἀστυδάμειαν*, Vrbidomam, vocant, progenies fuerunt *Ἀλκινόη* et *Μέδουσα*, Praesidiana et Guberna: post natus *Εὐρυσθεύς*, Latipos, qui deinde Patulinae rex fuit. Nam quum *Ἡρακλῆς*, Popliclutus, nasciturus esset, Iuppiter autem dixisset, qui primus ex Persei semine in lucem esset proditurus, eum regnaturum esse, Populonia Lucinam adduxit, ut partum Poplicluti moraretur, maturaret autem Latipotis, unde

is septimestris natus. Haec apparet sic interpretanda esse: opibus secundo cum peregrinis commercio auctis praesidium partum esse et imperium; post latius extensam potentiam; vacuo autem regno non virtuti, sed populi favore, potentiae tributum esse imperium, etiam immaturae.

Exercitano Patulinae regnante, filii Pinnigregis cum Sepelinis venerunt, Capessitoris avunculi regnum repetentes: quos parvi faciebat Exercitanus: at illi armenta eius 18 abegerunt. Quae quum eripere iis conarentur filii Exercitani, ad internecionem pugnatum est, servatis tantum Subolescentio, Exercitani filio, adhuc adolescente, et Pinnigregis Remige. Qui evaserant Sepelini, vela dederunt cum armentis, eaque servanda commiserunt *Πολυξένῳ*, Frequentato, regi *Ἠλείων*, Palantium. Redempta inde reduxit ea Amtruus Patulinam: Exercitanus autem, caedem filiorum ulturus, regno filiaque Opitulana Amtruo, qui se virginem eam servaturum iuraverat, commissis, bellum inferre Clamitanis parabat. Ibi dum recipit armenta, Amtruus in unam ex vaccis, quae discedebat a grege, baculum coniicit, quod a cornibus eius in caput Exercitani resiliens, hunc perimit. Eo praetextu Valerius, Argis eiicit Amtruum, atque ipse Patulina et Tortona potitur, Fissiam autem arcessitis Nigrini filiis, *Ἀτρεῖ* et *Θυέστῃ*, Netremo et Furio, tradit. Haec quoque plana sunt. Praedones invadunt regnum virorum bellicosorum, acrique proelio fortissimis utrimque occisis, et superstitibus tantum hinc adolescentibus, hinc remigibus, cum praeda abeunt, eamque apud hospitem, errones omnes recipientem, relinquunt. Missi illuc, qui eam vindicarent, ubi redierunt, tuendi regni cura iis demandatur. Sed, dum recuperata explorantur et percensentur, pars deesse videtur: unde orto tumultu, rex ipse perit: quo facto, qui potentia valebant, non sinunt illos summa rerum potiri, sed abigunt eos, ipsique imperium invadunt, parte regni commissa viris impiis, quorum malignitas magni postea discidii caussa exstitit.

Amtruus iam cum Opitulana et Subolescentio Θήβας, Cultuam, se confert, ubi Κρέοντος, Regi, beneficio lustratus, sororem suam Περιμήδην, Praeconsam, uxorem dat Subolescentio. Opitulana quum nupturam se edixisset ultori peremptorum fratrum, Amtruus, assumptis compluribus sociis, vastat insulas Sepelinorum, sed vivo Pinnigrege capere non potest. Verum filia huius Crinicrema, amore Amtrui capta, evulso patri aureo capillo, unde vita eius pendebat, facit, ut Amtruus insulas sibi 19 omnes subiiciat. Hic interfecta Crinicrema, praeda onustus, insulisque Ἑλείῳ et Κεφάλῳ, Capioni et Capitoni, traditis, Cultuam revertitur. Indicant haec, expulsos a finitimis ad loca culta se recepisse; ibi iuventutem eorum educatam et salutaribus praeceptis formatam esse; quum autem ulciscendis iis, qui a praedonibus occisi fuerant, meliorem sibi conditionem parare cuperent, misisse eo viros bello gerendo aptos, quos aliis advocatis sociis bellum fecisse praedonibus; sed quamdiu his celeres naves essent, quas inexhaustis thesauris suis semper sibi novas in locum amissarum parabant, non potuisse eos debellare; at incolas insularum, diuturno bello fatigatos, optantesque ut vinceret obsidentium exercitus, incendio perdidisse thesauros. Ita illos potitos insulis, diripuisse eas, et parte sociorum ibi relicta, ne his quidem pepercisse, qui incendendis thesauris expugnationem adiuverant.

Reversus Amtruus compressam ab Iove invenit uxorem suam Opitulanam, quae geminos enititur, Popliclutum ex Iove, Ἰφικλέα, Viclutum, ex Amtruo. Popliclutі facta prolemque praetereo. Eo post multa praeclare gesta mortuo, filii eius, Latipotem fugientes, Τραχῖνα, Tesquam, ad Κήϋκα, Tranquillum, concesserunt: ubi quum sibi tradi eos postularet Latipos, relicta Tesqua, per Ἑλλάδα, Volviam, aufugerunt, donec persequente eos Latipote Ἀθήνας, Nelactam, compulsi sunt, ubi ad Ἐλέου, Miserantii, aram considentes, auxilium implorarunt Nelactanorum. Impetrato, magna strages edita

filiorum Latipotis, ipse autem in fuga fracto curru in ru pibus *Σκειρωνίσιν*, Asperoniis, ab *Ὕλλῳ*, Aquario, interfectus est. Inde Poplicluti progenies totam Peloponnesum cepit, sed sterili anno incidente, coacta est in *Μαραθῶνα*, Tabenam, se recipere: *Τληπόλεμος*, autem, Perduellius, quum imprudens Subolescentium in ipsa adhuc Peloponneso occidisset, exsul abiit *Ῥόδον*, Teneriam. I. e. ex his, qui diuturna illa expeditione exercitati ad suos redierant, exstitisse fortissimos viros, qui longe lateque vagati, plurima egregia facinora ediderunt. Horum posteri, quibus infensi erant illi, qui eos expulerant, confugerunt in locos saltibus asperos, et latitarunt 20 ibi aliquamdiu sine vexatione. Sed quum se non amplius tutos putarent, huc illuc acti, compulsi sunt in loca sterilia, ubi impetrata incolarum misericordia auxilioque, loci natura iuvante, qui alendis hostibus non sufficiebat, vicerunt eos, et partim mari merserunt. Vnde reversi vastarunt Peloponnesum, sed idem ipsi passi sunt, ut victus inopia, amissaque in proeliis maxima parte iuventutis, mari se committere, atque amoeniorem sedem quaerere cogerentur.

Alii postrema aliter narrant, ut Diodorus IV. 58. revertentes duce Aquario, quum in Isthmo hostem invenissent, pactione facta, duos pro universis dimicasse Aquarium et Cohibuum, qui *Ἔχεμος* Graece dicitur: caesoque Aquario, ex pacto recessisse illos. Quod apertum est significare, in Isthmo navibus advectos prohibitos esse escensionem facere. Sed redeo ad Apollodorum, quo auctore superstes mansit Aquarius, qui quum uxore ducta *Ἰόλῃ*, Copiana, tertio anno, quia segetem tertiam exspectari oraculum iusserat, reditum tentasset, a *Τισαμένῳ*, Vindicio, *Ὀρέστου*, Exciti f. vincitur, caeso in pugna *Ἀριστομάχῳ*, Fortissimano. Iterum eodem accepto oraculo, *Τήμενος*, Immansius, edoctus tertiam generationem significari, in *Λοκρίδος*, Calviae, parte ea, quae *Ναύπακτος*, Navalia, dicta est, classem fabricatur. Ibi mortuo *Ἀριστοδήμῳ*, Optumatio, relicti filii ex *Ἀρ*–

γείᾳ, Micuana, *Αὐτεσίωνος*, Vltronei filia, *Εὐρυσθένης* et *Προκλῆς*, Latipotens et Proclutus. Etiam classis afflicta, quod *Ἱππότης*, Equirius, filius *Φύλαντος*, Gentiani, qui ex *Ἀντιόχῳ*, Pertinace, nepos erat Poplicluti, vatem quemdam interfecisset. De qua re oraculum consulenti Immansio responsum est, Equirio ad decem annos in exsilium acto, duce uteretur trioculo. Invento *Ὀξύλῳ*, Acutulo, *Ἀνδραίμονος*, Cruentani f. qui uno oculo captus equo insidebat, exsul in *Ἦλιν*, Palantiam, et inde in *Αἰτωλίαν*, Mendiciam, concesserat, iam autem domum redibat, hunc ducem sequuti, vincunt, occiduntque Vindicium; ipsi autem amittunt filios *Αἰγιμίου*, Exsultii, *Πάμφυλον* et *Δύμαντα*, Omnigenium et Immersium. 21 Sortitisque deinde Peloponnesum, Immansio *Ἄργος*, Micua; Optimatii filiis *Λακεδαίμων*, Divilocutia; *Κρεσφόντῃ*, Primoricidae, *Μεσσήνη*, Mediana, obtigit. Horum hic sensus est. Qui superstes erat exercitus, novis copiis auctus iterum tentat Peloponnesum: sed clade accepta, fortissimisque militibus amissis, in regione altis montibus septa classem parat. Ibi moriuntur homines nobilissimi: reliquae tamen satis idoneae adhuc copiae sunt, quas nobilium illorum claritas ad partes ipsorum perduxerat. Sed classe, quae confecta erat, per tempestatem disiecta, cuius rei culpa referebatur ad nautas, qui suspectum quemdam interfecissent, diu dilatam esse expeditionem. Tandem, exsulem quemdam, qui caede perpetrata multum vagatus et mendicatus erat, debili rate fretum traiicere videntes, ea parte ipsi quoque traiiciunt, eosque, a quibus afflicti ante fuerant, acri proelio vincunt: in quo etsi ipsi quoque partem omnium sociorum et qui maxime in acie fuerant, amittunt, tamen victores trifariam Peloponnesum inter se dividunt.

Deduxi haec eo, quo volebam. Quae si sic, uti dixi, intelligenda sunt, mirum est, ad quam exilitatem tot splendidissimae narrationes extenuentur. Nam ut locorum nomina omni fictionis suspicione libera esse statua-

mus, quid aliud habemus, quam res magnam partem a praedonibus gestas, easque vix dignas memoratu? Quod si summam ex his colligimus, haec est, quae historia appellari possit. Advenae Aegyptum atque Arabiam occuparunt. Ex Aegypto quidam Argos seu venere seu rediere. Ibi eos invaserunt praedones, quorum nonnulli manserunt apud eos. Postea pars rerum novarum cupida alio sedes quaesitum abiit. Ex his, qui remanserant mercaturam exercentes, pulsi quidam sunt, qui dominationem affectare videbantur. Qui quum multas regiones pervagati magnis cum opibus redirent, illi, qui eos expulerant, prae metu reliquerunt sedes suas. In quos quum casu incidissent, eosque impedivissent longius progredi, iam non Argos, pristinam patriam suam, desertam nunc, sed Tirynthem petunt, ubi misere vivebant, qui olim Argis sponte abierant. His Argos missis, ipsi 22 Tirynthe, communitis Midea et Mycenis, regnum condunt potentissimum, parsque eorum insulas Echinades occupat, et ibi latrocinia exercet. Hi latrones postea praedantur Mycenas. Inter Mycenenses lite ob recuperatam praedam orta, fortissimi viri a potentioribus, qui Mycenas et Tirynthem occupant, Mideam autem scelestis quibusdam hominibus committunt, in exilium aguntur. Hi Thebas se conferunt, diuturnoque bello insulas Echinades in potestatem suam redigunt. Posteri eorum, infestantibus optimatibus Argivorum, qui regno eos excluserant, huc illuc vagati et labores multos pertulerunt et plurima ediderunt egregia facinora. Aliquanto post, acrius insectantibus eos Argivis, quum aliquamdiu Trachine latuissent, ad Athenienses concesserunt, quorum auxilio strenue dimicantes fregerunt potentiam Argivorum, ut adeo regnum eorum vastaverint. Sed fame et proeliis attriti, pars se in insulam Rhodum contulit, caeteri alio discessere: qui identidem tentata Peloponneso, tandem Naupacti classe structa tantis cum copiis expeditionem susceperunt, ut et subigerent Poloponnesi maximam partem, et eam inter se dividerent.

Sed satis. Quod si quis haec quoque ioco dicta putabit, delectetur ille, per me licet, seriis historicorum, qui ab ipso diluvio, quot annos quisque regum nunquam natorum regnaverit, in numerato habentes, anno post Troiam captam octogesimo hunc Heraclidarum reditum contigisse sciunt.

CENSVRA NOVAE EDITIONIS THESAVRI STEPHANIANI *).

Quae magno cum favore doctorum hominum in lucem emitti coepta est editio Thesauri Graecae Linguae ab H. Stephano conditi, eius nuper is ad nos perlatus est fasciculus, qui numero tertius, re primus, et tantum non ipsum praestantissimi operis initium est. De quo libro quum a nobis posceretur ut sententiam nostram expromeremus, etsi sciebamus non paucos vel apud notrates, vel apud exteros esse, qui et plenius essent et rectius hanc provinciam administraturi, tamen non committendum putavimus, ut detrectando hoc negotio parum officiosi videremur. Accedebat, quod neminem tam iniquum fore intelligebamus, qui in tali libro iudicando, qualis hic Thesaurus est, aut exhauriri omnia, aut etiam pleraque attingi vellet, nec satis haberet, in universum quid praestitum sit, recte et considerate dici. Est autem ne hoc quidem perfacile, quoniam neque de consilio, quo tantum opus susceptum est, idem omnes sentire verisimile est, et ratio, qua condi debeat, non modo hominibus aliis alia, sed etiam gentibus probari videtur. Quibus omnibus sententia

*) Edita est a. 1818. Londini in Diarii classici fasciculo XXXV.

dicenda satisfacere tanto difficilius est, quod saepe diversis non modo diversa, sed contraria placent. Verum etsi satisfieri omnibus nullo modo posse intelligimus, tamen illud studebimus efficere, ut aequis harum rerum arbitris nihil, quod non idoneis rationibus munitum sit, attulisse videamur. Ac de eo quidem inter omnes convenire putamus, Editores doctissimos Thesauri Stephaniani tantam et in locupletando hoc libro industriam, et in expoliendo diligentiam adhibere, ut inde non possit non summa ad studia Graecarum litterarum utilitas redundare. Cuius meriti quo insignior est magnitudo, quoque plus laboris in illa opera exantlandum est, tanto certius confidimus, neminem fore, quin ex animo gratias, quantae maximae sint, agendas his viris censeat. Quam infiniti enim laboris sit, exempla ab H. Stephano citata exquirere, copias a compluribus hominibus doctis congestas disponere, scriptores omnis generis eorumque interpretes inspicere, in singulis locis vocabulisque quae dubia atque ambigua sunt ponderare, postremo ex his omnibus vera eruere, id is demum recte aestimaverit, qui non dicam ipse similis operae periculum fecerit, sed vel unam alteramve pagi-
2 nam huius novi Thesauri ita pertractaverit, ut, quae ibi exposita sunt, omnia accurate pervestigaret. Et haec quidem tam laboriosa opera quemadmodum Editoribus Thesauri non potest non summae laudi esse, ita nobis excusationi erit, si in sententia de hoc libro dicenda tantum hic illic aliquid delibabimus. Nam si totum hunc Thesauri fasciculum pari diligentia percensere vellemus, vel in legendo eo et per singula considerando plus temporis, quam ad scribendum nobis concessum est, consumendum foret.

Duae res in iis, quae ad litteras Graecas pertinent, longe sunt difficillimae, lexicon scribere, et grammaticam. Vnde id ex doctis hominibus perpauci facere ausi sunt; indocti autem, quippe ne cognitam quidem rei magnitudinem habentes, certatim fecere. Et lexica quidem Graeca qui post Stephanum condiderunt, eorum tantum

abest hunc ut superaverit quisquam aut aequaverit, ut, quum omnes longe eo inferiores esse appareat, optimi ii videantur esse, qui nihil nisi in compendium redegerunt huius Thesaurum. Etenim duplex maxime error in hoc omni negotio dominari solet. Alii enim copiam vocabulorum praecipue consectantur, in qua est quidem aliqua, sed non primaria virtus posita lexicorum, praesertim quum pleraque huius generis incrementa in verbis vel compositis vel flexionum varietate multiplicatis consistant: quae quum etiam sine interprete facile intelligantur, minus desiderantur omissa. Alii autem toti se ad origines verborum indagandas dederunt, quod valde quidem laudandum est, quia haec optima est et planissima via ad significationes constituendas, sed nisi admodum caute et circumspecte haec ratio adhibeatur, plus damni ex ea, quam lucri redundare solet. Quam multa enim vocabula in lexicis quibusdam propter illam rationem vel in ordinem recepta videmus, vel commemorata certe, quae non modo numquam in usu fuerunt, sed magnam partem etiam analogiae et legibus linguae repugnant. Tanto magis nos quidem saepe admirati sumus H. Stephanum, cuius lexicon et virtutibus, quae maximae in hoc genere sunt, ita eminet, et tam immune est a vitiis, in quae facillime quis incidere potest, ut illud non modo vere Thesauri nomine dignum, sed plane divinum opus esse videatur. Ac nostra quidem sententia, qui vere rem aestimare voluerit, tantam fuisse H. Stephano intelliget linguae Graecae scientiam, quanta vix umquam ullo fuit in alio homine. Neque enim veremur, ne quis hoc in Hemsterhusios aut Valckenarios, aut si qui alii horum similes exstiterunt, iniquius dictum censeat, si reputaverit, quanta his discendi adiumenta quum aliunde, tum ab ipso Stephano in promptu fuerint; Stephanum autem, praeter Budaei praeclaram sane operam, vix quidquam, quam quod sua ipse industria sibi parasset, habuisse. Praeterea graviter errant, qui linguae scientiam in eo versari putant, ut quis verba singula, significatus, constructiones exemplis communire possit. Nam haec dimidia tantum pars est eius, quae

recte linguae scientia appellari queat: altera enim pars, 3 eaque non minus necessaria, immo aliquanto etiam praestabilior, in eo posita est, ut quis ingenium linguae quasi imbiberit, illamque cum ea familiaritatem contraxerit, quae eum etiam sine exemplis statim sensu quodam, rectene an secus aliquid dicatur, admoneat. Nam quae tandem haec scientia foret, quae in exemplis tantum consistens, si quid praeter illa exempla occurreret, id nesciret utrum probandum, an improbandum esset? Immo is demum vere dici potest linguam aliquam didicisse, qui non minus quam in ea, quae ipsi vernacula lingua est, etiam sine exemplis statim, quid rectum, quid pravum sit, videt atque diiudicat. Hoc vero est illud, quod in H. Stephano prorsus admirabile deprehendimus: qui ea re dici vix potest quam longe anteverterit plerosque, qui post eum, multo commodioribus usi opportunitatibus, vix diuturna cogitatione id assequuti sunt, quod ipse multo ante quasi naturali quodam instinctu compertum habebat. Nec profecto, qui diligenter consideraverit cursum illum, quem linguae Graecae scientia usque ad haec tempora tenuit, non poterit fateri, etsi partes eius nonnullae subinde aliquid incrementi ceperint, tamen universam paullatim mirum quantum imminutam esse, usque dum novissimis temporibus quasi denuo revixit, et coniunctis doctorum hominum studiis eo adducta est, ut multa, quae non ita pridem etiam doctissimi ignorabant, iam pueris nescire dedecus habeatur. Quorum nonnulla, quae diligenti doctorum virorum opera eruta sunt, si etiam Stephanus nesciebat, non illud sane mirum est: at pleraque tamen illum, quae post quasi denuo reperta sunt, vel nota habuisse, animadvertimus, vel divinasse certe sensu quodam, qui in eo viro erat plane eximius.

Huius igitur tanti viri Thesaurus hanc habet primariam laudem, quod in eo de singulorum verborum usu variisque potestatibus et diligentius est, quam in caeteris lexicis omnibus, et accuratius, eoque cum temperamento explicatum, ut neque necessaria omitterentur, neque cumularentur supervacanea.

Secundum hoc illud quoque praeclare factum est, quod verba non sunt singula ad litterarum ordinem disposita, sed pro sua quaeque origine ad capita quaedam relata, quo et derivationes facile perspiciantur, et significationum cognationes ac diversitates statim uno obtutu comprehendi queant. Quamquam hac quidem in parte fieri non potuit, ut ille omnes numeros impleret. Nam et per se valde ambigua est haec de originibus quaestio, et ubi semel hanc viam ingressus sis, modum tenere difficillimum est. Verumtamen hic quoque sapientissimum admirari licet Stephani iudicium, qui plerumque non obsoleta aut ficta verba pro radicibus posuerit, sed ea, quae usitata sunt, et a quibus quid derivatum esset, facile quivis, qui lexico illo uteretur, posset intelligere. Videbat enim in lexico scribendo mediam quamdam viam tenendam esse inter veram, sed magis reconditam verborum cognationem, et eam, quae omnibus aperta esset. Quam viam qui deseruit Dammius in lexico Homerico et Pindarico, quid aliud quam monstrum quoddam lexici in lucem emisit? Sed quo difficilius est, iustam rationem sequi, et neutram in partem peccare, eo facilius condonabimus Stephano, si non satis constantem in hac re deprehenderimus. Sic, ut unum saltem exemplum afferam, disiunxit ille locis verba *τέγγειν* et *τήκειν*, quae sunt unum idemque verbum duplici forma usurpatum.

Commemoravi haec eo fine, ut indicatis praecipuis virtutibus Thesauri Stephaniani distinctius de locupletando et corrigendo eo lexico quaeri posset. Ac non nihil mirati sumus, quid fuerit, quod Editores, quum in epistola ad lectorem, quam interim praefationis loco esse voluerunt, de multis aliis rebus dicerent, de ea, quae primaria erat, nihil plane dixerint, nisi hoc, noluisse se in ipso Stephani libro quidquam mutare. Neque alibi quidquam de ea ratione, qua edituri essent hunc Thesaurum, ab iis scriptum accepimus, nisi quod a viris et inter populares suos et apud exteros litterarum Graecarum scientia claris, ut communicarent secum, si quid habe-

rent, quod esset augendo illi libro, petierunt. Ex quo aliquid dubitationis nobis subnatum esse fatemur, an iis cupiditas doctorum, maturari editionem flagitantium, tempus praeciderit, quo opus erat ad tantum opus ita et instituendum et perficiendum, ut illud ex omni parte consummatissimum iudicari posset. Ac vellemus quidem fecissent viri praestantissimi, quod fieri par erat in paranda editione operis immortalis, quae ipsa aeternum huius aevi monumentum exstitura esset: exposuissent prius accurate de universa ratione, quam sibi sequendam putarent, omnesque harum litterarum peritos invitassent, ut suam quisque de ea sententiam in medium afferret, quo deinde id, quod optimum visum esset, et, si non omnium, certe plerorumque assensu comprobatum, adscisceretur atque effectum daretur. Sed bene scimus, nullum esse humanum opus, quod ab omni parte perfectum sit, nec tam iniqui sumus, ut, quod nullam plane reprehensionem admittat, requiramus: immo in tam immenso, tamque variae et multiplicis rationis opere fieri non posse intelligimus, nihil ut sit, quod non queat aliter, ac rectius fortasse institui: sed quo magis ingentem rei difficultatem perspicimus, tanto maiore laude ornandam censemus eorum industriam, qui ut non quod omnibus numeris absolutum esset, at magnum tamen quid et prorsus eximium effecerunt. Verum censoris est, summae perfectionis speciem animo informare, ad eamque, quidquid iudicet, exigere, etiamsi sciat, neminem exstiturum esse, qui facto consequi illam perfectionem queat, praesertim in tali opere, quod verendum erat, ne, si omnia ad summam severitatem expendere Editores voluissent, numquam fuisset in lucem proditurum. Ita igitur ut dici putent, quaecumque dicemus, et Editores praestantissimos, et omnes, qui haec legent, rogamus. Etenim quum ad laudandum infinita suppetat 5 materia, ut commemorandis, quae nobis probantur, finem non essemus inventuri: malumus, quod et utilius et gratius fore lectoribus speramus, ea tantum afferre, in quibus nonnihil ab Editoribus doctissimis dissentimus.

Videntur Editores voluisse, ut hic liber omnem linguae Graecae, quae antiqua et incorrupta habenda esset, ubertatem quam diligentissime explicatam comprehenderet. Ad eum finem quattuor potissimum res erant, quae quod in Thesauro, quem Stephanus edidit, desiderantur, praecipua cura indigebant: primum, ut adderetur ingens copia vocabulorum, quae vel in aliis lexicis iam reposita sunt, vel adhuc in omnibus desunt; secundum, ut et augerentur ea, quae minus plene explicata a Stephano essent, et corrigerentur, quae minus recte dicta; tertium, ut explanarentur illa, quae certarum doctrinarum propria sunt, earum praesertim, a quibus plerique philologorum alieniores esse solent, ut quaecumque ad res arithmeticas, geometricas, astronomicas, medicas, ad animalium, arborum, herbarum, lapidum naturas et varietates, ad philosophiam, denique ad grammaticam pertinent; quartum, quod aegre quum in Stephani, tum in caeteris lexicis desideratur, ut indicarentur mensurae syllabarum, quae quum omnino non sint negligendae, tum, quoniam pro dialectis scribendique generibus mirifice variant, singularem requirebant in adnotando diligentiam. His rebus quo modo et per quos maxime viros providerint Editores, valde dolemus non esse indicatum. Et illud quidem, quod postremum nominavimus, mensuram syllabarum, neglexisse Editores videntur. Neque illi in nominibus propriis qua ratione usi sint, dixerunt, quorum perpauca commemoravit Stephanus. At, ut nos quidem arbitramur, haec minime omnium negligenda sunt, non solum propter formas, quas vel ipsa, vel etiam quae ab iis derivantur, valde memorabiles habent, sed etiam quia magna pars horum nominum longe antiquissima sunt veteris Graecorum linguae monumenta. Debebat autem ad haec pro hodierno statu philologiae hoc quintum accedere, ut in singulis vocabulis etiam viri docti, qui passim in scriptis suis ea explicuissent, vel aliquid, quod operae pretium esset, de iis protulissent, diligenter commemorarentur, quo, quae in ipso lexico locum non invenirent, lectores, unde petere deberent, possent cogno-

scere. Et hac quidem in re Editores doctissimi non sunt passi diligentiam suam desiderari.

Maior dubitatio de ordinanda atque adornanda tam diffusa materia moveri poterat. De qua re omnium maxime vellemus, Editores sententiam suam cum lectoribus communicassent. Qui nihil aliud, quam non mutato ullo Stephani verbo librum se paullo melius dispositum exhibituros esse dixerunt. Ac reverentiam quidem illam, quam tanto viro habent, ut, quae ab illo scripta sint, mutare nefas ducant, magnopere laudandam putamus: merito enim liber ille et sua ipsius praestantia et longa duorum et dimidiati saeculi veneratione quamdam quasi sanctitatem adeptus est. Tanto magis miramur, quod, qui adeo religiosos se fore professi erant, ut ne unum quidem verbum Stephani mutare vellent, statim in prima pagina, quod ille scripserat, „"Ἄλφα, praeter figuras quas illi in fronte huius paginae dedi," sic mutarunt: „"Ἄλφα, praeter figuras, [quas ad finem operis, cum omnigenis literarum ductibus et compendiis, subiectas videbis,]" et paucis versibus post, quod scripserat Stephanus, „ut aliquando, Deo favente, in meo de Calligraphia Graeca libro videbis," omittendum, et in adnotationibus ponendum putaverunt, ea caussa, quod is Stephani liber lucem non vidisset. At adnotari haec poterant etiam verbis istis nec mutatis nec deletis. Alterum vero illud, quod dicunt, paullo melius a se dispositum iri Stephani lexicon, id quale intelligi voluerint, nemo erit, qui non explicatius declaratum cupiat, si quidem haec res, ut supra innuebamus, dubitationis plenissima est. Atque, ut nobis quidem videtur, etsi optandum foret, ut certiore quadam ratione radices linguae constituerentur, quam ab H. Stephano factum est, ad easque deinde singula verba apto ordine disposita referrentur: tamen nisi quis novum plane lexicon condere vellet, servandum erat illud, quod Stephanus exstruxit, aedificium, sed mutatis iis, quae ad usum incommoda sunt. Nam quum praecipua virtus sit lexicorum, ut quam facillime quidque inveniri possit, ei rei non

ubique ab H. Stephano satisfactum videmus. Quod si huic commoditati prospectum ab Editoribus esset, et gratiam iniissent magnam ab omnibus, qui usuri sunt hoc libro, et fecissent, ut opinamur, quod ipse facturus fuisset Stephanus, si iterum edidisset illum Thesaurum. Sunt autem tria potissimum, quae valde incommoda sunt utentibus Stephani libro: primum, quod quaedam, quae per oblivionem omissa fuerant, in calce voluminum adiecta sunt; et haec quidem non dubitamus quin Editores ibi, ubi collocari debebant, reposituri sint; secundum, quod multa, quae quis in ipso Thesauro quaerenda coniiciat, Indici, ac saepe ob eamdem illam rationem, quod neglecta fuerant, inserta sunt. Sic statim ab initio, quum verbum *ἀάζω* in Thesauro positum sit, quis non ibidem etiam *ἀάσκω* commemorandum fuisse censeat? At hoc in Indicem coniectum est, nec placuit Editoribus novi Thesauri eam rationem deserere, licet iidem aliquot alia verba ex Indice in ipsum Thesaurum receperint. Cuius consilii quum quas caussas habuerint non indicatum sit, non potest ea non inconstantia quaedam videri. Ac nos quidem, Io. Scapulae exemplo, totum Indicem Thesauro ipsi inserere suasissemus: quo facto mirum quantum commoditati utentium consultum fuisset. Nam ne peregrinas quidem voces seiungendas fuisse existimamus, siquidem nulla est lingua, quin aliquas aliunde sumptas voces interdum usurpet: multo minus ea vocabula, quae quarumdam dialectorum propria sunt, ab ipso Thesauro disiuncta vellemus, ut quae et Graeca sint, et saepe antiquissima. Haec suis quaeque locis reposita, deinde poterant indice quodam secundum gentes urbesque disposito enumerari, quo facilius unum in locum congesta, uno etiam obtutu comprehenderentur. Tertium denique, quod incommodum est iis qui Stephani Thesaurum consulunt, hoc est, quod quaedam verba ut ubi quaerenda sint discas, Indicis inspectione opus est. Sic *ῥήσσω*, *ῥήγνυμι*, et quae hinc derivantur, allata sunt in verbo *ἀράσσω*; *ῥῶ*, *ῥῆμα*, in *εἴρω*; *ῥοθός*, *ῥίν*, *βροτός*, *ἀμβροσία*, *ἀβροτάζω*, in *ῥέω*. Haec et similia iis locis poni nos

quidem vellemus, qui supersedere quaerentes molesto illo Indicis usu sinerent. Sed haec, coepto iam opere, frustra optamus. Quin veremur, ne in nova editione etiam augeatur quaerendi labor: de qua re infra dicemus. Nunc illud commemorare satis sit, interdum neglectum esse ordinem litterarum. Sic p. 146. seqq. haec deinceps explicantur, *Αὐτοάγαθος*, *Αὐτοαγαθότης*, *Ὑπεράγαθος*, *Ὑπεραγαθότης*, *Αὐθυπεραγαθότης*, *Ἀγαθωσύνη*, *Ἀγαθικός*. *Ἀγαθῖνος*, *Ἐπάγαθος*, *Ἰσάγαθος*, *Μισάγαθος*, *Ὁμοάγαθος*, *Πανάγαθος*, *Παναγαθία*, *Φιλάγαθος*, *Φιλαγάθως*, *Φιλαγαθία*, *Ἀφιλάγαθος*, *Ἀπειράγαθος*, *Ἀπειραγάθως*, *Ἀπειραγαθία*, *Ἀπειραγαθέω*, *Ἀρχάγαθος*.

Sed dicendum iam est de ipsis incrementis, quibus locupletari hic Thesaurus coeptus est. Quorum tam infinita copia est, eaque tam accurate tractata, ut incredibilem Editorum industriam ac diligentiam non solum gratissimo animo agnoscamus, sed maxime etiam admiremur. Et primo, praeter ea, quae Editores ipsi congesserant, opibus eos usos esse ex schedula tertio fasciculo adiecta cognoscimus Schaeferi, nostratis, cuius immensas copias ipsi vidimus; deinde Boissonadii, Schweighäuseri, Coraii, Kallii; tum adnotationibus ad Scapulam MSS. Ruhnkenii, Valckenarii, Brunckii, et ad Hederici lexicon Wakefieldii et Routhii; denique non exiguis collectaneis Seageri, aliorumque Britannorum. Haec praesidia ita ad Stephani Thesaurum adhibuerunt, ut iis partim in ipso textu, partim in subiectis adnotationibus locum concederent. De hoc textu, hisque adnotationibus iam dicatur explicatius.

Et textum quidem non sumus ita morosi ut totidem ubique litteris, quot a Stephano, exhibendum fuisse censeamus, sed non intelligimus tamen, cur quantumvis levibus in rebus recedendum a prima editione fuerit. Contulimus eo fine diligenter primas tantum quattuor paginas: in quibus septies signa parentheseos omissa, „jocum,

jocatur," pro „iocum, iocatur," (quae Latina est scriptura, cuius neglectio interdum errores gignit, ut quod p. 271. A. scriptum est, „a Jamblicho," quod Latine dici debebat „ab Iamblicho") Juvenalis xiv. „pro Iuvenal. Sat. 14." „Stephanum Byz." pro „Stephanum," et alia huiusmodi animadvertimus: quae etsi levia sunt, et neminem morantur, tamen, quum caussa mutandi nulla8 esset, non fuisse mutanda existimamus. Maius vero incommodum ex eo ortum videmus, quod quae ab ipsis Editoribus textui inserta sunt, saepe ab iis, quae Stephanus scripserat, distingui nequeunt. Nam unci sive semicirculares sive angulares, quos plerumque apposuerunt, non idoneum praebent indicium, quum utrisque etiam ipse Stephanus usus sit. Sic quod p. 4. C. scripserunt, „apud Stephanum Byz. (v. *Γάργαρα*)" et mox D. „(Capitol. in Pertin. c. 1. Puer literis elementariis, et calculo imbutus.)" quis, nisi veteri editione inspecta, non esse, quae uncis inclusa sunt, ab ipso Stephano addita sciet? Quid vero de eo dicamus, quod quaedam sic immutata et alienis permixta sunt, ut plane, quae Stephani verbis nova accesserint, dignosci nequeat? De nomine *ἀβακίσκος* Stephanus haec scripserat:

„*Ἀβακίσκος, ου, ὁ,* Tessella pavimenti, Budaeus. Moschion apud Ath. 5. *ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων.* Vbi Eustathius, *ἔνθα ὅρα τὸ ἀβακίσκοις· ἐξ οὗ δῆλον ὡς οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ καὶ τὸ ἀβάκιον, ἀλλ᾽ ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσχημόνων ξυλίνοις ἄβαξιν.*"

Haec in nova editione ad hunc modum interpolata sunt:

„*Ἀβακίσκος, ου, ὁ,* Tessella pavimenti, Budaeus. Moschion ap. Athen. 5. (p. 207. c.) *Ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων, ἐν οἷς ἦν κατεσκευασμένος πᾶς ὁ περὶ τὴν Ἰλιάδα μῦθος θαυμασίως.* (Loquitur de Hierone, qui tesselatis suae navis pavimentis universum Iliadis argumentum curaverat exprimendum. Sic rex Franciscus, notante

Casaubono, pater ille et Maecenas literarum ac literatorum, in cujusdam praelongae ambulationis, quae Fontebellae-aquae visitur, parietibus, universae Odysseae argumentum solertis pictoris penicillo spectandum exhibuit.) Eustathius (ad Od. x. p. **1927=786, 61=38.**) *Δῆλον δ᾽ ὅτι τὸ τοιοῦτον βασιλικὸν δάπεδον καὶ κραταίπεδον ἂν εἴη διὰ τὸ ὡς εἰκὸς λιθόστρωτον εἶναι· περὶ οὗ σαφὴς φράσις, τὸ, ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. Ἔνθα ὅρα τὸ ἀβακίσκοις· ἐξ οὗ δῆλον ὡς οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ καὶ τὸ ἀβάκιον, ἀλλ᾽ ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσχημόνων ξυλίνοις ἄβαξιν.* (De opere musivo fuse et docte egit Casaub. ad Sueton. i. **46.**)“

Cuiusmodi interpolationibus quid aliud effectum est, quam ut, qui scire velit, quid Stephanus ipse dixerit, veteri editione carere nequeat? Et quam multi, quibus olim illa non ad manum erit, ambiguitate ista in errorem coniicientur, Stephanoque tribuent, quae numquam ab illo scripta fuerunt? Praeter haec illud quodque valde incommodum est, quod, quae ex aliorum scriptis deprompta sunt, etsi fere uncinulis ad primum ultimumque verbum appictis „“ distinguuntur, tamen propter multitudinem horum uncinulorum saepe diu quaerendum est, usque dum, cuius ea verba sint, reperias. Haec omnia talibus quibusdam signis appositis, quae facile ultro in oculos incurrerent, evitari potuerant. Contra, quae ex Indice Stephani recepta sunt, non opus habebant uncinulis istis ad singulos versus appositis, quibus rectius, quae aliorum additamenta sunt, discreta fuissent. Quod de textu, etiam de adnotationibus dictum volumus, quarum in plurimis, quae longissimae sunt, saepe magna diligentia opus est, ut animadvertamus, utrum Editorum, an aliorum verba legamus. Praeterea illud quoque molestum est, quod qui in textu positi sunt minutissimi numeri, ad quas notae referantur, ita oculos fugiunt, ut saepe diu omnia perlustranda sint, priusquam locum, ad quem spectet adnotatio, invenias. Quod facile vitari poterat, numeris istis

paullo maiore in spatio ad hunc modum exhibitis, ([1]). Sed satis dictum de externa specie libri, de qua hoc unum adiiciemus, ubi integrae paginae, ac magis etiam, ubi plures paginae in unius vocabuli explicationem insumptae sunt, valde incommodum esse evolventibus librum, quod in summo margine primae tantum vocabuli litterae positae sunt. Ita quum de nomine ἄγαλμα a p. 181. usque ad p. 320. et ultra explicetur, singulis paginis adscriptae sunt litterae *ΑΓΑ*, non minus quam iis paginis, quibus alia ab his litteris incipientia verba continentur. Multo melius fuisset, ut nos quidem arbitramur, si integra vox *ΑΓΑΛΜΑ* in his paginis legeretur, quo statim, qui aliquid quaerere vellent, quo in loco Thesauri versarentur, animadverterent.

Videamus nunc de eo, quod caput est, de incrementis ipsis, quibus in nova editione auctus est Thesaurus. Ac quid faciendum hac in parte fuerit Editoribus, non potest ambiguum esse: indicandum erat, exempla a Stephano citata quibus librorum capitibus, paginis, versibus exstarent; corrigendum, quod ille minus recte dixisset; explicandum uberius, ubi ille pro rei conditione iusto brevior fuisset; supplendum, quidquid vocabulorum vel fugisset Stephanum vel latuisset; adnotandum denique, qui viri docti de quibusque verbis hic illic disputavissent. Haec vero omnia facta sunt ab Editoribus egregie, et sic, ut difficilius omissum ab iis quidquam, quam allata multa, quae potuerint omitti, reperias. Id quod vel ex eo aestimari licet, quod quae in veteri editione paginis xxiv. et iterum 14. comprehensa sunt, hic paginas implent trecentas et viginti.

Raro, quamvis in summa Editorum diligentia, aliquid omissum videas. Sic quem Stephanus p. vi. affert Prisciani locum, etsi facile apparet, non procul ab initio operis quaerendum esse, tamen non est indicatum inveniri p. 540. ed. Putsch. — In voce ἁβρὸς, de qua copiosissime est et doctissime explicatum, non vidimus citata

quae Valckenarius scripsit ad fragmenta Callimachi p. 233. Caeterum insigni diligentia efficere studuerunt Editores do-
10 ctissimi in adnotatione tertia p. 43. ἅβρα, non ἄβρα esse scribendum, siquidem librariis in huiusmodi re fides est, qui saepe in spiritibus ponendis negligentissimi sunt. Accedit, quod recentior pronunciatio, quae etiamnum in usu est Graecis, non solet exprimere spiritum asperum. Quare quod aiunt Editores: — „Atticam sane scripturam esse ἁβρὸς, non ἀβρὸς, minime dubium est, ut satis patet ex iis, quae supra notavimus. Atqui aeque patet e locis ibi laudatis, Ἑλληνικῶς scripsisse" („scriptum esse" dicere volebant) „ἀβρός, non ἁβρὸς," valde dubitamus an non sit verum. Redit enim res, si ab exemplis disceseris, in quibus librarii lenem spiritum posuerunt, ad auctoritatem Eustathii, quem apertum est dubitanter loqui et ita, ut dumtaxat coniecturam faciat. Sic enim scribit: ὅτι δὲ καὶ τὸ ἁβρός, εἴπερ ἐκ τοῦ ᾱ στερητικοῦ καὶ τοῦ βάρος βαρυτόνου δασυνθὲν Ἀττικῶς καὶ συγκοπὲν ὠξυτονήθη. — In eadem voce quod scribunt Editores p. 44. „Schneidero in Lex. post Guyetum ap. Albert. ad Hes. v. ἅβραι, vox ἁβρὸς videtur descendere ab ἄβη, ἥβη, ἁβερὸς, lanuginosus, mollis. At hanc etymologiam esse falsam plane evincit primae syllabae quantitas, quae semper apud vetustiores scriptores corripitur," non satis pensitate dictum putamus. Nam ut falsum sit, ἁβρὸς ab ἥβη derivatum esse, de quo non contendimus, at recte tamen ab ἥβω, unde ἥβη est, deducetur. Ita a τήκω fit τακερὸς, ab ἥδω ἁδρὸς, a σήθω σαθρὸς, a σήπω σαπρὸς, et alia similiter plurima. Neque illud accurate dictum, apud vetustiores scriptores corripi. Producitur enim apud Anacreontem et Pindarum, corripitur apud Atticos, quod hi productiones propter mutam cum liquida non amant: quamquam in compositis etiam Atticorum poetae tragici produxerunt: neque enim natura longum est α in hac voce.

Similia quaedam notari posse videmus in voce ἄγαν. Cuius quum duas significationes posuisset Stephanus,

Nimis et Valde, et utramque invenire sibi visus esset in illo versu Alphei,

τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει,

haec adiecerunt Editores: „At contra Aristoteles Rhetor. ii. 21.: *Οὐκ ἀρέσκει δέ μοι τὸ λεγόμενον, Μηδὲν ἄγαν· δεῖ γὰρ τούς γε κακοὺς ἄγαν μισεῖν.* Eurip. Hippol. 263. *Οὕτω τὸ λίαν ἧσσον ἐπαινῶ τοῦ μηδὲν ἄγαν, καὶ ξυμφήσουσι σοφοί μοι.* Pindarus ap. Plut. T. ii. p. 116. D. Hephaest. de Metris p. 91. ed. Gaisf. *Σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς.* Palladas lxii. Anal. T. i. 420. *Μηδὲν ἄγαν τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὁ σοφώτατος εἶπεν.*" Fatemur, quem ad finem haec dicta sint, nos non satis assequi. Nam videntur quidem hoc velle, non magis in Alphei versu utramque inveniri huius adverbii significationem, quam in his, quos afferunt, aliorum scriptorum locis. Quod etsi recte eos contendere putamus, tamen, si *ἄγαν* Nimis significat, *μηδὲν ἄγαν* autem Latine est Ne quid nimis, quid aliud responsurum censebimus Stephanum, quam hoc, in illis quoque exemplis *μηδὲν ἄγαν* Ne quid nimis significare, 11 et apud Aristotelem quidem, eodem modo ut apud Alpheum, utraque significatione positum esse *ἄγαν*. Ex quo apparet, alio modo refutandum fuisse Stephanum: et id ipsum facere debebant Editores. Nam falsum est, *ἄγαν* esse Nimis, si quidem hoc Nimis significat id, quod iusto maius est. Etenim neque Graeci neque Latini habent, quo sine circumlocutione id, quod modum excedit, exprimant: quae praerogativa est recentiorum linguarum. Itaque necessitate coguntur positivo vel comparativo gradu uti, ubi excessum significare volunt, et quemadmodum *ὕδωρ ψυχρὸν ὥστε λούσασθαι*, aquam frigidiorem, quam qua quis lavetur, dicunt, ita etiam *ἄγαν* et *λίαν*, quae nihil nisi Valde significant, de eo, quod supra modum est, usurpare solent. Nec Latina Nimis et Parum proprie aliud sunt, quam Valde et Paullum: nisi quod Nimis fere in vulgari sermone primam significationem retinuit, in oratione cultiore autem de eo, quod iusto maius esset, dici

solitum est. — De eodem illo ἄγαν quae contra Spohnium dicta sunt p. 70. et quae ibidem de consociatione eius cum superlativis, non ad verbum ὑπεραγανακτῶ, ubi nemo illa exspectaret, sed ad ipsum adverbium ἄγαν afferenda erant. — Ad idem adverbium p. 63. adsripserunt verba Blomfieldii, cui Aeschylus in Persis v. 832. non Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν, sed τῶν ἄγαν ὑπερκόπων dedisse videbatur, et adnotarunt, Stobaeum Serm. xxii. et Apostolium Prov. Cent. xiii. (hic error est: centuria est xiv.) pr. i. ad Euripidis versum a Blomfieldio citatum respexisse, simulque alios, cuius scriptoris iste versus esset, nescivisse observarunt. Non improbamus hanc adnotationem, quae sane bona est: sed aliud erat, quod non omissum vellemus. Nam quum Blomfieldii verba adducere lectorem possint, ut hunc negare putet, recte dici ὁ ὑπέρκομπος ἄγαν, ac potius sic oportere, ὁ ἄγαν ὑπέρκομπος: etsi is hoc non voluit, ut qui in eadem fabula v. 799. τοὺς ὑπερπώλους ἄγαν dederit: quoniam nulla huius verborum collocationis exempla attulerant, non abs re fuisset monere, non solum saepe adiectivo postponi ἄγαν, maxime apud Aeschylum, sed recte id fieri etiam ubi articulus adiiceretur: cui rei confirmandae et hic Aeschyli versus, quem in suspicionem adducere voluit Blomfieldius, et alter ille, in quo mira illa vox ὑπερπώλους nobis nihil nisi error librariorum pro ὑπερπολλοὺς esse videtur, inservire poterat. — Simili observationi locus erat in eodem adverbio, ubi locum Platonis Polit. viii. p. 564. A. ita scriptum dederunt: ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς [τὴν] ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει. Articulum quem uncis incluserunt, nec libri habent, quod sciamus, nec Stephanus posuit, ut eum editores propterea, quia necessarium putabant, adiecisse videantur. At uti addendus est articulus, ubi finitum est nomen, ita omittendus est, ubi est infinitum. Sic recte di-
12 cas, αὕτη ἐστὶν ἄγαν δουλεία, haec est gravis servitus: quod ubi dixeris αὕτη ἐστὶν ἡ ἄγαν δουλεία, hoc significaveris, haec est illa gravis servitus. — Non rectius,

ut nostra quidem opinio est, p. 65. Stephanum reprehenderunt, verbum *ἀγανακτεῖν* accusativo iungi dicentem: quam constructionem ipsi per ellipsin particulae *διὰ* explicant. Putabamus vero, iis, quae de ellipsi in Museo studiorum antiquitatis disputavimus, pridem effectum esse, ut istiusmodi ellipses nemini erudito amplius probarentur: neque in Germania quidem quisquam, praeter quosdam, qui in vetustiore disciplina consenuerunt, de tali re cogitat. — Porro non erat praetereundum, ultimam syllabam adverbii *ἄγαν* natura longam esse, et saepius errasse viros doctos, quum brevem esse rati, addito *γε* producendam curarunt. Sed recentiores quosdam, ut Palladam epigr. 124. et Agathiam epigr. 4. corripuisse eam syllabam. — Cum hac observatione autem coniunctissima erat alia, quam ipsam quoque aegre ferimus praetermissam esse. Nam neque epici, neque Iones illo *ἄγαν* utuntur, quo si essent usi, non *ἄγαν*, sed *ἄγην* dicere debuissent. Hi igitur pro eo *λίην* usurpant, *ἄγαν* relinquentes Doriensibus et Atticis. — Nec denique non acceptum fuisset, si de differentia, quae est inter *ἄγαν* et *σφόδρα* et *μάλα*, aliquid adnotare Editoribus placuisset. Nam *λίαν* quidem et *ἄγαν* plane eamdem vim habent; illa vero, *σφόδρα* et *μάλα*, et ab his, et inter se differunt. Solent autem huiusmodi synonyma nimis negligenter haberi, in quorum varia potestate admirabilis cernitur elegantia. Sic, ut aliquid saltem afferamus, *μάλα* prorsus respondet Germanico *gar:* unde illud usitatum *μάλ' αὖϑις* explicari potest, omnisque reliquus huius adverbii usus: qui quum sit frequentissimus apud epicos, multo debiliorem vim apud hos hoc adverbium habet, quam apud Atticos, longeque diversa sunt Homericum *μάλα μέγας*, et Sophocleum illud in Oed. Col. v. 1462. *μάλα μέγας ἐρείπεται κτύπος*.

In v. *ἀγαπάομαι* p. 78. quum id Stephanus nonnumquam etiam de amore venereo dici contendisset, exemplis ab eo citatis addiderunt Editores aliud ex Luciano, et auctoritatem Pollucis. At monendum potius

erat, etiamsi ἀγαπώμενος et ἀγαπωμένη de iis interdum diceretur, quos quis veneris usu cognitos habet, tamen ab ipso verbo huius rei significationem plane alienam esse. Id quod confirmant, quae p. 84. de nominibus ἀγαπητοὶ et ἀγαπηταὶ adnotata sunt.

Non prorsus inutile forsitan fuisset, in compositis ex v. ἀγαθὸς duo corrupta vocabula ex Aeschylo, πλουταγαθὴς et φιλαγαθὴς, adnotare, de quibus videndus Blomfieldius ad Sept. c. Theb. 912.

Dedimus specimen eorum, quae vel addi potuisse, vel paullo accuratius dici putaremus. Nunc dicatur de iis, quae omitti potuisse videantur. Atque horum quadruplex genus est. Alia enim plane et omnino supervacanea erant; alia brevius et contractius dici poterant; alia rectius aliis locis servata fuissent; alia denique, quamvis praeclara, a Thesauro hoc alieniora erant. Persequemur singula.

13 Ac primo, quum neminem fore putemus, quin in tam largae materiae opere brevitati, quoad fieri posset, studendum fuisse censeat, facile omnes nobiscum consensuros speramus, si, quidquid aut non ad rem pertineret, aut nihil utilitatis afferret, omitti debuisse contenderimus. Ac mirati sumus, nonnulla ab Editoribus adscripta esse, quae quo fine adiecta sint, plane non apparet. Satis habebimus, haec duo ex primis paginis commemorare. P. 2. quum Stephanus obiter dixisset; „ex *Κάππα* quidam *Κόππα* fecerunt: unde putatur esse κοππατίας dictus quidam equus ap. Aristoph.“ non modo versus illi Aristophanis ubi legerentur, sed ipsa etiam verba poetae apposita videmus. Atqui ut alterum facerent, certe verba adscribi minime erat necessarium. Magis mirum hoc est p. 9. ubi scripserat Stephanus: „Quam expositionem habet et unum ex meis vet. Lexicis.“ Ad haec verba hanc adiectam videmus adnotationem: „„In Etym. M. p. 619. „10., pro *Οἰσπώτη*, ὀπλὴ προβάτου, legendum vide-

„tur κόπρος προβάτου, tametsi etiam propugnat Ms.
„Cod. Leidensis, quem innuit Veteris sui Lexici appella-
„tione H. Stephanus in Thes. Gr. Ling. T. ii. p. 1250.
„c.' „Koen. ad Gregor. Cor. p. 543. ,Secundum Val-
„ckenaerium ad Ammonium p. 128. H. Stephanus per
„Vetus Lexicon suum interdum etiam Ammonium intelli-
„git. Causa haec est, quod Etymologicum Leidense,
„pariter ut Sorbonicum et Parisinum, plurimos Ammonii
„articulos complectitur.' Bast. l. c."

Quid hic sibi vult οἰσπώτῃ, ubi de ᾱ ἐπιτατικῷ disputat Stephanus? aut quid tota adnotatio, ex qua non intelligas, utrum velint vetus Lexicon hic Etymologicum, an Ammonium intelligi? Atqui Etymologus habet istam nominis ἀχύνετος expositionem, de qua loquitur Stephanus, non etiam Ammonius. Ex his igitur omnibus ea, quae ad rem pertinebant, tribus verbis absolvi poterant, nominatis Koenio et Bastio auctoribus, sed verbis eorum omissis. — Alia huiusmodi alibi inveniuntur. Sic p. 165. ubi observant, male Kusterum in Suida ἀγαθύναι pro ἀγαθῦναι scripsisse, in adnotatione apposuerunt testimonium Regularum de prosodia a nobis editarum, ut comprobarent, verba in υνω desinentia υ longum habere. At hoc eiusmodi est, ut, quia ab nemine ignorari debet, ista auctoritate plane non indigeat. — P. 55. scripserat Stephanus, „Ἀβρύνω, ut καλλύνω a καλός." Et profecto hoc satis erat, neque apparet, cur ἁπαλύνω, ἐλαφρύνω, ἱλαρύνω, λαμπρύνω, λεπτύνω, μακρύνω, μαλακύνω, μικρύνω, ὁμαλύνω, σεμνύνω, σκληρύνω, σμικρύνω, σφοδρύνω, φαιδρύνω, et quidem etiam apposito ad singula horum verborum adiectivo, unde ea formata sunt, Editores adiecerint. Non plus enim centena, quam unum exemplum probant: et, si quam plurimis opus fuisset, cur ἀγαθύνω et κακύνω omissa sunt? — Leve est aliud, sed in quo certe operae compendium fieri poterat. Immensam enim et in textu et in notis reperimus copiam stellularum vocibus a Stephano omissis ap- 14 positarum. Quae stellulae in Indice utiles nobis viden-

tur, quo statim appareat, quam ingenti numero verborum aucta sit haec editio: sed in textu notisque nihil intererat lectorum, utrum iam a Stephano haec vocabula, an nunc demum recepta essent.

Multo plura sunt, quae brevius dici et potuisse, et vero debuisse putemus. Eo referimus illa potissimum, quae Editores praeter necessitatem ipsis verbis virorum doctorum, quos auctores adhibent, adscripserunt. Nam etsi in universum illud valde probamus, quod verba illorum potius, quam mentem exhibendam duxerunt, quo certius lectoribus de quaque re constaret, neque erroris aliqua suspicio subnasceretur: tamen multo hoc cum delectu faciendum fuisse censemus, ne etiam ea afferrentur, quibus haud aegre carituri essent lectores. Eiusmodi sunt verbosae quaedam adnotationes Schweighäuseri, quas hic repeti, ut p. 55. atque alibi, profecto inutile erat. Atque omnino laudanda quidem magnopere est aequitas illa, quae in litteris non quis aliquid, sed quid quisque dixerit, spectandum putat: sed ob hanc ipsam tamen caussam vellemus aliquot locis non esse promiscue quorumcumque hominum verba allata. Sic p. 54. cur ad verba Sapphus,

ἐγὼ δὲ φίλημ' ἀβροσύναν,
καί μοι τὸ λαμπρὸν ἔρος
ἀελίω καὶ τὸ καλὸν λέλογχε,

(ita enim hi versiculi, si sic scripsit Sappho, disponendi sunt) verba adscribi opus erat Volgeri, non modo sensum explanantis, qui satis planus factus erat eo, quod integrum Clearchi, qui haec affert, locum Editores apposuerant, sed falso etiam contendentis, *λέλογχε* quod bis *λέλογκε* scriptum videmus, ut apud Blomfieldium) active dictum esse? Huic Volgero, qui dissuadentibus nobis edidit fragmenta Sapphus, Editores Thesauri etiam in rebus metricis aliquid tribuere videntur, ut ex eo colligimus, quod in adnotatione subiecta his verbis eius mentionem faciunt: „Versus in ordinem redigendos aliis relin-

quimus (vid. Volgerus p. 89.);“ at in re metrica quum omnino nulla est huius auctoritas, tum hoc in loco omissionis signo ante *μοι* ponendo fecit id, quod quivis, ubi meliora desunt, fabere potest. Eiusdem Volgeri longam adnotationem, in qua inauditi quidam trimetri trochaici, et perinepte quidem restituuntur, non dubitarunt totam exhibere p. **301.** seq. — Praeterea vero etiam alia quaedam, quae minoris momenti sunt, aliquid compendii quum libro ipsi, tum operae Editorum afferre poterant. Cuiusmodi est, quae toties citatur *Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν* in Bekkeri Anecdotis edita: quae quum brevissime *Συναγωγὴ λέξεων* vocari posset, cur tam saepe longus iste et molestus titulus ponitur? Sed videmus Editores ipsos tandem pertaesos huius tituli etiam brevius scripsisse *Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων*, ut p. **197. C. 208. C.** 15

Tertium supra illud commemoravimus, quod multa aliis locis servanda fuerint. Hoc vero est, in quo omnino nobis videmus a doctissimorum Editorum sententia discedendum esse. Nam etsi gratissimi agnoscimus incredibilem operam, qua tam immensam utilissimarum rerum copiam congesserunt, tamen, quamvis illa bona, immo haud raro egregia sint, permagnam partem adnotationum ab his, in quibus leguntur locis, alienissimam esse contendimus. Vt de plurimis pauca certe exempla indicemus, quae p. **67.** de verbo *ἔχειν*, p. **101.** seq. de *ἑσμὸς*, p. **107.** de *θαυμαστὸς* et *θαυμάσιος*, p. **131.** seqq. de *ἀμφιδρόμια* et de *λεξίθηρος* eiusque cognatis, p. **173.** de *λῶ* adnotata sunt, nemo hic, sed illic, ubi Thesauri ipsius ordo verborum ea commemorari postulat, quaerenda putabit. Qualia quum nusquam non reperiantur, quid aliud praevideri potest, quam Indice opus fore multo maiore, quam veteris editionis Index est? neque hoc solum, sed qui vel de uno verbo eum Indicem consulat, ad plurima novi Thesauri vel volumina vel loca ablegatum iri, ut, quae diversissimis in locis dispersa sunt, cognoscat atque in unum colligat. Cuius-

modi Indicis faciendi quantam molestiam sibi, quantam autem Thesauri conferendi omnibus, qui eo usuri sunt, ea re Editores pepererunt. Atqui maxima et primaria virtus lexici est, ut non nisi quam paucissimos in quaque re locos inspicere necesse sit. Apertum est autem, in tam infinita rerum copia ac varietate mirum, immo ultra humanam facultatem fore, ni in Indice illo, quo hic Thesaurus opus habebit, et verba multa, et locos, ubi de iis verbis agatur adnotare Editores negligant. Exempla vel huius fasciculi Index praebet. Sic in v. *ἠγάθεος* non commemoratur p. **259.** n. l. bonam illa observationem continens, quae omissa erat in illis duobus locis, qui adscripti in Indice sunt. Praeterea ratio illa non modo ad inveniendum, quod quis quaerat, molestissima est, sed etiam invento lectorem frustratur, quoniam in tanta, quantam congestam videt, materia denuo haeret, ubi illud ipsum, quod voluit, inveniat. Nusquam hoc magis conspicuum est, quam in iis, quae de nomine *ἄγαλμα* allata sunt. De quo quum exponi coeptum esset p. **181.** nondum finita est illa disputatio p. **320.** quae ultima est huius fasciculi. At quis ducentas et quadraginta paginas unius vocabuli caussa perlegere sustineat? Aut quis hic speret se longas dissertationes de Hecate, de *περιστίοις,* aliisque huiusmodi rebus permultis inventurum esse: quae etiam eo lectorem morantur, quod difficulter, ubi incipiant et ubi desinant, invenitur. Denique quis expectet, magna diligentia hic enumerari, ubi *ἄγαλμα Πανός, Διός, Ἀρτέμιδος,* et sic caeterorum numinum apud veteres dicatur? Atque ut habeat aliquid utilitatis haec enumeratio, quis non deos illos secundum lit-
16 terarum ordinem commemoratos volet, non autem, quod hic factum, sine certo ordine? quae res mirum quantum auget quaerendi laborem. Omnino, si usquam, in his, quae de ista voce dicta sunt, mira regnat confusio ac perturbatio. Sic quum p. **197.** allatus esset locus Eustathii de discrimine inter *ἄγαλμα* et *χάρμα,* sequuntur *Πανὸς ἄγαλμα* isto significatu, et *Ἑκάτης ἄγαλμα*, cum tota illa dissertatione de Hecate, ac tum demum p. **257.**

in viam reversi pergunt Editores: „Ἄγαλμα passim a Poetis sumitur pro Decus, Ornamentum, Deliciae.“ Aequius haec ferremus, si fecissent, quod antiquiores facere solebant, qui in marginibus breviter adnotabant, de qua re sermo esset. Sic certe, qui aliquid quaererent, immenso illo omnia perlegendi labore liberati forent. Sed quoniam de voce ἄγαλμα sermo nobis fuit, non abs re erit commemorare dissertatiunculam, quam mense Februario huius anni Car. Godofr. Siebelis, rector scholae Budissinae, de vocabulis ἄγαλμα, ξόανον, et ἀνδριὰς apud Pausaniam edidit: etsi hic multo pauciora, quam doctissimi Editores Thesauri p. 185. seqq. dederunt, attulit, in iisque hoc, quod mireris viro Graece non indocto excidere potuisse: „Pro voce ἄγαλμα passim apud recen-„tiores usurpatur ξόανον, quod iam a Phavorino obser-„vatum est dicente: ἀγάλματα παρὰ τοῖς ὕστερον τὰ ξόανα: cf. Valcken. ad Ammon. p. 169.“ In quibus triplex error est. Nam quem non statim leges grammaticae admoneant, plane contrarium dicere Favorinum? Et si quis est, quem non admoneant, at illa debebant admonere, quae statim addit Favorinus: παρὰ δὲ τῷ ποιητῇ, πᾶν ἐφ᾽ ᾧ τις ἀγάλλεται. Denique apud Valckenarium nihil exstat, quod ullo modo ad istam interpretationem trahi possit.

Postremum supra illud posuimus, esse etiam, quae, ut alieniora a lexico, plane videantur omittenda fuisse. Et huius quidem generis veremur, ne non adeo pauca, si quis severius rem aestimare velit, inveniri queant. Referimus eo illa potissimum, quae ex libris, qui in omnium manibus et sunt et esse debent, Thesauro illata sunt. Vno defungamur luculento exemplo. Neminem fore putamus hominum has litteras tractantium, qui non Valckenarii scripta, in iisque praeclara illa Theocriti decem idyllia possideat. Ex hoc igitur libro cur, quum in Thesauri p. 10. de ᾰ intensivo diceretur, pleraque, quae ibi disputata erant, repetita sunt? Quae si erant repetenda, certe id in singulis istis vocibus, quae ᾰ intensivum ha-

bere putantur, faciendum erat. Quanto rectius ipse Stephanus eo ipso loco, de vocabulo ἄξυλος loquens, „ut docebo," inquit, „suo loco, i. e. inter vocabula, quae ex „nomine ξύλον per compositionem sunt facta." Nobis ita videtur, melius Editores lectoribus consulturos fuisse, si nominassent tantum hic Valckenarium, et, omissis ipsis eius verbis, enumerassent vocabula, in quibus creditur ᾱ hanc significationem habere, quo, qui id agerent, singula suis locis posita quaererent. Non minus dubitari posse
17 videmus, an disputationes quaedam de interpretandis emendandisque nonnullis veterum scriptorum locis alienae videri a lexici officio debeant. Sic quae de versu quodam Epinici apud Athenaeum ad Thesaurum p. 48. seq. et p. 100. seq. disputantur, tanto magis videntur omitti potuisse, quod ea ipsa disputatio doctissimi Barkeri inserta est Wolfii Analectis litterariis: ubi nos quoque nostram de eo loco sententiam exprompsimus.

Sed satis dictum videtur de ratione, qua haec nova Thesauri Stephaniani editio institui coepta est. Nunc unum alterumve locum paullo accuratius considerabimus. P. 259. quum in v. ἄγαλμα obiter commemorata essent verba Euripidis in Heracl. 898. πολλὰ γὰρ τίκτει Μοῖρα τελεσσιδώτειρ', Αἰών τε Κρόνου παῖς, in subiecta adnotatione primo Elmsleii ad eum locum verba afferuntur, cui verbum τελεσσιδώτειρα per ω̄ scriptum analogiae repugnare videbatur. Addunt Editores, utramque formam satis probam esse, pariter ut a βόσκω formata nomina nunc ŏ, nunc ω̄ habeant, sed correptam vocalem Atticis poetis magis, prosae orationis scriptoribus unice placuisse. Exempla maximam partem ex Orphicis depromunt, obiterque ἡγεμόνην apud Callimachum h. Dian. 225. a Blomfieldii coniectura defendunt. Laudamus hanc diligentiam, sed non dissimulamus tamen, non omni ex parte vera haec aut satis accurate disputata nobis videri. Primo enim non erant formae δότης, δοτήρ, δώτωρ, perinde habendae. Nam δώτωρ nec simplex, neque in compositis usquam habet correptam vocalem. Butleri inventum

est *βαρυδότωρ* in Indice Aeschyli. Illa duo altera autem variant. In iis hoc recte observarunt Editores, prosae orationis scriptores brevem vocalem usurpare: poterantque in eam rem aptissimum exemplum afferre, *βιοδότης*, ex Platonis lib. xi. de Legg. p. 921. A. et, quod ex Iuliani orat. iv. p. 148. D. commemorarunt, *χαριδότης*, Plutarchi firmare auctoritate in Antonio c. 24. T. v. p. 139. Reisk. sive p. 1695. Steph. Poetis utraque forma usitata est, pro metri commoditate. Sed non tamen propterea continuo *τελεσσιδώτειρα* probandum videtur, ut fortasse non iniuria Elmsleius hoc repugnare analogiae dixerit, licet ille aliam, ac debebat, analogiam spectans. Ab Atticis enim formam illam abiudicat. At in poeticis vocabulis nullus aut perexiguus est dialecti usus, sed illa spectanda est analogia, quae universe apud poetas formarum varietatis inventrix fuit. Pendet ea autem ex duobus primariis, iisdemque antiquissimis metris, dactylico et iambico, atque ex his quoque dactylicum aliquam praerogativam habet. Hinc et haec vocabula, quae a *δίδωμι* facta sunt, et plurima alia, ita videmus composita esse, ut aut ad dactylicum genus, aut ad iambicum accommodarentur. Neutri vero generi apta est haec forma, *τελεσσιδώτειρα*, quam dactylici numeri *τελεσσιδότειρα*, iambici autem *τελεσσιδῶτις* esse postulabant. Quo magis suspectam habemus istam scripturam apud Euripidem, 18 praesertim quum codd. ibi *τελεσσιδότειρα* praebeant. Et hoc quidem defendi fortasse poterit, ultima non elisa, et in antistropha inserto *τι* ante *παραιρῶν:* sed fatemur tamen, hiatum in fine huius versus nobis non magnopere placere. Quare veremur, ne in antistropha *φρονήματος* ex interpretatione receptum sit, poeta autem sic dederit, *τῶν ἀδίκων τι παραιρῶν λήματος αἰεί.* Caeterum quod obiter addunt doctissimi Editores, in Bekkeri Anecdotis i. p. 361. pro *Αἰγύπτης* scribendum sibi videri *Αἰγιβότης,* vel *Αἰγοβότης*, id nobis quidem parum verisimile videtur, quia addita interpretatio *συβότης*, *νομεύς*, non satis quadrat. Periculosum est, huiusmodi verba tentare, ac praestat, ut nos quidem censemus, exspectare, dum

aliunde certius quid proferatur. Sed quod modo de formis verborum ad metra antiquissima accommodatis dicebamus, in mentem nobis revocat dubitationem de voce ἠγάθεος, quae valde torsit doctissimos Editores p. 116. not. 1. Nam neque ab ἄγαν, neque ab ἀγάζω, neque ab ἄγαμαι derivari posse hoc nomen censent, quia in his verbis omnibus prima syllaba brevis sit, Iones autem ᾰ breve numquam in η̄ mutaverint, licet iidem pro η̄ saepius posuerint breve ᾰ. Neque Homerum ἠγάννιφος, sed ἀγάννιφος dixisse. Haec nobis videntur minus accurate scripta. Nam ἀγάννιφος, quum secunda syllaba propter liquidam ν̄ producta bene posset versui heroico aptari, non opus erat primam producere: ἀγάθεος autem secundae productionem non admittebat: quamobrem prima producenda fuit, et, nisi littera ν̄ istam producendae praecedentis vocalis commoditatem haberet, certissime Homerus etiam ἠγάνιφος, prima producta, correpta secunda, dixisset. Illud vero quo iure contenderint viri doctissimi, ᾰ breve ab Ionibus non mutari in η̄, ipsi viderint, si recordati fuerint, non raro id Iones metri caussa fecisse. Sic ab ἀλιτέσθαι ἠλιτόμηνος, atque alia, (a quo est etiam ἀλιτήμερος, de quo diximus in Schaeferi adnotationibus ad Gregor. Cor. p. 879.) ab ἄμαθος ἠμαθόεις, ab ἄνεμος ἠνεμόεις facta sunt: quae sunt pervulgata, ne quid de iis dicamus, quorum magis recondita ratio est.

Sed redeamus ad eum locum, unde digressi sumus. Ac quum Editores in voce ἄγαλμα ad Αἰωνοαρίου ἄγαλμα, et inde ad deum Αἰῶνα, qui idem est atque Osiris et Adonis, ac proinde etiam qui Φάνης, transiissent, ad Phanetem et Bacchum deveniunt: quae sane vellemus aliis locis tractata esse: nam qui semel mysteria ista attigerit, a quovis deo ad omnes transitum inveniet: verum grati tamen accipimus, quae dederunt. In his igitur p. 260. seq. afferunt fragmentum ex Orphicis, servatum a Macrobio Sat. i. 18. cuius hi primi versus sunt:

τήκων αἰθέρα θεῖον, ἀκίνητόν περ ἐόντα,
ἐξανέφηνε θεοῖς ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.

Stephanum memorant in Poesi epica *αἰθέρα δῖον, ἀκίνητον πρὶν ἐόντα,* habere. In adnotatione subiecta, quoniam et Damascius de hac ipsa re dicat *νεφέλης ῥαγείσης,* et Suidas in v. *Ὀρφεὺς* scribat, *ἔφησε δὲ ὅτι φῶς ῥῆξαν τὸν αἰθέρα, ἐφώτισε τὴν γῆν,* coniiciunt *τήκων* glossam esse, qua expulsa fuerit genuina scriptura *ῥήσσων.* In ea re nos nullo modo assentientes habent. Primum enim *τήκων αἰθέρα* aperte poeticum est, ut neque credibile sit, ab interprete hoc esse profectum, nec mirum, qui prosa oratione utebantur, a poetica dictione abstinuisse. Deinde negamus etiam omnino, *ῥήσσων* scribere potuisse, qui versus illos fecit, non propter verbum, sed propter tempus verbi. *Τήκων* enim recte ille dicere potuit, quod id paullatim fit; *ῥήσσων* autem non potuit, quia rumpi aetherem unius momenti est, sed debuisset *ῥήξας* dicere, quemadmodum et Damascius et Suidas aoristo sunt usi. At alia erant, quae in versu isto corrigi debebant. Nam *αἰθέρα θεῖον* Gesnerus exhibuit in fragmentis Orphicis, quem minime sequi debebant Editores Thesauri, non solum quod edd. Macrobii, (saltem quae nobis ad manum sunt, dum haec scribimus) *αἰθέρα δῖον* praebent, sed etiam quia neque usitatum epitheton aetheris est *θεῖος,* quum *δῖος* sit usitatissimum, neque omnino hoc ei epitheton recte videtur tribui posse. Nam diversissima sunt *θεῖος* et *δῖος:* quorum *θεῖος* aut id, quod a diis ortum, cum eorumque natura coniunctum est, ut *θεῖον γένος, θεῖος ὄνειρος,* aut illud significat, quod tam eximium est atque admirabile, quam si esset profectum ab diis, ut *θεῖον ποτόν:* de quibus neutrum in aetherem quadrat, nisi quis ex arcana Orphicorum disciplina aliquam rationem ostendat: *δῖος* autem aliquanto minorem vim habet, et nihil est aliud, quam praestans, excellens, sacer. Quumque Homerus, qui auctor epicis et dux fuit in plerisque re-

bus, feminino genere dicat *αἰθέρα δῖαν*, videndum erat, ne ita scriptum ab Orphico illo existimare deberemus:

τήκων αἰθέρα δίαν, ἀκινήτην πρὶν ἐοῦσαν.

Quod tametsi ex Orphicis ipsis probari posset, quum feminini generis haec vox sit in hymn. lxxx. (79.) 6. et fragm. vi. 3. tamen, quoniam saepius masculino genere in his carminibus usurpatur, et fortasse arcana aliqua ratio subest, quare hic quoque ita esse debeat, non videntur femininae formae in isto versu reponendae. Atque hymnus v. (4.) qui Aetheris est, masculinum habet. Sic etiam hymn. xxxiv. (33.) 11. lviii. (57.) 5. et fragm. iii. 7. vi. 27. x. 6. Sed fragm. xix. 4. nihil probat. Versus isti, qui corruptissimi sunt, ita scribendi videntur:

ἔστιν ὕδωρ ψυχῇ, ψυχὴ δ' ὑδάτεσσιν ἀμοιβή·
ἐκ δ' ὕδατος μὲν γαῖα, τὸ δ' ἐκ γαίης πάλιν ὕδωρ.
ἐκ τοῦ δὲ ψυχή, ὁδὸν αἰθέρος ἀλλάσσουσα.

Caeterum in illo versu, a quo exorsi sumus, etiam *πρίν*, quod apud Macrobium est, videtur servandum fuisse. 20 Nam quod Gesnerus nescio unde dedit, *ἀκίνητόν περ ἐόντα*, fortasse, si severius expendatur, etiam ineptum iudicari debebit. Illud vero aptissimum est, *ἀκίνητον πρὶν ἐόντα*, siquidem hoc egregie poetam decuit, „rigidam et crassam caliginem" fingere, quae solis calore liquefacta Horum peperisset. Nam ne hoc quidem videtur praeteriri debuisse, quod in secundo versu legitur, *ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,* nec satis usitate, nec qua oportebat dialecto dictum esse: quo minus dubitandum erat, quin recte Gesnerus *Ὦρον, κάλλιστον ἰδέσθαι* coniecerit, licet id non sit ausus recipere. Et edd. nonnullae Macrobii eodem accentu *ὦραν* habent.

Paullo post, p. 261. B. Aeschyli fragmentum ex Macrobio Sat. i. 18. afferunt editores doctissimi, *Ὁ Κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Καβαῖος, ὁ μάντις.* De eo ita scribunt: „ubi Barnes. ad Eurip. Bacch. v. 408. pro *ὁ Κα-*

„*βαῖος* reponit *ὁ Σαβαῖος*, sed Meursius (probante Butle-
„ro ad Aeschyli Fragm. T. viii. p. 250. qui quae fuerint
„ipsa verba Aeschyli, definire non audet,) legit *ὁ καὶ*
„*Βάκχος*, idque omnino recte. Macrob. enim testatur,
„Aeschylum in illo versu ad eandem cum Euripide sen-
„tentiam dixisse Apollinem Liberumque unum eundemque
„Deum esse. At nisi cum Meursio legas, *ὁ καὶ Βάκχος*,
„nihil ibi est, ex quo Macrobii mens erui possit. Nemo
„enim dixerit, Macrob. hac una de causa versum attu-
„lisse, quod Aeschylus Apollinem *Κισσέα* appellarit,
„quo epitheto Bacchus alibi ornatur. Suid. *Κισσεύς· ὁ*
„*Διόνυσος*.“ Addunt deinde alia, quae ad Bacchum
Κισσέα pertineant. At primo vellemus, quae Meursii et
Butleri culpa est, non etiam in se admisissent Editores
praestantissimi. Nam illud *ὁ καὶ Βάκχος*, scholiasta, non
poeta dignum est, nec fieri ullo modo potuit, ut ita Ae-
schylus scriberet. Deinde vero, etsi *Σαβάζιος* potius,
quam *Σαβαῖος* dici solet Bacchus, tamen vix putamus
dubitandum esse, quin probanda sit Barnesii coniectura:
ad quam refutandam quod afferunt Editores, confirman-
dae inservit. Etenim si *Σαβαῖος* Bacchi, non Apollinis
cognomen est, quis non videt, perinde esse, utrum ille
Σαβαῖος, an *Βάκχος* dicatur? ut minime necessarium sit,
ipsum hic nomen *Βάκχος* legi. Denique in eo quoque re-
pugnare sibi videntur, quod nomen *Κισσεὺς* satis esse ad
Bacchum significandum negant. Hoc enim si demonstrare
volebant, etiam alios deos isto cognomine appellari osten-
dendum erat: nunc vero, quum Bacchi esse eam appella-
tionem doceant, quid aliud, quam id ipsum, quod nega-
bant, efficiunt, non posse alium, quam Bacchum, intel-
ligi? Valckenarius in exemplo Hesychii Schreveliani, quod
Tittmanni est, Aeschyli illud *ὁ Καβαῖος* ad vocem *Κα-*
βάρνοι adscripsit: quam suspicionem non putamus cui-
quam probatum iri. Caeterum ubi Butleri mentionem fa-
ciunt Editores, non debebant illud addere: „qui quae
fuerint ipsa verba Aeschyli, definire non audet.“ Nam
quae quis sensu cassa scribit, cur quaeso repetantur? Ipsa
verba Aeschyli sunt, quae Macrobius posuit. Illud vole-21

bat Butlerus dicere, veram se horum verborum scripturam definire non audere.

Paullo post, p. **262**. A. postquam Macrobii verba adscripserunt, uncinulis praefixis, qui in fine typographi errore omissi sunt, in hoc illorum versuum, quos Macrobius affert,

Ἥλιε παγγενέτορ, παναίολε, χρυσεοφεγγές,

ita pergunt: — „Pro *παναίολε* Gesnerus, metricis rationibus motus, *Πὰν αἰόλε* reposuit, probante, ut videtur, „Hermanno. Sed nos, quicquid dicant rei metricae „periti, propter graviores rationes vulgatam lectionem restituendam censemus. Nam **1.** positio vocis inter *παγγενέτορ* et *χρυσεοφεγγὲς* huic lectioni omnino favet; et „**2.** *αἰόλε* pro dei epitheto nusquam, quod sciamus, alibi „legitur; et **3.**, si quis locus exstaret, in quo uni ex ceterorum deorum turba hoc epitheton tribuatur, valde dubitamus, an propterea id Pani tribuere poetae liberum „esset. At *παναίολε* de Sole recte dici, et cum *χρυσεοφεγγὲς* satis apte iungi, nemo negarit.“ Non Gesneri, sed nostra illa emendatio est, *Πὰν αἰόλε*, quam sane metri caussa fecimus, quum ad sensum *παναίολε*, ut exemplis monstrarunt Editores doctissimi, reprehendi nequeat. Sed adeone parum illi metra curant, ut etiam quae repugnent metro, defendenda putent? Non sumus quidem nos ita metrorum studiosi, ut non sensum prius, et eum quidem ante omnia respiciendum censeamus: sed metri hanc certe vim esse arbitramur, ut de vitio admoneat, etiamsi salvus sit sensus. Atque hoc quidem in fragmento, quod numero septimum est apud Gesnerum, tantum abesse putabamus, ut propter sensum emendatio nostra improbanda esset, ut a sensu nonnihil etiam commendationis habituram speraverimus. Quae vero tria argumenta attulerunt Editores praestantissimi, quibus vulgatam scripturam defenderent, eorum nullum est, quo id, quod volunt, efficere posse videantur. Nam quod de positione et ordine verborum iusto dicunt, saepe ille neglectus re-

peritur in Orphicis, ut hic quoque negligi potuerit, si quidem est neglectus: nam si altius inquisivissent, fortasse non esse neglectum in nostra emendatione vidissent; quod autem de simplici *αἰόλος* monent, fatemur, non intelligere nos, cur, qui *παναίολος* et *αἰολόμορφος* dicatur, non etiam *αἰόλος* dici possit; denique quod dubitant, an Pani hoc epitheton tribui nequeat, omnium maxime miramur: cui deo, si ulli alii, optime hoc epitheton convenit, quo si non ornatur in hymno xi. (10.) qui in ipsum scriptus est, at alia ibi non valde dissimilia inveniuntur, ut v. 10. et 19.

παντοφυής, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον·
ἀλλάσσεις δὲ φύσεις πάντων ταῖς σαῖσι προνοίαις.

Sed quid nos haec commemoramus, ac non illud potius, quod praeter metrum emendationem nostram tuetur? Nam verba Macrobii haec sunt i. 23. „Solem esse omnia et 22 „Orpheus testatur his versibus:“

„κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικαυγέα κύκλον
„οὐρανίαις στροφάλιγξι περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων,
„ἀγλαὲ Ζεῦ, Διόνυσε, πάτερ κόσμου, πάτερ αἴης,
„Ἥλιε παγγενέτορ, Πὰν αἰόλε, χρυσεοφεγγές.“

Quid est enim in his versibus, unde Solem omnia esse certo colligas, nisi illud ipsum verbum *Πάν*? Pan enim, ut in hymno xi. (10.) scriptum, *κόσμοιο τὸ σύμπαν* est. Et quemadmodum hic Sol Pan vocatur, ita in hymno xxxiv. (33.) Apollo, qui idem cum Sole est, Pan dicitur, vicissimque, ut Sol in fragmento isto Iuppiter et Pan *χρυσεοφεγγὴς* appellatus est, ita Pan in hymno xi. (10.) et Paean, et Iuppiter, et *φαεσφόρος* nominatur his versibus: (11, 12.)

κοσμοκράτωρ, αὐξητά, φαεσφόρε, κάρπιμε Παιάν·
ἀντροχαρές, βαρύμηνις, ἀληθὴς Ζεὺς ὁ κεραστής.

Addamus his alium locum in quo non videntur mentem nostram perspexisse doctissimi Editores. Nam dum ibidem alia, quae ad Orpheum spectant, persequuntur, p.

272. dicunt, nos in Addendis ad Orphica p. xxv. tredecim versus Hermeti apud Stobaeum Ecl. i. 6. p. 174. tributos, post Heerenium Orphicis carminibus adnumerandos putare, alios autem undecim debuisse adnotare, quos idem Heerenius Orpheo vindicaverit. At nos Heerenium illos tredecim versus adnumerandos Orphicis putare diximus, non etiam, nos ita sentire. Valde enim dubitamus, an hi versus, de quibus caeteroquin accuratissime exposuerunt Editores Thesauri, non sint Orphici, i. e. eorum auctorum cuiuspiam, a quibus illa profecta sunt, quae Orpheo ab antiquioribus adscribuntur. Nam et argumentum paullo aliud videtur, nec dicendi genus plane cum caeteris convenit. Quod vero ad undecim illos, sive decem potius, versus attinet, ab eodem Stobaeo in Eclogis i. 3. p. 68. servatos, eos etiam negamus Orphicos esse, si non aliis de caussis, certe propter dialectum Doricam. Quare quod aiunt, vindicasse Heerenium hos versus Orpheo, id vellemus argumentis demonstrassent. Namque illi Orphicorum conditores non alia dialecto usi sunt, aut uti potuerunt, quam ea, quae ab omnibus Graecis antiquissimorum poetarum lingua haberetur: unde iis a Dorica abstinendum fuit. Praeterea vero nihil in istis versibus est, quod non aeque a quovis alio, quam ab Orphico scriptore, dici potuerit. Eoque minus, ut speramus, mirabuntur Editores doctissimi, quod neque quum Orphica ederemus, versus illos commemorandos putavimus, neque nunc adducimur, ut eos Orphicis adnumerandos esse nobis persuadeamus. Sed quoniam valde corrupti sunt, neque eos emendare placuit Editoribus Thesauri, paullo correctius scriptos dabimus, quarum tamen correctionum partem Grotio, Piersono, Iacobsio acceptam referimus:

23 *Ἡρακλέος κρατεροῦ, ὃς γᾶν ἐκάθαρεν ἅπασαν,*
πετροβάτα τε θεοῦ, Πανὸς νομίοιο βρυάκτα,
θνατῶν τ' ἰατῆρος Ἀσκληπιοῦ ὀλβιοδώτα,
πρεσβίστας τε θεοῖς Ὑγιείας μειλιχοδώρου,
ναυσί τ' ἐν ὠκυπόροισι Διοσκούρων ἐπιφάντων,

Κουρήτων θ', οἳ ματρὶ Διὸς Ῥέᾳ ἔντι πάρεδροι,
καὶ Χαρίτων μεμνᾶσθαι ἐν ἔργῳ παντὶ μέγιστον,
ἠδὲ Χρόνου παίδων Ὡρᾶν, αἳ πάντα φύοντι,
Νυμφᾶν τ' ὠρειᾶν, αἳ νάματα κἀλ' ἐφορῶντι,
ὕμμεων τ', ὦ Μοῖσαι, Διὸς ἔκγονοι, ἄφθιτοι ᾠδαῖς.

Quamquam procul illa a nobis temeritas sit, ut haec pro certis venditemus. Nam utrum *ἀκροβάτα*, ut Cantero visum, an *πετροβάτα*, ut Grotio, verum sit, quis ex librorum scriptura *πρόβατα* divinet? In tertio autem versu valde dura est correptio primae in *Ἀσκληπιοῦ*, cui tamen imperita manu mederetur, qui *ἰατροῦ* repositum iret. In ultimo versu, ubi libri habent *ὑμνέομες* (vel *ὑμνέωμες*, vel *ὑμνέωμας*) *μάκαρας Μοῦσαι Διὸς ἔκγονοι ἀφθίτοις ἀοιδαῖς* (vel *αἰδαῖς*) illud potissimum putamus incertum esse, utrum *ἄφθιτοι ᾠδαῖς*, an *ἀφθιταοιδοὶ* praeferendum sit. Non haec sic diximus, quasi vitio verteremus Editoribus praestantissimis, quod versus illos non emendaverint. Nam quis adeo iniquus, ac potius insanus sit, ut in libro, qui totus refertus est citationibus scriptorum, locos omnes, qui afferuntur, etiam emendari postulet? Immo emendationi veterum scriptorum in hac Thesauri editione abunde et multo magis, quam exspectari licebat, satisfactum esse gaudemus, meritoque maximas agimus Editoribus gratias, quod plerumque non in afferendis testimoniis aequieverunt, sed ea accuratius etiam expendenda putarunt. Quo fieri non potest, quin, qui utentur hoc Thesauro, plurimis in rebus mirifice se adiuvari sentiant. Quod si hic illic aliquid est emendationis, quod fugerit viros egregios, tantum abest, ut id mirum in tanta rerum et copia et varietate et difficultate videri possit, ut illa potius admirari debeamus, quae summa cura, summoque studio ab iis congesta, disputata, explanata, ad liquidum perducta sunt. Et quis nescit, saepissime accidere, ut emendationes, in quas quemvis putes incidere debere, sero demum uni in mentem veniant? Cuiusmodi est fragmentum Aristophanis ex *Ταγηνισταῖς* apud Schol. ad Ran. **295.** *χθονίας Ἑκάτης*

πεῖρα σοφῶν ἐξελιξομένη, cuius quamvis facillima esset emendatio, tamen quid miremur, non esse eam factam ab Editoribus Thesauri p. 231. D. quum ne Brunckius quidem, qui de industria hoc agere debebat, quidquam adnotaverit? Servatum hoc erat Seidlero, qui in brevi disputatione de fragmentis Aristophanis, quae nuper edita est, p. 21. ita scribendum esse vidit:

χθονία σ' Ἑκάτη σπείρας ὀφέων ἐλελιζομένη.

Sed decet iam finem facere scribendi. Et quemad-
24 modum non dubitamus, quin Editores praestantissimi, maximeque, cuius praecipuam in edendo hoc Thesauro operam esse accepimus, doctissimus Barkerus, et gratiam ab omnibus, qui litteras Graecas tractant, summam inierint, et aeternam tam egregio opere condendo laudem sibi parituri sint, ita optamus ex animo, ut et valetudo ac vires iis ad sustinendos tantos labores suppetant, et quaevis aliae obtingant ad perficiendam hanc utilissimi libri editionem commoditates atque opportunitates. Vnum reliquum est, quod eos etiam atque etiam rogemus, ut parem curam etiam Indicibus conficiendis adhibeant, in eaque re eam viam ingrediantur, quae iis, qui usuri Thesauro illo sunt, facillima sit et maxime commoda. Quae, ut nos quidem existimamus, eo continetur, ut Indices quam paucissimi, sed illi quam locupletissimi, quam ad invenienda quaeque aptissimi, denique quam accuratissimi in numeris voluminum paginarumque indicandis sint. Putamus autem non plures, quam tres esse Indices faciendos, primo Graecum, vocabulorum rerumque omnium, quae in hoc Thesauro tractantur; deinde parem huic Latinum; denique tertium scriptorum, quorum loci vel explicantur, vel emendantur. Atque hoc potissimum in Indice, quoniam infinita est locorum ex singulis scriptoribus tractatorum multitudo, illud omnino necessarium iudicamus, ut non solum enumerentur loci illi omnes, sed etiam eo ordine disponantur, quo apud quemque scriptorem sese excipiunt. Nam quis, exempli caussa, si se meminerit locum aliquem ex primo libro Iliadis tractatum legisse, non

optet ita factum esse Indicem, ut ordine primi, secundi, tertii libri, et sic deinceps, singulos locos, eosque ipsos ad ordinem versuum, quo apud Homerum scripti sunt dispositos conspiciat, quo statim, quod velit, invenire queat, nec millenos locos in omnibus voluminibus frustra inspicere cogatur? Hoc igitur in omnibus scriptoribus faciendum esse censemus, ne insignis pars utilitatis, quam hic liber habiturus est, eripiatur iis, qui eo usuri sint. Et quamquam hoc quoque immensi esse laboris scimus, tamen non dubitamus, quin etiam laudem ea res tantam habitura sit, ut eam non sint sibi deesse passuri viri praestantissimi.

D. Lipsiae mense Aprili a. cioioccexviii.

ΕΣΜΟΣ ΜΕΛΙΣΣΗΣ *).

Neque lectoribus huius libri, neque ipsi Barkero, viro
68 uti doctissimo, ita candidissimo, ingratum fore arbitror, si his, quae ille solita diligentia disputavit, pauca addidero. Nam etsi in universum verissima mihi videtur attulisse, tamen est etiam, ubi ab eo dissentiendum putem. Contendit Barkerus, *ἑσμὸν μελίσσης* neque mel, neque copiam mellis, sed examen apum significare, non solum quia usus ita postulet, sed etiam quod tam durae sint istae metaphorae, ut nullo simili exemplo defendi posse videantur. De hac ipsa vero duritie tanto accuratius quaerendum puto, quo facilius exstiturum video, qui ex ipsis vel Athenaei vel Epinici verbis excusationem allatum eat. Et Athenaeus quidem ita scribit: *ἔπινον δὲ οἱ πολλοὶ καὶ ἄλφιτα ἐπιβάλλοντες τῷ οἴνῳ, ὥς ὁ Δελφὸς Ἡγήσανδρός φησιν. Ἐπίνικος γοῦν, Μνησιπτολέμου ἀνάγνωσιν ποιησαμένου τῶν ἱστοριῶν, ἐν αἷς ἐγέγραπτο ὡς Σέλευκος ἀπηλφίτισε, γράψας δρᾶμα Μνησιπτόλεμον, καὶ κωμῳδῶν αὐτόν, καὶ περὶ τῆς πόλεως ταῖς ἐκείνου χρώμενος φωναῖς, ἐποίησε λέγοντα.* Apparet ex

*) Haec commentatio de loco Athenaei X. p. 432. edita est a. 1818. in F. A. Wolfii Analectis litterariis vol. II. part. I. p. 67. seqq.

his, illud egisse Epinicum, ut dictionem Mnesiptolemi rideret. Id magis etiam ex versibus ipsis Epinici intelligitur, quos emendatos hic ponam. Nam in tali caussa non satis est, formulas dicendi ipsas spectari, sed videndum est etiam, qua mente quove consilio usurpatae sint: quae res cum scripturae emendatione coniunctissima est. Ita autem scribit Epinicus e persona Mnesiptolemi:

> *ἐπ' ἀλφίτου πίνοντα τοῦ θέρους ποτὲ*
> *ἰδὼν Σέλευκον ἡδέως τὸν βασιλέα,*
> *ἔγραψα καὶ παρέδειξα τοῖς πολλοῖς ὅτι*
> *κἂν τὸ τυχὸν ᾖ πραγμάτιον ἢ σφόδρ' εὐτελές,*
> *σεμνὸν δύναται τοῦθ' ἡ δύναμις ἡ 'μὴ ποιεῖν·* 69
> *„γέροντα Θάσιον, τόν τε γῆς ἀπ' Ἀτθίδος*
> *„ἑσμὸν μελίσσης τῆς ἀκραχόλου γλυκὺν*
> *„συγκυρκανήσας ἐν σκύφῳ χυτῆς λίθου,*
> *„Δήμητρος ἀκτῇ πᾶν γεφυρώσας ὑγρόν,*
> *„κατησίμωκα πῶμα καύματος λύσιν."*

Iactat Mnesiptolemus artem suam res quamvis vulgares dictionis splendore ad eximiam magnitudinem et gravitatem extollendi. Cuius artis specimen edens, grande quiddam et tragoedia dignum sonare incipit: unde versus, quibus hoc specimen continetur, etiam numeris tragicis incedunt. Ex qua re intelligitur, corruptam esse vulgatam scripturam *ἀκρολόγου*, quam Barkerus, si tragicos hic numeros requiri animadvertisset, facile vidisset aliter quam addito ad *γλυκὺν* articulo corrigendam esse. Quod in epitome MS. legitur, *ἀκρολόχου*, satis aperte monstrat scribendum esse *ἀκραχόλου*; eamque ipsam scripturam in excerptis repperisse se testatur Casaubonus, nuper autem merito adscivit Iacobsius. *Γλυκὺν* quidem recte repositum puto pro *γλυκύ*, quod libri habent. Nam etsi etiam *γλυκεῖ*, quod ad *σκύφῳ* referretur, scribere potuit Epinicus, tamen concinnior videtur oratio, relato hoc nomine ad *ἑσμόν*. *Συγκυρκανήσας*, quod etiam Iacobsius posuit, emendatio est, nisi fallor, Schneideri in Lexico Graeco: nihil est enim vulgatum *συγκυρνανήσας*. Tum qui *πᾶν γε φυράσας ὑγρὸν* scribi voluerunt, neque quid

inutilis particula γὲ sibi vellet ostenderunt, neque animad-
70 verterunt tolli ea mutatione insolentiam dicendi, quam affectabat Mnesiptolemus, nec denique cogitarunt, non pultem factam esse, sed paullum farinae adspersum vino. Aptissime vero Mnesiptolemus, suo quidem genere dicendi, *Δήμητρος ἀκτῇ πᾶν ὑγρὸν γεφυρῶσαι* dixit, si quidem iniecta farina vinum, ut aqua ponte, sternitur. Natat enim in superficie, donec hausto humore mergatur. Mersa qui vinum bibebant, et *ἀπαλφιτίζειν* dici potuere, et *ἐπ' ἀλφίτου πίνειν*, ut non magis in primo versu *ἀπ' ἀλφίτου* scribi, quam propter istud *ἐπ' ἀλφίτου* apud Athenaeum *ἐπαλφίτισε* reponendum esse videatur. In ultimo versu quod epitome MS. dedit, *κατησίμωκα*, caeterorum librorum scripturae *κατησίμωσα* praetuli, quae nuper in *κατησίμωσε* mutata fuit, nescio an haud satis circumspecte. Multo enim credibilius est, Seleucum, quem *ἡδέως πίνοντα* viderat, a Mnesiptolemo introductum fuisse ita magnifice loquentem, quam ipsum Mnesiptolemum in tali re commemoranda isto genere dicendi usum esse. Hoc enim nimis ineptum fuisset: illud vero aliquid excusationis habebat, regem, bene sibi esse dicentem, in compotatione ipsa paullo tumidius loqui.

Veniam nunc, quo volebam. Ridet quidem Epinicus Mnesiptolemum propter inflatum genus dicendi, verum non illud significat, dixisse eum quae dici nequeant, sed hoc notat, quod in rebus exilibus tanto verborum strepitu abutatur. Itaque non conficeret rem, qui *ἑσμὸν μελίσσης* pro melle vel copia mellis a solo Mnesiptolemo, ut scriptore inepto, dictum contenderet. Sed cautius solvenda est haec dubitatio, videndumque, ne, si eadem
71 verba in re gravi aptoque loco usurpata essent, nihil essent offensionis habitura. Quum autem duae interpretationes prostent, de utraque seorsum quaerendum est. Ac recte omnino negat Barkerus, *ἑσμὸν μελίσσης* posse copiam mellis significare: verum rationem huius rei vellem explicuisset vir praestantissimus. Nam usus ipse per se, licet plurimis exemplis confirmatus, non tantam habet vim,

ut non etiam discedi aliquando ab eo possit. Est autem ratio, quam dico, haec. Verba, quae ad alias res transferuntur, quam in quibus propria sunt, non proprie intelligenda esse, ex eo apertum est, quod proprie intellecta inepta forent. Eodem modo, ubi propria sunt, proprie intelligi debere apparet: repugnaret enim, propria esse, et tamen non propria; translata esse, et tamen non ad aliud, sed ad id ipsum, unde translata essent. Veluti qui civitatem regunt, recte quis civitatis gubernaculum appellaverit: sed navis gubernatorem qui gubernaculum navis diceret, ineptissime loqueretur, et ut intelligi non posset. Vt alio et magis etiam aperto exemplo utar, caput partem primariam dici in re, quae proprie non habet caput, inter omnes constat. At quis sanus, in homine quid primarium sit si indicare voluerit, ut cor, aut ipsum caput, id caput hominis esse dicet? Ex his evidentissime efficitur, *ἑσμὸν μελίσσης*, si haec verba per se spectantur, necessario examen apum significare, copiam autem sive apum sive mellis significare nullo modo posse. Idque in Epinici versu tanto minus fieri potest, quod apem proprie dictam esse epitheton ei nomini additum arguit. 72

Sed dicatur nunc de altera interpretatione, qua *ἑσμὸς μελίσσης* simpliciter mel significare dicitur. In hoc nihil esse quod reprehendi possit, statim ostendam. Sed qui eam protulit, Porsonus, licet hac in re non erraverit, at peccavit tamen in eo, quod permiscuit quae discernere debebat. Nam *ἑσμοὶ γάλακτος* et *ἑσμοὶ σοφίας* comparari inter se poterant, quia utrumque de copia dictum est, translata ad aliam rem significatione vocabuli. *Ἑσμὸς μελίσσης* vero comparari cum his non potest, quia non translate de copia, sed proprie de examine accipienda sunt haec verba. Potuissent comparari, si *ἑσμὸν μέλιτος* scripsisset Epinicus. Sed etsi non distinxit haec Porsonus, tamen recte *ἑσμὸν μελίσσης* mel interpretatus est. Nam ut paullo audacior haec translatio sit, at nihil continet quod secum pugnet, ut altera illa. Facta enim translatio est, ut saepe aliis in rebus, ab eo, unde quid

gignitur, ad id, quod genitum est. Quod si omnino apem pro melle dici licet, quidni liceat etiam multas apes, aut examen apum? In quo si copiae quaedam significatio inest, latenter inest, quia quo maior apum numerus, tanto maior etiam mellis copia. Atqui apis nomine sine cuiusquam offensu de melle usus est Sophocles in Oed. Col. 480.

Ο. τοῦ τόνδε πλήσας θῶ; δίδασκε καὶ τόδε.
Χ. ὕδατος, μελίσσης· μὴ δὲ προςφέρειν μέθυ.

Quae quum ita sint, sic statuendum erit, etiam apud 73 Epinicum *ἑσμὸν μελίσσης*, ut ubique, examen apum significare: qui si dulce mel dulce examen iracundae apis vocavit, *ἑσμὸς* proprie, translate autem *μέλισσα* dicitur: quae translatio si nec vitiosa neque inusitata est, coniuncta utraque voce nihil nisi magnificentior haec est et cum quadam copiae significatione consociata mellis descriptio: quae si in re gravi usurpata esset, ut ubi Aeschylus in Persis

τῆς ἀνθεμουργοῦ στάγμα παμφαὲς μέλι

commemorat, laudaretur fortasse; nunc autem, ad rem exilem adhibita, snbtumida est et pene ridicula, licet vel sic minus reprehendenda, quam quem in eadem Mnesiptolemi oratione videmus *γέροντα Θάσιον*, vere illum isto quod supra tetigi vitio laborantem.

Caeterum ad verbum *ἑσμὸς* quod attinet, id si cum leni spiritu scribitur, usui hoc cuidam tribuendum puto, sed ei nescio an pravo. Non enim dubitandum videtur quin hoc nomen a verbo *ἕζω* derivatum sit, quod apes conglobatae adhaerescere alicubi et considere solent. Tantum abest autem ut Eustathii testimonium repudiari velim, ut nomen *ἀφεσμός*, quod ille ex Aristotele affert, in maxime genuinis numerandum censeam. Quod nomen sane non potest idem significare, quod *ἑσμός*: verum significat etiam aliam rem. Verba Aristotelis IX. 27, 6. haec sunt: *οἱ δὲ βασιλεῖς οὐ πέτονται ἔξω, ἐὰν μὴ μετὰ ὅλου τοῦ*

ἑσμοῦ, οὔτ' ἐπὶ βοσκήν, οὔτ' ἄλλως. φασὶ καὶ ἐὰν ἀποπλανηθῇ ὁ ἀφεσμός, ἀνιχνευούσας μεταθεῖν, ἕως ἂν εὕρωσι τὸν ἡγεμόνα τῇ ὀσμῇ· λέγεται δὲ καὶ φέρεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἑσμοῦ, ὅταν πέτεσθαι μὴ δύνηται· καὶ ἐὰν ἀπόληται, ἀπόλλυσθαι τὸν ἀφεσμόν. Quod 74 Schneiderus dedit, *ὁ αὐτῶν ἑσμός*, et *τὸν αὐτῶν ἑσμόν*, vel propter inutile pronomen *αὐτῶν* non videtur admitti posse. Qui accurate consideraverit verba Aristotelis, facile intelliget, *ἑσμὸν* universe dici examen apum, *ἀφεσμὸν* autem, id quod plane cum ea quam indicavi origine vocabuli congruit, examen vagum, a principali examine, ut coloniam, digressum: idque ab Romanis proprie examen vocatur. Hanc dimissionem partis *ἄφεσιν* appellat Aristoteles eodem capite segm. 11. et 13. et lib. V. 18, 1. ubi quod scribit, *τότε καὶ ἑσμοὶ ἀφίενται πλεῖστοι*, nihil est nisi descriptio *ἀφεσμῶν*. Iuvabit cum iis quae supra posui etiam haec verba comparasse IX. 27, 13. *οἱ δὲ βασιλεῖς αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶνται ἄλλως ἢ μετ' ἀφέσεως.* Nam quos hic dicit cerni *μετ' ἀφέσεως*, hi sunt ipsi, quos illic *ἡγεμόνας τῶν ἀφεσμῶν* vocat. Quid multa? Ipse Aristoteles, quid sit *ἀφεσμός*, ipsa illa voce usus evidentissime declarat IX. 29. his verbis: *ποιοῦσι δὲ τὸ σμῆνος ὑπὸ γῆν αἱ ἀνθρῆναι, ἐκφέρουσαι τὴν γῆν, ὥςπερ οἱ μύρμηκες. ἀφεσμοὶ γάρ, ὥςπερ τῶν μελιττῶν, οὐ γίγνεται οὔτε τούτων, οὔτε τῶν σφηκῶν, ἀλλ' ἀεὶ ἐπιγιγνομέναι νεώτεραι αὐτοῦ μένουσι, καὶ τὸ σμῆνος μεῖζον ποιοῦσιν, ἐκφέρουσαι τὸν χοῦν.* Itaque loci illius quem supra posui haec sententia est: regem non evolare nisi cum universo examine; quod si examen vagum a duce suo forte dissociatum sit, investigari eum invenirique odore: eumdem, si volare nequeat, portari ab examine; mortuo autem perire examen vagum, quod cum eo evolaverit, relicto in alveari examine principali.

EPISTOLA AD FR. LINDEMANNVM *).

397 Recte fecisti, vir praestantissime, quod me longiore epistola ad scribendum excitasti. Nam quo mihi plus materiae ad scribendum praebetur, tanto et prius et libentius respondeo. Sane in verbis Prisciani, quae aperta sunt vitia, ut *χειλια* **), *δρυτο* ***), haud cunctanter corrigere poteras. Sed *πεντάκι δέκα* cur non mutasse te poeniteat ****), non video, quum *πεντάκι* defendi posse videatur. In illo non ausim tibi assentiri, quod *κατεκάετο* *****) Herodotum scripsisse putas. Mihi hoc Atticum potius, et vulgaris quidem sermonis esse videtur. In illo loco, qui est p. 217. praeferam equidem posteriorem coniecturam tuam, *καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς, ὃς ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον ἀντὶ τοῦ δύο ἥμισυ πόδες, προςθεὶς τὸ, ἐν δὲ Βατουσιάδης.* Sed vide ne multo lenius corrigatur; *καθάπερ φησὶν Ἡλιόδωρος, ὃς προςθεὶς τὸ, ἐν δὲ Βατουσιάδης, ἐν τῷ περὶ μουσικῆς, ἐπιφέρει* et reliqua. Puto autem ego Heliodorum 298 hic citari, metricum illum, quem veri simile est, cognatum rei metricae argumentum, musicam quoque attigisse. Ac suadet hoc etiam commemoratio pedis metrici, exem-

*) Haec epistola, quae non erat scripta ut ederetur, ab Lindemanno adiecta est editioni operum minorum Prisciani, quae prodiit Lugd. Bat. a. 1818. Sed edita semel, non videbatur in horum opusculorum collectione omittenda esse.

**) Pag. 203.

***) Pag. 208.

****) Pag. 202. confer p. 373.

*****) Pag. 208.

plique e poeta petiti. Confundi autem Heliodori Herodotique nomina satis constat. Omninoque grammaticus iste Herodotus ita mihi suspectus est, ut verear an umquam ullus fuerit.

Ad Hipponactis fragmenta quod attinet, perdifficilis emendatio est, quia sic est facienda, ut simul et Heliodorus et Hipponax excusationem habeat. Et de primo quidem versu,

Ἐρέω γὰρ οὕτω· Κυλλήνιε Μαιάδος Ἑρμῆ,

dubitare coepi an is recte se habeat. Legisse enim ita Heliodorum Priscianus docet, qui quum quartum quintumque pedem dactylos esse dicat, repetere videtur id ipsum, quod Heliodorus scripserat. Nam illud recte puto Müllerum, collegam tuum, animadvertisse, alludi hic ad compellationem Mercurii epicis usitatam. Quis autem dicat hodie, quo fine ista scripserit Hipponax, et cuius ille versus ad risum traducere voluerit? Quod ille si fecit, consulto debuit, quoniam verbis illis utendum erat, pravum versum condere. Idem fecit Rhintho apud Hephaestionem p. 4. (10.)

ὥς σε Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη·
Ἱππώνακτος τὸ μέτρον· οὐδέν μοι μέλει,

fassus hic ipse malos esse hos versus.

Maior dubitatio est de altero versu, p. 248. cuius in secundo pede spondeum, in quarto dactylum esse necesse est. Tentari multa possunt. Sed omnium facillimum est, in quod tutemet incidisti, modo, quo ducit etiam codex tuus, dativum ponas, 390

τοὺς ἄνδρας τούτους ὀδύνῃ γύαλα ῥιγηλά,

manus prae dolore febricitantes, si recte *γύαλον* de vola manus dici tradit Etymologus, quod tamen valde probabile est. Sic facilis et Hipponacti et Heliodoro

parata excusatio, ubi meminerimus codice hunc usum esse, in quo solemni permutatione *τούτους* pro *τούςδε* scriptum fuerit. Nam tunc Hipponactem sic scripsisse censebimus:

τοὺς ἄνδρας ὀδύνῃ τούςδε γύαλα ῥιγηλά.

Pag. 148. Doricos genitivos in *αν* ego quidem etiam in adiectivis, quale hoc est, et participiis circumflectendos puto, quoniam *ᾶν* istud ex *άων* contractum arbitror. Heliodorus Pindari et aliorum versus, quos deinceps affert, perinepte iambicos esse putavit, qui sunt longe aliis metris scripti. Sed in primo Pindarico exemplo *ἔθηκε* scribendum, quia aliter monuisset de vitio Priscianus. Eadem caussa mox scribendum:

τροχὸν μέλος· ταὶ δὲ Χείρωνος ἐντολαί.

Qui mox sequitur versus, non est quare metuas de particula *δέ* post secundum verbum posita. Recte ea sic collocatur, praesertim in tali loco. Nam *νηλεεῖ νόῳ δὲ* idem est quod *νηλεῶς δέ*. Quod etsi potest etiam *νηλεεῖ δὲ νόῳ* dici, tamen hoc *νηλεεῖ δὲ νόῳ* sic proprie dictum est ut sit *νηλεεῖ δέ, οὐκ ἐλεήμονι νόῳ*. Sed totum versum ita scribe:

ἐν δασκίοισιν πατήρ· νηλεεῖ νόῳ δ'.

De quo sermo sit, frustra, opinor, quaesiveris.

400 Pag. 249. Scribe certa emendatione, quam et litterae in codd. et verba Prisciani exigunt,

δ' οὐδὲν προςαιτέων ἐφθεγξάμαν ἔπι.

Sed postremam quoque vocem mutandam, et *ἔτι* scribendum esse, vix dubium puto.

Anacreontis versus ex duobus dimetris iambicis brachycatalectis compositus est.

⏓ ´– ⏑ – ⏑ – | ⏓ ´– ⏑ – ⏑ –

Mox p. 250. in Simonidis versibus fraudem tibi factam agnosces in verbis *ἀντιστρέφει δὲ αὐτῷ*, quae recte se habent. Non sunt enim Simonidis verba, sed Heliodori, dicentis versui, quem modo attulisset, *ἀντίστροφον* esse, i. e. in antistropha respondere hunc,

ἀποτρέπουσα Κῆρας.

(Conf. etiam Gaisford. ad Simon. fr. in poet. min. p. 401.) *Ἀποτρέπουσα*, an *ἀποτρέπουσαν* verum sit, quis dixerit? Plus auctoritatis nominativus habere videtur. Alterutrum certo verum est. De Alcmanis fragmento fugerunt te, quae dixi in diariis Ienensibus 1816. m. August. 154. in censura editionis Welckerianae, versus ita legendos videri,

Μῶσ', ἄγε, Μῶσα λίγαια,
πολυμελὲς ἀοιδᾶς μέλος
νεοχμὸν ἄρχε παρθένοις ἀείδεν,

postremumque versum, et eum, quem huic addit Priscianus, hoc metro esse

⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ – ⏓

Eodem metro est ille, in quo recte praefers *χερσόνδε.* 401
Qui deinde Pindari et Bacchylidis versus commemorantur, hos numeros habent:

⏓ –́ ⏑ –́ – | –́ ⏑ –́ – –́ ⏑ ⏑ –

In Hipponactis versibus, qui sequuntur, mihi quoque recte videtur Welckerus *Κυλλήνειε* coniecisse.

Pag. 253. Nondum persanavisti Eupolidis fragmentum, in quo ego quoque in Elem. d. m. p. 586. a vero aberravi. Bene factum, quod codex tuus *πάνυ λεπτῷ* praebuit. Sed quid tum *γέ*, non suo loco positum, omninoque non aptum? Scribe,

ἵν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν,

„ubi licet homini prorsus macilento et specie pravo.“

Vale, praestantissime Lindemanne, et me tui puta amantissimum esse. Argumento tibi esto, quod sepositis negotiis, quibus plurimis obrutus sum, statim tibi respondi, nec medio die, sed circa noctis meridiem, ut Varro loquitur, et multis in mensa mea iacentibus epistolis, inde a duobus mensibus acceptis, ad quas nondum responsum est. D. 17. Decembr. CIϽIϽCCCXVII.

DE R. BENTLEIO EIVSQVE EDITIONE TERENTII DISSERTATIO *).

R. Bentleium quantopere admirer, Candidati humanissi- 3
mi, quum in scriptis meis saepe declaravi, tum ii sciunt
omnes, qui vel scholis meis vel familiari consuetudine usi
sunt: habeoque eam admirationem quasi hereditariam a
praeceptore meo, Frider. Volg. Reizio, qui numquam
nominabat Bentleium, nisi cum aliqua reverentiae signifi-
catione, tantumque ei tribuebat, ut eum discipulis suis
tamquam perfectissimum critici exemplum proponeret.
Quod viri eximii iudicium quum mihi verissimum esse vi-
deatur, facio ego quidem idem, ut adolescentibus, qui
antiquitatis studia consectantur, Bentleium prae caeteris
ducem commendem, verumtamen ita id facere consuevi,
ut simul eos moneam, ne, si viam inveniendi veri rectam
ab eo sibi monstrari videant, continuo etiam, quae inve-
nerit ille hac via, vera esse credant, sed potius, conser-
vata libertate iudicandi, eadem via, an ille aberraverit
a vero, perspicere studeant. De qua re operae pretium
putavi paucis exponere, praesertim quum videam Frider.
Aug. Wolfium, qui in Analectis litterariis vol. I. egregie

*) Edita est a. 1819.

de Bentleio disseruit, illud, quod in primis a tali viro exspectabatur, non fecisse, ut quid laudandum in Bentleio atque imitandum, quid autem reprehendendum et vitandum esset, ostenderet. Et quamvis putem caussas illum quasdam habuisse, quare haec non attingeret, tamen quod p. 54. de Terentii editione iudicium posuit, eiusmodi est, ut tanto magis, quid mihi videatur, dicendum ducam, quo maior huius viri apud omnes auctoritas est. Ait autem etiam in huius scriptoris editione Bentleium aliquot audaces et temerarias coniecturas more 4 illo parum sane laudando in textum intulisse, sed tamen, qui posthac ad Terentii emendationem accessuri sint, multo pauciora inventuros esse, quae reiicere debeant, quam in ullo alio, quem ille ediderit, scriptore. Ducem et auctorem huius sententiae, ut opinor, habuit vir summus Reizium, quem saepe memini dicere, multo aequius viros doctos de Terentio Bentleii iudicaturos esse, si ille, quas fecit adnotationes ad eum scriptorem, eadem cura ac diligentia, qua ad Horatium, perscripsisset. Ego quidem aliter sentio, et, licet numquam non dicturus sim, quod semper professus sum, unicum Terentii sospitatorem esse Bentleium, tamen vix paucas in toto eo libro paginas esse arbitror, in quibus non inveniatur, quod aut non satis recte, aut minus considerate dictum sit. Quae tamen res etiam augere debet admirationem viri, qui quamvis in tanta errorum copia immortale ac plane divinum opus condiderit. Sed priusquam exemplis, quae dixi, comprobem, paucis de ingenio viri dicendum est, ut appareat, quomodo summae eius virtutes saepe non potuerint non in vitium vertere.

Erat Bentleius vir infinitae doctrinae, acutissimi sensus, acerrimi iudicii. Et his tribus rebus omnis laus et virtus continetur critici. Ex quibus scientia antiquitatis idonea ordine primum tenet locum, ut quae et sensum nutriat atque excolat, et iudicio materiam praebeat iudicandi. Ad eam sensus accedat necesse est, qui positus est in naturali quadam facultate statim animadvertendi,

quid quaque in re verum, aptum, decorum, venustum sit: cui etsi, ut dixi, nutrimenta et cultum praebet antiquitatis pervestigatio, tamen procreare eum, si cui non est a natura datus, non potest. Est autem tam praeclara haec atque eximia facultas, ut sola sit illud, quod ingenii nomine appellare consuevimus. Qua qui praediti sunt, etiam si careant illa, quam statim dicemus, iudicii subtilitate, tamen saepe felicissime exercent artem criticam, quatenus ea quidem in coniectandi facilitate consistit: sed si res demonstratione indiget, neque ipsi sibi rationes reddere possunt, neque alios quo ad suam sententiam perducant, habent. Quamobrem tertia accedere debet iudicii 5 vis et subtilitas, quae caussis rerum investigandis, explicandisque rationibus, et doctrinae et sensui lumen afferat. Atque huius demum accessio facit, ut quis vere dignus appellatione critici censeri possit, non secus ac militem neque arma faciunt, nec fortitudo, si disciplina atque exercitatio absit. Est autem haec uti praestantissima in critico virtus, ita eadem etiam periculosissima, non quod quis nimium habere iudicii queat, sed quod abuti eo proclive est. Quum enim qui acri iudicio sunt, plerumque severiore soleant et fervidiore ingenio praediti esse, facile eo abripiuntur, ut sola iudicii vi omnia perfici posse existiment, atque ita modo ea, quae discendo cognosci debent, negligant, modo sensum admonitorem non audiant. Non est autem obscurum, pro rerum, quas quis tractet, diversitate, plus minus eum abuti iudicio posse. Sunt enim, quae unice iudicio opus habeant: in quibus nullus est abusus iudicii. Aliud est enim, perperam iudicare, quod potest accidere etiam non abutenti iudicio; aliud, abuti iudicio, quod facere potest etiam qui recte iudicat. Sunt vero etiam, quae moderatorem iudicii sensum illum, quem diximus, requirant: in quo genere proprius est iudicii abusus, si quis, ubi sensum consuli oportebat, ab iudicio auxilium petat. Ex illo genere, quod primum posui, res sunt historicae: in quibus pervestigandis, si materia omnis congesta est, nulla re nisi iudicio opus est. Quare has, qui omnia ad iudicandi severitatem revocant,

recte tractabunt. Idque Bentleium in dissertationibus illis Phalarideis et epistola ad Io. Millium sic fecisse videmus, ut vix ullum perfectius cogitari artis criticae monumentum possit. Ad alterum genus scriptorum veterum interpretatio atque emendatio pertinet. Ea vero in primis sensu illo indiget, qui ex obscuris est notionibus compositus, quas attenta operis cuiusque lectione et contemplatione colligimus. Qui sensus quum ob id ipsum, quod obscuris notionibus continetur, quasi inermis sit, si ad iudicii strenuitatem comparetur: facile obmutescat necesse est, si quis, ubi examinare eum potius atque explicare debe-[6]bat, statim rem ad rationis subtilitatem traducat, eoque disputationem non ad id, ad quod conveniebat, sed ad aliud quid conferat. Idque omnium facillime in poetis fieri potest: quorum quum omnis oratio ad sensum magis, quam ad severas quasdam cogitandi regulas composita sit, non recte interpretabitur eos, qui verba eorum, tamquam si mathematici aut philosophi essent, ad amussim exigat, et non potius quid senserint, quam quid argutando ex singulis verbis elici possit, consideret. Quod si hoc in genere qualem se praebuerit Bentleius dicendum est, nullus est scriptor, quem ille adnotationibus instruxerit, quin innumerabilia exhibeat exempla disputationum, in quibus etsi subtilitatem iudicii admirari debeamus, tamen non possimus non abusum eius reprehendere. Etenim quum ille fervidius omnia atque haud raro etiam cupidius attrectaret, saepenumero elabi sibi passus est ea, quae si animadvertisset, longe aliter fuisset iudicaturus. Nam etsi sensu illo, quem diximus, minime carebat Bentleius, tamen saepe, fervidioris naturae impetu abreptus, dum explicare eum vel negligebat, vel ob rei difficultatem defugiebat, in iis retinebatur, quae ad primum adspectum non satis commode dicta videbantur, eaque tam cupide emendabat, ut suis ipse disputandi artificiis captus, non videret illa, ex quibus nullam esse emendandi necessitatem intelligere potuisset. Ita factum est, ut hic tam eximius vir minime eamdem in poetarum emendatione, quam in explicandis rebus historicis laudem meruerit. Verum-

tamen ut ille plurimos poetarum locos, si verum fateri volumus, corruperit magis, quam emendaverit, tamen ratio, qua in his disputationibus usus est, tam est egregia, ut nihilominus exemplum haberi debeat, quod imitentur, qui diligenter, accurate, et perspicue de his rebus disceptare volunt. Qui ut et hoc discant, et simul temeritatem, quam in Bentleio multi notarunt, declinare adsuescant, mea sententia illud potissimum operam dare debent, ut has Bentleii disputationes, quibus ille locos sanos vexavit, aut affectos non recte restituit, eadem, qua ipse uti solebat, diligentia ac strenuitate refellant, quaeque neglecta sunt ab eo, ea in luce collocent, ut errasse eum iam dubitari amplius nequeat. 7 Nam illud quidem facillimum est, sensu monente improbare ac reiicere eius emendationes: idque permulti, immo plerique fecerunt editores Horatii Terentiique, quorum tamen nullus fuit, qui comparari cum Bentleio posset. Hoc vero, refutare eum, uti saepe difficillimum est, ita, si recte et plene fiat, simul et debitam tanto viro reverentiam prodit, et operam scriptoribus illis vere salutarem praestat, et exercitationem affert artis criticae utilissimam.

Sed non est praetereunda una res, in qua Bentleius singulari cum fructu litterarum sensui omnia, iudicio prope nihil tribuit. Dico autem rem metricam, in qua luculentissime apparet divinum viri ingenium, qui non alio duce, quam sensu suo, spretis inanibus magistrorum commentis, nova nullique tentata via ad veritatem perruperit. Nam quum omnis numerorum scientia a sensu originem ducat, naturam eorum autem rationesque explicare difficillimum sit: non est mirum, Bentleium, quae vera esse sentiret, quum ea explicare non posset, audacter ut certa in medium attulisse: quorum explanatione ut supersedere posset, arcanam rationem musices memorabat, bene gnarus, opinor, aliis eam non magis quam sibi ipsi notam esse. Ita evenit, ut, quum iudicium ab his rebus procul haberet, solumque sensum sequeretur, non incideret in erro-

res illos, a quibus aliter vereor ut immunis mansisset. Quod si in singulis quibusdam locis aut versibus Terentii ab recta metrorum ratione aberravit, haec non est eius metricae scientiae quaedam perversitas, sed de verbis ad metra accommodandis pravum iudicium.

Itaque ut paucis comprehendam, sic iudicabimus de Bentleio, in rebus historicis criticum eum esse perfectissimum; in scriptorum autem veterum, poetarum maxime, emendatione saepissime abusum esse iudicio suo, ita tamen, ut etiam ubi errat, in demonstranda defendendaque sententia sua admirabilis sit; denique, ubi eum rei natura ac necessitas quaedam ad solum sensum veri redegerat, nulla iudicio abutendi copia relicta, eximium conspici.

8 Iam vero quod ad eius editionem Terentii attinet, de qua quod ad rem metricam spectat quid sentirem, non uno loco in his, quae de metris scripsi, significatum est, de ea quod supra dicebam, multo me aliter iudicare, quam Fr. A. Wolfium, id ut non sine idoneis rationibus dictum ostendam, non hinc illinc aliquid decerpam, quod quaesitum potius esse, quam ultro se obtulisse videatur, sed prologis utar Andriae et Eunuchi, ut eiusmodi exemplis, in quibus aliquanto difficilius, quam in aliis, quod peccari potuerit, inveniri quis suspicetur. Et in Andriae quidem prologo, fateor, non nisi duo loci sunt, in quibus eum aberrasse a vero putem: plures in prologo Eunuchi. Erat ei autem praeter solitam illam audaciam alia in Terentio, eaque duplex ad errorem proclivitas, una, quod nimium festinabat hanc editionem, altera, quod, quum Fr. Harium insectaretur, cupidius, quae huius viderentur negligentiam arguere, exquirebat. Sed accedam ad rem. In prologo Andriae v. 9. edidit:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
qui utramvis recte norit, ambas noverit.

non ita dissimili sunt argumento, et tamen
dissimili oratione sunt factae ac stilo.

In libris est *sed tamen*, quod quum metro repugnaret, emendandum fuisse, non est dubium. Posuit ergo *et tamen*, quod tribus confirmat argumentis. Eorum ultimum aperte argutius quam verius est. Nam quum Donatus scribat, *sed tamen*, *ἀνακόλουθον est*: *non enim supra posuit Quidem*, probat hoc, contenditque, si *sed tamen* scripsisset Terentius, debuisse eum etiam *quidem* ponere; nunc, quum non praecesserit *quidem*, consequens esse, ut *et tamen* sit vera lectio. At haec ratiocinatio falsissima est. Nam si verum est, ad *sed tamen* requiri *quidem*, in quam rem duo exempla affert, nihil aliud concludi potest, quam, ubi *quidem* desit, non potuisse *sed tamen* dici; non etiam, dicendum fuisse *et tamen*. At vero etiam prius illud falsum esse, vel sine exemplis apertum est. Quid autem si ipse Terentius etiam alibi 9 sic loquitur? Ac facit in Adelph. IV. 4, 15.

sensi ilico ad illas suspicari: sed me reprehendi
tamen.

Aliud argumentum ab Eugraphio petit, apud quem, quod ipse coniecerat, *et tamen* scriptum sit ad v. 8. Et ita sane edidit Lindenbruchius. Sed editio Westerhoviana, in qua e duobus MSS. editus est Eugraphius, *sed tamen* habet: quamquam quum haec valde negligenter facta sit, non multum ei tribuam. Illud vero apparet, admodum levem esse tam corrupti scriptoris auctoritatem. Itaque tertium denique argumentum videamus, quod depromptum est ex duobus aliis Terentii locis, Andr. I. 1, 32.

horum ille nihil egregie praeter caetera
studebat: et tamen omnia haec mediocriter.

Et IV. 1, 9.

et timent, et tamen res premit denegare.

At quid probant hi loci? Inveniri *et tamen*: nihil amplius. Quin secundus eorum ne debebat quidem comme-

morari, ut in quo non *et tamen* coniuncta sint, sed duo *et* sibi respondeant. Prior vero locus etiam redarguit emendationem, quam fecit. Demonstrat enim, ubi dici possit *et tamen.* Est autem his voculis non nisi in primaria sententia locus. Atque hoc ibi vult Simo, nihil quidem istorum illum egregie studuisse, sed tamen omnia mediocriter, i. e. quantum satis esset. Atqui in prologo illud *et tamen* in secundaria sententia foret. Neque enim hoc dicit, esse quidem fabulas istas non ita dissimili argumento, sed tamen oratione ac stilo dissimili: ex quo simul apparet, cur *quidem* ibi poni non potuerit: sed hoc vult, etsi oratione ac stilo dissimili sint, tamen argumento non esse ita dissimili. Hinc primo eam, quae primaria sententia est, solam ponit: *non ita dissimili sunt argumento.* Ei recte deinde addet, *sed tamen oratione sunt dissimili*, quo paullum restringat, quod dixerat. Quod si *et tamen* diceret, non restringeret illud, sed plane elevaret et tolleret, ut iam non esset amplius primarium. Est
10 enim illud *et tamen* idem quod *nihilo minus.* Itaque quum *sed tamen* metri caussa, *et tamen* autem propter sententiam dici non potuerit, quid aliud, quam neutrum admittendum esse, sed aliam emendationem quaeri debere iudicabimus? Et quum tribus modis scribere potuerit Terentius, aut *tamen* solum, aut *attamen*, aut sic, *ut tamen dissimili oratione sint factae ac stilo*, nemo facile erit, quin, nisi *tamen*, *attamen* praeferendum putet, quod non ita raro eadem potestate est, qua *verumtamen*, ut apud Cic. Ep. ad fam. VII. 26. Ac permutantur ab librariis *attamen*, *et tamen*, et *sed tamen*, ut apud Cic. de Fin. III. 15. §. 48. cuius loci propterea mentionem feci, quod interpretes neque disputationem illam, quae ibi est, satis commode explicuisse, et non recte istud *attamen* recepisse videntur, quod, quum longe maxima pars librorum *et tamen* habeat, in quod ibi vix quisquam librarius incidisset, magnam emendationis speciem prae se fert. Ego quidem si quid video, negligentia familiaris sermonis fecit, ut ista et intelligerentur male, et perperam interpungerentnr. Quare sic ea interpungenda putem: *haec*

mirabilia videri intelligo: sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, et tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant, non idem facere eas in virtute, neque in caeteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest. Cohaerent haec ita: ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed non idem facere divitias in virtute censendum est: quod *censendum est*, quoniam latet in illo, *non est dubitandum*, omisit. Et sic etiam quae sequuntur, facilius videntur explicari posse.

Levius est alterum in prologo Andriae. Nam quod statim sequitur:

> *quae convenere, in Andriam ex Perinthia* 11
> *fatetur transtulisse atque usum pro suis,*

„quis fatetur?“ inquit: „an Menander? is enim nominativus in proximo est: adde igitur in fine versus, *ex Perinthia hic?*“ At inane hoc argumentum est, quum recte pronomen omittatur, ubi res ipsa non sinit dubium esse, de quo sermo sit. Quare et hic isto additamento recte carebimus, et in Eunuchi prologo v. **31**. ac Phormionis v. **4**. Illud vero mireris, cur eam emendationem non fecerit in prologo Heautontimorumeni v. **11**. ubi maiorem videri potest offensionem habere haec omissio pronominis.

Sed videamus Eunuchi prologum, cuius statim primo versui manum emendatricem admovendam putavit. Ibi haec leguntur:

> *si quisquam est, qui placere se studeat bonis*
> *quam plurimis, et minime multos laedere,*
> *in his poeta hic nomen profitetur suum.*

Hic *studeant* exhibuit. „Nisi enim *studeant* legeris," inquit, „inepte infertur *in his*." Itane vero? Immo nihil putem inconsideratius dici potuisse. Nam si inepte infertur *in his*, nisi *studeant* praecesserit, etiam *studeant* inepte inferatur necesse est, nisi *si quiquam sunt* praecesserit. Pergit autem: „*quisquam qui studeant*, plane „ut And. IV. 1, 3. *cuiquam ut gaudeant*." Recte sane: sed dicendum erat, quare haec similia essent, quum facile dissimillima videri possint, si inter se comparentur. Sic enim ibi:

> *hoccine credibile aut memorabile,*
> *tanta vecordia innata cuiquam ut siet,*
> *ut malis gaudeant, atque ex incommodis*
> *alterius sua ut comparent commoda.*

Non hic simpliciter *quisquam*, sed *tanta quisquam vecordia* commemoratur. Quod contra, *si quisquam est, qui placere se studeant bonis*, videri potest sic dictum esse, ut sit, si quisquam est eorum, qui placere se bonis studeant. Sic vero deesset pars necessaria sententiae. De-12beret enim tale quid dici: si quisquam est eorum, qui placere se studeant bonis, qui id recte, atque ex animo faciat, is est hic poeta. Sed, qui sic verba ista interpretaretur, vel erraret, vel argutaretur. Neque enim dubitandum videtur, quin recte illud dicatur, *si quisquam est*, *qui studeant*, ut id sit idem ac, *si quiquam student*, ideoque plane comparari possit cum illo, *cuiquam, ut gaudeant*. Nam *quisquam* etsi non est nomen collectivum, tamen sententia ut sit collectiva facit: quam plene si eloquare, talis est: si quisquam est, quales multi sunt, qui studeant: tantane cuiquam innata vecordia est, quanta sunt multi, ut malis gaudeant. Quamquam his omnibus nihil aliud efficitur, quam potuisse Terentium *studeant* scribere. Scripsisse vero, qui probabit? „Vbi Donatus," inquit, „*cum dixisset Cuiquam, intulit numerum plu-* „*ralem: ut alibi: si quisquam est, qui placere se stu-* „*deat bonis.* Ita quidem hodie editum est: sed luce „clarius est, Donatum hic legisse *studeant.* Priscianus

„p. 1099. *Construuntur*, inquit, *diversi numeri: Te-*
„*rentius in Eunucho, Si quisquam est, qui placere se*
„*studeant bonis* etc. *Quisquam enim ad multos intel-*
„*legitur: quomodo in Adelphis, Aperite aliquis actu-*
„*tum.* Vbi Putschius quidem *studeat* dedit, plane con-
„tra loci sententiam. At testor ego me in quattuor Pri-
„sciani exemplaribus *studeant* repperisse.“ Indignum vero, tantum virum ob tantillam rem ita se passum esse cupiditate abripi, ut ne a fraude quidem et fallacia auxilium petere adspernaretur. Cur enim tacuit, et Donatum isto loco, quem affert, ad Andr. IV. 1, 3. et Priscianum, etiam illum versum adiecisse,

in his poeta hic nomen profitetur suum?

Ex quo aperte consequitur, ut potuerint legere *studeant*, tamen non solum non luce clarius, sed potius valde dubium esse, id eos in libris suis habuisse, quum, ut pluralem et singularem coniungi ostenderent, illud *in his* adiiciendum duxerint, quo, si *studeant* legebant, carere certe potuissent. Cur autem hic illud, nisi decipiendi lectoris caussa, tacuit Bentleius, et non ad Heaut. II. 4, 12. ubi plane ita, ut et Donatus et Priscianus videntur 13 voluisse, scribit: „mutatio est numeri, ut Eun. Prolog. „*si quisquam est — in his.*“ Ita omnis illa disputatio eo redit, ut nihil pro isto *studeant* protulerit, quam quattuor illos libros Prisciani, quorum non videtur permagna auctoritas esse, quum et postremum versum addiderit Priscianus, neque de isto *studeant* quidquam dixerit, et in his, quae de plurali dicit, verba *in his* potius spectasse videatur, ut qui Terentii locum cum hoc Sophoclis compareat in Antigona, v. 707.

ὅςτις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
οὗτοι διαπτυχθέντες, ὤφθησαν κενοί.

Sequitur statim apud Terentium:

tum si quis est, qui dictum in se inclementius
existimabit esse, sic existimet.

Edidit Bentleius *existimarit*, et hanc adscripsit parum consideratam adnotationem: „Plures ex nostris *existima-* „*vit*, unus *existimabit.* Sane sententia ipsa futurum po- „stulat: *si quid in hoc prologo dicturus est inclemen-* „*tius.* Legendum tamen, *existimarit esse*, *sic existimet.* „*Si quis existimaverit*, ut v. 1. *siquis studeat.* Donatus „ad locum: *Existimat*, *pro Existimavit.* Corrige, *Exi-* „*stimarit*, *pro Existimaverit.*" Neque v. 1. scriptum est, *si quis studeat*, neque, si esset scriptum, comparari cum eo posset *si quis existimarit:* quod verbum hic manifesto non est coniunctivus perfecti, sed indicativus futuri exacti. Donatum autem quis credat tam inutilem adnotationem fecisse, *existimarit pro existimaverit*? Immo scripsit hic: *existimat* (sic enim legebat, et est hoc in aliquammultis libris) *pro existimabit.* Hoc ipsum autem *existimabit*, pro quo multi librarii vulgari errore *existimavit* scripserunt, multo magis communi sermoni conveniens est, quam *existimarit*: ut appareat, nihil mutandum fuisse.

Mox dedit:

> *qui bene vertendo et eadem scribendo male, ex*
> *Graecis bonis Latinas fecit non bonas.*

„*Ex Graecis bonis.* Sic," inquit, „Faernus: sed *ex* 14„priori versui apponendum: ut infra V. 2. 20. *quin invo-* „*lem in Capillum.* Neque enim cum viro docto tam fa- „cile corripuerim syllabam cum positione, tum natura longam." Praepositionem istam priori versui iam G. Fabricium, Muretum, et alios addidisse, Reizius adnotavit. Et in his quidem nihil est quod hoc miremur. Bentleium vero nollemus, ut Hario contradiceret, fecisse, quod rectius, si quid video, non fecisset. Exemplum, quod affert, alienum est. Nam ibi cohaerent verba utriusque versus una perpetuitate. Hic vero interpunctio est in fine versus, et non cohaerent verba, ut ineptum videri debeat, praepositionem divelli ab nomine suo. Quod autem addit de correptione eius, in eo ipse sibi repugnat, qui in Heaut. II. 4, 17. admiserit hanc correptionem in hoc trochaico:

ut ex illius commodo meum compararem commodum.

Et recte sane. Vnde scribendum erat, si quidem signis quibusdam et notis indicanda pronunciatio est,

'x Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Eodem modo Ennii verba disponenda videntur apud Cic. de Or. I. 45.

suarum rerum incerti, quos ego ope mea
'x incertis certos, compotesque consili
dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

In primo huius fragmenti versu, quum vulgo legatur *mea ope*, mutandum fuisse ordinem verborum vidit etiam Car. Reisigius in Coniect. in Aristoph. lib. I. p. 72.

Statim sequitur apud Terentium:

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
atque in Thesauro scripsit,

et reliqua. Ibi haec adnotavit: „Donatus: *apparet pro-„nunciatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem, „quam turpiter et imperite haec fabula scripta sit.* „Iterum: *Phasma: hanc fabulam totam damnat, ut „apparet, silentio; Thesaurum vero non totum, sed „ex uno loco.* Recte quidem haec: sed tamen, ut nunc „fertur, totus hic versus arena sine calce est: nec cum „prioribus, nec cum sequentibus cohaeret. Equidem in 15 „Donato manuscripto hoc legi, quod in editis non repe-„ritur: *item i. e. similiter.*" Hinc edidit, *item ut Menandri Phasma*, et confirmandae ei coniecturae affert II. 2, 33. et Heaut III. 1, 8. Poterat multa afferre exempla: sed quo plura attulisset, eo facilius vidisset, frustra afferri. Nam *item* est aliud quam *ita*, et *item ut* aliud quam *ita ut*. Nam *ita* significat, eo modo; *item* autem, eodem modo. Vnde similia quum comparantur, recte dicitur *item*, ut Heaut. V. 4, 12.

non, si ex capite sis meo
natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove;

non etiam, ubi exemplum affertur, comprehensum iam iis, quibus quia comprehensum est, est etiam simile. Cui rei significandae *ita* aptum est. Recte dicas: hic malas scribit fabulas: ita Phasma scripsit. Non recte dixeris: hic malas scribit fabulas: item scripsit Phasma. Contra non recte dices: hic male scripsit Phasma: ita Thesaurum; recte vero: hic Phasma male scripsit: item Thesaurum. Ex quo sequitur alienum esse ab illo Terentii loco *item ut;* nec minus *item* sine *ut*, quemadmodum est in illa Donati adnotatione. Sed mittamus hanc observationem Donati, quae fortasse ne est quidem huius, sed alius cuiusquam adnotatio, *item* in corrupto codice legentis: quid illud est, quod versum istum nec cum prioribus, nec cum sequentibus cohaerere ait Bentleius? Imperiose hoc dictum est; minime vere. Nam quis nescit, hoc vocabulum *idem* natura sua nectendae orationi inservire, ubi quidem de eodem diversa praedicantur? Horatius: *informes hiemes reducit Iuppiter: idem submovet.* Et sic Terentius hic aptissime hoc vocabulo usus est ad connectenda, quae de poeta isto refert. Bene vertendo, inquit, ex Graecis bonis Latinas fabulas fecit non bonas, i. e. ut recte Bentleius, oratione parum Latina scriptas: idem Menandri Phasma nunc nuper dedit, atque in Thesauro posuit quaedam valde absurda. In Phasmate quid peccaverit iste, nescimus. Aliud certe, quam orationem non satis Latinam notari, apparet ex ipsa illa voce *idem.* Loquitur autem ut de re nota cum quadam contemptus significatione, ut colligi possit, hanc fabulam aut non stetisse, aut certe valde displicuisse. In Thesauro autem apertum est non orationem, sed inventionem reprehendi. Itaque tantum abest, ut damnandum sit *idem*, ut videatur potius unice verum iudicandum esse. Quin dubitari etiam illud potest, an ista Donati adnotatio, qua ad emendationem faciendam usus est Bentleius, etiam confirmet librorum scripturam: si quidem non inepte coniicias, Donatum

sic potius scripsisse: *idem, i. e. similiter.* Quae non vocabuli, sed sententiae explicatio erit.

Versu 17. ita legebatur:

habeo alia multa, quae nunc condonabitur:
quae proferentur post, si perget laedere.

„Egregie," inquit, „codex C. C. *nunc quae condonabi-* „*tur*, sic enim et *nunc* et *post*, quae opponuntur, in ictu „ambo sunt, et *quae* non inchoat utrumque colon, pa- „rum venuste." Codicis illius scripturam in textu posuit. At ea non egregia, sed pessima est. Illud quidem leve est et non dignum argumentum quod quis refutet, quod ait parum venuste utrumque colon a vocabulo *quae* incipere: quae res tanto minus offensionis habet, quod alterum *quae* in arsi, alterum in thesi est. Hoc vero, quod de oppositione verborum *nunc* et *post* dicit, tam est falsum, quam quod falsissimum. Re sane illa opposita sibi sunt: at pronunciatione et forma orationis non sunt opposita. Essent, si sic dixisset, *nunc quae condonabitur, sed proferentur post.* Et tum omnino sic verba collocanda fuissent. At non est ita loquutus, sed multo venustius, multo convenientius familiari sermoni dixit, *quae nunc condonabitur*, nullo ictu excitans vocem *nunc*, et finiens his verbis orationem. Post demum ei in mentem venit etiam aliquid comminationis adiicere: unde dicit: *quae proferentur post.* Hoc *post* vero omnino in ictu poni debebat, quia opponitur illi *nunc* quod ante dictum fuerat: sed *nunc* quum dicebat, nondum in animo habebat ei aliquod *post* opponere: quare non poterat *nunc* illud ictu erigi. Falsa ergo scriptura est codicis illius, et argutae potius exilitati rhetoris alicuius, quam purae et simplici elegantiae Terentii conveniens.

Versu 25. in libris est: 17

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam.

„Colax Plauti," inquit, „a Nonio Marcello citatur; Nae- „vii Colax nusquam memoratur: nam quae superiore sae-

„culo apud Nonium et Priscianum ferebantur tamquam ex „Naevii Colace, ea iam ex vetustioribus codicibus Novio „tribuuntur. Mira vero locutio est, *esse Colacem Naevi*, „*et veterem fabulam Plauti.* Veterem modo fabulam! „an nullum ei nomen erat? et cur *veterem* de Plautinis, „cum Naeviani essent illis veteriores? Denique, si haec „vera lectio est, in eo quo accusat Luscius Terentium, „etiam excusat. Quippe si noster furatus sit personam „parasiti et militis et a Plauto et a Naevio, etiam Plautus „suam a Naevio sit furatus. Exemplo igitur ipso accusa„tio difflatur. Si haec displicent, de correctione cogi„tandum erit. Codex bonus C. C. C. *Naevi Plauti* sine „coniunctione *et*. Fallor, an sic dedit Terentius:

„*Colacem esse nempe, Plauti veterem fabulam*:
„*parasiti personam inde ablatam et militis.*"

Et hoc in textu posuit. Captiosa haec, sed valde infirma disputatio est. De Plauti quidem Colace hodie etiam per Frontonem constat, qui vol. I. p. 80. tres ex ea fabula versus affert. De Colace Naevii autem quod ait, superbius simul et incuriosius pronunciatum est. Operae pretium certe erat, nominatim indicare vetustos illos Nonii Priscianique codices, quorum auctoritate Novio ea fabula adscribenda esset. Nam Nonii editiones antiquae Naevium nominant, cui Novii nomen Ios. Mercerus ex coniectura substituendum censuit. Nunc quum Novius Atellanarum scriptor fuerit, cuius fabulae fere omnes Latina aut Osca nomina habent, ut de perpaucis, quae Graecis nominibus sunt, quaerendum, an huius poetae sint, esse videatur; quum porro Terentii libri omnes aperte Naevii Colacem exstitisse testentur; denique quum eam fabulam sub Naevii nomine semel Priscianus, saepius Nonius afferat, in quibus sicubi variat nominis scriptura, non valet hoc continuo ad abiudicandam a Naevio hanc fabulam, siquidem Naevii, Novii, Laevii, Livii nomina ubique commutantur: omnia nos eo videntur adducere
18 debere, ut non Novii, sed Naevii fabulam Colacem fuisse statuamus. Accedit quod fragmenta huius fabulae, ut a

Novii stilo non abhorreant, tamen ne quod a Naevio quidem alienum putari debeat, continent. Sunt autem haec. Apud Nonium in v. *prolubium* p. **64**, **9**. *Naevius in Colace:*

et volo,
et vereor, et facere in prolubio est.

Apud eumdem in v. *collum* p. **200**, **24**. *Naevius: cor utrum scapulae plus an collus calli habeat nescio.* Corrigunt: *Naevius Colace: utrum*; recte, ut videtur. Versus, qui aut trochaicus fuit septenarius, aut iambicus octonarius, ita scribendus:

. . *utrum scapulae plus an collus habeat calli nescio.*

Apud eumdem in v. *protinus* p. **376**, **11**. *Naevius in Colace:*

. . . *ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam*
me dedi.

Apud eumdem in v. *multare*, p. **462**, **32**. *Naevius Colace: et asseri laudes ago quum votis me multatis meis quod praeterquam vellem audiebam hoc mihi eminus.* Sic ed. Veneta a. **1496**. nisi quod pro *Naevius Colace*, ut postea scribi coeptum, habet *Neuius: Colar* cum lineola super littera *r*, quae *um* notat. Aliae edd. pro *eminus* dederunt *Ennius*. Mercerus, qui Novii nomen reposuit, miris coniecturis tentavit hoc fragmentum, quas satius est praeterire, quum facillima mutatione corrigi posse videatur. Scribe:

et asseri
laudes ago, quum votis me multat meis,
quod, praeter quam vellem, audiebam hoc mi eminus.

Loquitur aliquis, qui quum per asserem parieti sarciendo insertum e longinquo plus etiam, quam voluerat, audivisset, laudat asserem, per quem compos voti factus sit. Denique apud Priscianum sub finem libri IX. p. **874**. ita

legitur in ed. Putschii: *Naevius in Colace: qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi a publicando epulo Herculis decumas.* Et in Naevii quidem nomine omnes, quos ego sciam, libri consentiunt. Alter cod. Lips. *quid* pro *qui.* Fortasse ita scribendum hoc fragmentum:

19 *quid decumas partis? quantum mi alieni fuit,*
polluxi tibi iam publicando epulo Herculis
decumas.

Quae verba erunt exprobrantis beneficia in parasitum collata. Vide interpretes Plauti ad Curc. II. 3, 79. Stich. I. 3, 81. Sed satis mihi videor Naevio asseruisse fabulam Colacem. Itaque revertor ad Bentleium. Qui quod dicit, miram esse locutionem, *Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam*, et quae porro de his verbis disputat, neminem arbitror tam hebetem esse, quin videat, de industria eum calumniari. Nam quis sibi persuadeat, non vidisse eum, sic verba esse iungenda, *Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam.* Immo bene vidit: sed sciens dissimulavit, ut haberet, quo scripturam suspectam redderet. Nam in illis nihil erat, quod reprehenderet, quum Luscius dixit, Eunuchum Terentii non novam, sed veterem fabulam esse; esse enim Colacem Naevii et Plauti. Veterem enim fabulam nemo non videt, non tam eam dici, quae multos ante annos edita sit, quam hanc, quae non contineat novum aliquod et non ante in scena visum argumentum. Sed pergit alio artificio confutare librorum scripturam, quum in eo, in quo accuset Luscius Terentium, eumdem simul excusare ait. Nam si Terentius furti accusetur, idem etiam Plautum fecisse, ut ab Naevio, qui se antiquior esset, argumentum istud furaretur. Esto vero, ut Naevium compilaverit Plautus: quid hoc ad rem? Furtum in Terentio reprehendit Luscius, qui, si idem etiam Plautus fecit, num laudabit hunc? immo aeque reprehendet, et non fuisse imitandum dicet: ut nihil hinc excusationis Terentio possit accedere. Omnino autem non de eo agitur, quid Plautus

recte aut male fecerit, sed de eo, quod Terentius fabulam ediderit non novam, sed veterem, iam a Naevio, iam a Plauto tractatam: quae tanto gravior est reprehensio, quod non unus, sed plures iam idem argumentum in scenam protulerant. Ex his apertum videtur esse, nihil ista correctione potuisse infelicius excogitari.

Versu 35. ita scriptum videmus:

quod si personis isdem uti aliis non licet,
qui magis licet currentis servos scribere,
bonas matronas facere, meretrices malas, 20
parasitum edacem, gloriosum militem,
puerum supponi, falli per servom senem,
amare, odisse, suspicari?

In optimo libro Bembino primi duo versus ita scripti sunt:

quod si personis iisdem huic uti non licet,
qui magis licet currentem servum scribere.

Faernus, quod in posteriore versu est, *currentem servum*, argumento valde infirmo amplectitur: ut facile assentiamur Bentleio, pluralem ex caeteris libris, ut concinniorem, servanti, licet non ita eum tueamur, ut non etiam singularem illa si non grata, at certe ne ingrata quidem licentia defendi posse existimemus. In priore autem versu Faernus, utra melior lectio esset, non audebat statuere. Bentleius vero, „atqui," inquit, „facile erat, utra melior „esset, statuere. Recte *aliis*, quia multi tum una flore-„bant poetae: non *huic*, quasi hic solus tum scriberet." Hic primo ipsum argumentum vituperamus, quia debile est; deinde, quod usus est eo argumento, quum aliud adesset melius. Ac debile est, quia qui de uno loquitur, ubi non opus est de aliis dici, non excludit eos. Atqui Terentius reprehensus fuerat, non alius. Itaque quidni interroget, cur sibi id non liceat? Sed meliore Bentleius argumento uti poterat. Nam repugnat quodammodo hoc pronomen *huic* sequentibus, quae quum aperte non de uno sint, sed de omnibus intelligenda, pronomine isto po-

sito, ad hunc unum referenda videbuntur: ex quo haec nascetur sententia: si huic non licet iisdem personis uti, qui magis ei licet currentes servos scribere? Quod ineptum esse apparet, quia, quid sibi liceat, non suo debet, sed aliorum omnium exemplo ostendere. Quamquam haec quoque speciosior, quam verior argumentatio foret. Adeo enim planum est, de omnibus poetis hic sermonem esse, ut, sive *huic*, sive *aliis* legatur, nemo haec verba aliter sit accepturus. Nisi paullo maior, si *aliis*, quam si *huic* legitur, orationis est partium convenientia. Sed huius convenientiae neglectio tam est propria familiaris sermonis, ut naturam eius contineat. Itaque vel propter hanc ipsam negligentiam dubitari potest, an praeferendum sit
21 *huic*. Est vero aliud, quod mireris a Bentleio, qui diligentissime solet ad numeros attendere, non esse animadversum. Nam in vulgata scriptura recte quidem et *isdem* et *aliis* in ictu est, *uti* autem extra ictum: sed quis tamen non sentiat, valde ineleganter hoc *uti* ita esse collocatum, ut, quum secunda syllaba elidatur, prima autem eum teneat locum, in quo brevius pronunciari debeat, totum verbum prope effugiat et vix aliquod sui relinquat vestigium? Contra, quod in libro Bembino est, plane exaudiri sinit verbum *uti*, quod nunc, ubi *alii* abest, recte sub ictum positum est, pronomine *huic*, uti debet, delitescente. Quod si huius libri scriptura ad familiaris sermonis consuetudinem valde est accommodata, ad numeros autem etiam aliquanto, quam vulgata, elegantior: recte dubitari poterit, an sit praeferenda. Quumque haec dubitatio eo redeat, ut quaeratur, utra lectio facilius ab interpretibus ac librariis proficisci potuerit, non obscurum esse arbitror, si *aliis* scriptum fuisset a Terentio, non posse idoneam caussam inveniri, quare quis, quod sponte intelligebatur, etiam Terentium his aliis comprehendi adnotaverit. At si ille *huic* scripserat, et tamen in sequentibus non de hoc solo, sed de aliis quoque poetis omnibus loquebatur, recte potuit observari, quum *huic* diceret, omnino eum intelligere poetas alios, quam qui iam personis illis usi fuissent.

Pergit Terentius v. 40.

denique
nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

„Quinque ex nostris,“ inquit, „*non sit dictum.* Credo
„poetam sic dedisse:

„*nullum est iam dictum, dictum quod non sit*
prius.

„ut supra v. 27.

„*si id est peccatum, peccatum imprudentia est.*

„In utroque loco prius nomen est, posterius partici-
„pium.“ Bene factum, quod hanc coniecturam non in
textum intulit; male factum, quod reliquit in textu, *quod
non dictum sit prius.* Et coniectura quidem ista non uno
nomine mala est. Primo, quod ista duo exempla non
possunt inter se comparari. Nam ut verbum in utroque
idem repetitum sit; ut id verbum utrubique primo nomen,
deinde participium sit: tamen in altero paucissima sunt
verba, quorum nonnisi duplex cogitari collocatio potest,
aut illa, qua usus est poeta, aut haec, *imprudentia pec-
catum est.* Vterque planus est et commodus ordo verbo-
rum. In altero autem exemplo verba sunt multa, quorum
tres bonae sunt et aptae collocationes: *quod non dictum
sit prius: quod non sit dictum prius: quod non prius
sit dictum.* Ineptae autem sunt, quaecumque a verbo
dictum incipiunt, ut, *dictum quod non sit prius: dictum
quod prius non sit: dictum prius quod non sit.* Ratio
non est obscura. In principio enim collocatum hoc ver-
bum oppositionem aliquam indicat et comparationem ad
ea, quae non sint in dicendo posita. Tale quid enim in-
telligere cogimur: nullum est dictum, dictum quod non
sit prius, sed cogitatum, sed factum. Atqui id alienum
est ab hoc loco. Quod si necessario a verbis *quod non*
initium fieri debet, cur, quod modo significabamus recte
dici, *quod non dictum sit prius*, id hoc loco non est
probandum? Propterea, quia, quum idem verbum iterum

ponimus, si id repetimus eodem modo, eadem vi, eadem mente, pronunciandum est etiam eadem vocis ratione: ut in Adelphis IV. 5, 62.

M. bóno animo es: ducés uxorem. AE. hem.
M. bóno animo es, inquám. AE. pater.

Sed ubi repetiti verbi vel maior est, vel minor vis, vel quocumque denique modo alia ratio, etiam pronunciari debet aliter. Vt in illo,

si id ést peccatum, péccatum imprudentia est.

In Eun. I. 2, 122.

et quícquid huius féci, caussa vírginis
fecí.

Heaut. I. 2, 28.

paterétur: nam quem férret, si paréntem non
ferrét suum.

V. 2, 23.

nil succénseo
néc tibi, nec tíbi: nec vos est aéquom, quod
fació mihi.

Eodemque modo, si alia persona id verbum repetit: ut Adelph. IV. 5, 65.

M. ábi domum, ac deos cómprecare, ut úxorem
accersás: abi.
23 *AE. quíd? iam uxórem? M. iám. AE. iam.*
M. iam quantúm potest. AE. di mé pater.

Quod si nonnulla in contrariam partem exempla videbuntur afferri posse, reputandum est, etiam eodem ictu pronunciata vocabula tamen sibi dissimilia reddi, si alterius ictus prior, alterius posterior sit dipodiae, ut in Andr. III. 5, 11.

miserum impeditum esse? D. át iam expediam.
P. expédies? D. certe, Pámphile.

Illud vero perperam, quod in eadem scena suo iudicio Bentleius dedit v. 8.

nec quíd me nunc faciám, scio. D. nec quíd me,
atque id ago sédulo.

Vulgo in Davi verbis, *nec quidem me.* Eleganter codex Lipsiensis:

nec quíd nunc me faciám scio. D. nec mé quidem,
atque id ago sédulo.

Iam ut redeam ad illud, *nullum est iam dictum*, *quod non dictum sit prius*, non potest haec verborum collocatio reprehendi, si haec sine metro tamquam prosa oratio proferuntur: quia tum repetitum hoc *dictum* sine ullo ictu pronunciatur, et potius in ultimo vocabulo vox erigitur. In versu vero eadem prava erit dispositio, quia in utroque membro eadem huius verbi *dictum* syllaba non modo ictum, sed etiam eumdem ictum dipodiae habebit. Ex quo intelligitur, recipiendum fuisse, quod quinque illi codices praebuerunt, quibus noster accedit Lipsiensis liber, *quod non sit dictum prius.*

Denique ne postremi quidem versus huius prologi sine levi quadam animadversione dimitti poterunt.

Date operam et cum silentio animum attendite,
ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

Observat Faernus, in antiquis libris non esse copulam *et*, quae est etiam in cod. Lips. omissa. Bentleius servavit eam: libri ipsius utrum haberent, an non haberent, non indicavit. Fateor non multum interesse. Attamen non temere spernenda est librorum auctoritas, praesertim si alia eam similia exempla confirment. Videtur autem haec locutio, *operam dare*, adiecto sine copula alio verbo, 24

non per se esse intelligenda, sed cohaerere cum his, quae sequuntur, unamque cum iis sententiam efficere, ut *date operam, animum attendite* sensu idem sit, ac, date operam, ut attendatis animum. Ita in prologo Phormionis v. 30.

date operam, adeste aequo animo per silentium.

In Eunucho II. 2, 50.

tum tu igitur paululum da mi operae, fac ut admittar
ad illam.

Et apertius II. 3, 71.

faciam sedulo, ac
dabo operam, adiuvabo.

Quae ibi omnium est librorum scriptura. Sed Bentleius, qui ad hunc usum non attendisset, ut per asyndeta fortius incederet oratio, ex coniectura posuit: *faciam sedulo, dabo operam, adiutabo.*

Videtis, Candidati humanissimi, quam multa sint in Bentleii editione Terentii, quae confirment nostrum illud de ea, quod supra posuimus, iudicium. Attulimus autem haec eo fine, ut, si nemo est, quem iis, qui recte antiquitatis studia tractare volunt, magis tamquam exemplum, quod imitari debeant, proponi posse existimamus, tamen simul eos moneremus, ne temere tanti viri auctoritatem sequuti in eos errores inciderent, ad quos vitandos idem, si quis eum recte et cum iusta libertate iudicii imitetur, optimus esse et certissimus dux reperiatur. Id igitur ut faciatis, speramus vos operam daturum. Iam vero accipite illud, quod nobis hanc scribendi occasionem praebuit. Constituit enim Ordo Philosophorum, ut qui antiquo ritu Artium liberalium Magistri ac Philosophiae Doctores creari cuperent, die XVI. Ianuarii ad sollemnem petitionem in conclavi nostro convenirent, ut admissi ad

usitata colloquia, si idoneos in litteris profectus nobis approbassent, deinde honoribus nostris ornarentur. Hos igitur, qui honores illos consequi cupiunt, rogo ut ante eum diem, quem dixi, me, qui Procancellarii munere nunc fungor, conveniant, litterasque petitorias, ut mos est, ad me deferant. Me quidem, Ordinemque Amplissimum, si quid sit, in quo eos adiuvare possimus, omni studio ac voluntate paratissimos invenient.

DE MVSIS FLVVIALIBVS EPICHARMI ET EVMELI *).

3 Est quaedam etiam nesciendi ars et scientia. Nam si turpe est nescire, quae possunt sciri, non minus turpe est, scire se putare, quae sciri nequeunt. Alterum enim segnitiem aut inertiam, alterum assentandi levitatem aut temeritatem coniectandi arguit. Posita est autem haec, quam dico, ars in eo, ut quis cognito, quousque progredi sciendo liceat, quod citra est, strenue persequatur; quod autem ultra est, ab eo sese abstineat. Volo hanc rem exemplo illustrare, quod suppeditant ea, quae veteres de Musis retulerunt. Nam neque qui olim doctum de his syntagma scripsit, Lilius Gregorius Gyraldus, nec nuper Frider. Christ. Petersenius, cuius dissertatio de Musarum apud Graecos origine, numero, nominibusque in Miscellaneis Hafniensibus tom. I. fasc. I. edita est, aut alii, qui hunc locum attigerunt viri docti, illud, quod omnium difficillimum in hac disputatione est, satis commode videntur explicuisse. Ac de numero Musarum, quas alii tres **), alii quattuor, alii septem, quidam octo, pleri-

*) Edita est a. 1819. Ingeniosae Buttmanni de hac dissertatione animadversiones insertae sunt Friedemanni et Seebodii Miscellaneis criticis vol. II. part. III. p. 487. seqq.

**) Fuerunt etiam, qui duas tantum esse dicerent, ut ex Eudocia observavit Buttmannus.

que novem esse dixerunt, e Graecis scriptoribus mentionem fecerunt Diodorus Siculus IV. 7. exscriptus ab Eusebio Praep. Eu. II. 2. p. 54. Plutarchus Q. Symp. IX. 14. et de animae creatione in Timaeo p. 1029. D. Pausanias IX. 29, 2. et 30, 1., de quo loco recte iudicavit Petersenius p. 93. Comparandus Antipater Sidon. ep. 35. (in Iacobsii nova Anthol. t. II. p. 692.) Porro Cornutus c. 14. scholiastes Apollonii Rhodii ad III. init. Tzetzes ad Hesiodi O. et D. p. 6. quocum consentiunt Eudocia p. 294. et fragmentum de Musis in Catal. bibl. Matritensis p. 320. et apud Ruhnkenium Epp. crit. p. 222. (309. ed. tert.) Ex Latinis autem Varro apud Augustinum de doctr. Christ. II. 17. Cicero de N. D. III. 21. Arnobius adv. gent. III. p. 121. ed. Antv. 1582. Servius ad Virg. Ecl. VII. 21. et ad Aen. I. 8. Sed quae ab his scriptoribus tradita sunt, in his nihil tam mirum 4 est, quam quod a Tzetza et Eudocia et in fragmento illo de Musis his verbis perscriptum est: *Εὔμηλος μέντοι ὁ Κορίνθιος τρεῖς φησὶν εἶναι, θυγατέρας Ἀπόλλωνος, Κηφισσοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βορυσθενίδα.* Et paullo post: *Ἐπίχαρμος δὲ ἐν τῷ τῆς Ἥβης γάμῳ ἑπτὰ λέγει, θυγατέρας Πιέρου καὶ Πιμπληΐδος νύμφης· Νειλοῦν, Τριτώην, Ἀσωποῦν, Ἑπταπόλην, Ἀχελωΐδα, Τιπόπλουν, καὶ Ῥοδίαν.* Sic est apud Tzetzam et Eudociam. Sed in fragm. ap. Iriart. Musarum nomina sic scripta: *Νϊοιλοῦν, Τριτώνην, Ἀσωποῦν, Ἀχελωΐδα, Τιτόπλουν, Ἑπταπόρην, καὶ Ῥοσίαν.* Facile apparet, haec nomina, si non omnia, certe maximam partem a fluviis repetita esse. Mittamus nunc Eumelum, et videamus illa, quae Epicharmus posuit. Ac mirum foret, si, quum Nilo, Tritone, (haec enim genuina nominis scriptura est,) Asopo, Achelois, aperte a fluviis nominatae sint, non idem factum esset in caeteris nominibus. At horum duo non minus, quam illa, quae diximus, a fluviis ducta esse, Homeri versus docet Iliad. *μ.* 20.

Ῥῆσός θ', Ἑπτάπορός τε, Κάρησός τε, Ῥοδίος τε.

quem sequutus Hesiodus in Theog. 341. scripsit,

Νέσσον τε, Ῥοδίον θ', Ἁλιάκμονά θ', Ἑπτάπορόν τε.

Ex quo intelligitur, recte in fragmento illo *Ἑπταπόρην*, apud Tzetzam autem et Eudociam *Ῥοδίαν* legi. Hoc minus dubitari poterit, quin etiam quod solum reliquum est, corruptum nomen *Τιπόπλουν* vel *Τιτόπλουν*, ab aliquo fluvio ductum sit. Emendationem eius aliis relinquam. Mihi verisimillimum videbatur, ex *Πακτωλοῦν* depravatum esse.

Sed sublata quae in ipsis nominibus erat difficultate, videamus, quae caussa fuerit, quare a fluviis haec nomina omnia repeterentur. Ac Petersenius acquievit in Creuzeri sententia, viri in omni antiquitate versatissimi. Is in doctrina symbolica vol. III. p. 288. nymphas omnes dictas esse Musas contendit: in quam rem primo Stephani Byzantini auctoritate utitur, cuius haec verba sunt: *Τόῤῥηβος, πόλις Λυδίας, ἀπὸ Τοῤῥήβου τοῦ Ἄτυος. τὸ ἐθνικόν, Τοῤῥήβιοι· καὶ θηλυκόν, Τοῤῥηβίς. ἐν δὲ τῇ Τοῤῥηβίδι ἔστιν ὄρος Κάριος καλούμενον, καὶ ἱερὸν τοῦ Καρίου ἐκεῖ· Κάριος δέ, Διὸς παῖς καὶ Τοῤῥηβίας, ὡς Νικόλαος τετάρτῳ· ὃς πλαζόμενος περί τινα λίμνην, ἥτις ἀπ' αὐτοῦ Τοῤῥηβία ἐκλήθη, φθογγῆς νυμφῶν ἀκούσας, ἃς καὶ Μούσας Λυδοὶ καλοῦσι, καὶ μουσικὴν ἐδιδάχθη, καὶ αὖ τοὺς Λυδοὺς ἐδίδαξε· καὶ τὰ μέλη διὰ τοῦτο Τοῤῥήβια ἐκαλεῖτο.* Sic scribendus hic locus *), qui neque in editionibus satis recte scriptus est, et aliter tentari debebat a Creuzero in fragm. histor. Gr. p. 156. Porro scholiasten Theocriti affert Creuzerus ad V. 149. et VII. 92.

---

*) *Ἀκούσας* pro *ἀκοῦσαι* iam Gronovius coniecit. Pro vulgato *καὶ αὐτοὺς Λυδοὺς* Buttmannus p. 489. *καὶ αὐτὸς αὖ τοὺς Λυδοὺς* scribi malebat, sed acquiescendum iudicavit in scriptura codicum *καὶ αὐτὸς Λυδούς*. Ac probo *αὐτός*, sed adiiciendum esse etiam ad *Λυδοὺς* articulum, linguae leges certissimae docent.

In priore loco nihil de Musis aut nymphis: in altero haec inveniuntur: *νύμφαι· ἐν εἰρωνείᾳ, ὡς πρὸς αἰπόλον· ἐχρῆν γὰρ εἰπεῖν, αἱ Μοῦσαι. εἰ μή τις περιέργως* (sic scribendum pro *παρέργως*) *τὰς νύμφας ἀκούει Μούσας. οὕτω γὰρ αὐτὰς οἱ Λυδοὶ καλοῦσιν.* Tum Suidam in v. *νύμφαι: καὶ αἱ Μοῦσαι δὲ ὑπὸ Λυδῶν νύμφαι,* quae iisdem verbis apud Photium leguntur. Et Hesychium, qui in v. *νύμφαι* ita: *καὶ Μοῦσαι θεαί,* et in v. *νύμφη* sic, *καὶ ἡ Μοῦσα.* Denique ut ostendat, proprium hoc fontium creditum esse, ut divino quodam spiritu animos afflarent, iis utitur, quae I. H. Vossius ad Virgilii Ecl. VII. 21. attulit, et illo quidem potissimum loco, quem is ex hymno quodam Apollinis apud Porphyrium de antro nympharum cap. VIII. p. 8. adscripsit. Verba Porphyrii haec sunt: *ὅτι δὲ καὶ ταῖς νύμφαις ἀνετίθεσαν ἄντρα, καὶ τούτων μάλιστα ταῖς Ναΐσιν, αἳ ἐπὶ πηγῶν εἰσί, κἀκ τῶν ὑδάτων, ἀφ᾽ ὧν εἰσὶ ῥοαί, Ναΐδες ἐκαλοῦντο, δηλοῖ καὶ ὁ εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνος, ἐν ᾧ λέγεται· σοὶ δ᾽ ἄρα πηγὰς νοερῶν ὑδάτων τάμον ἄντροις, μίμνουσαι, γαίης ἀτιταλλόμεναι πνεύματι, Μούσης θέσπιν ἐς ὀμφήν, ταὶ δ᾽ ὑπὲρ οὖδας διὰ πάντα νάη ῥήξασαι, παρέχουσι βροτοῖς γλυκερῶν ῥείθρων ἀλιπεῖς προχοάς.* Hymnus hic, nisi forte ipsius est Porphyrii, certe alius est ex recentiorum Platonicorum schola, ut et metrum anapaesticum, quo veterum nullus in tali genere poematis usus est, et epitheton illud aquarum *νοερῶν,* quo Platonici illi nimis delectabantur, ostendit. Videtur autem sic scribendum esse hoc fragmentum:

σοὶ δ᾽ ἄρα πηγὰς νοερῶν ὑδάτων 6
τάμον, ἄντροις μίμνουσαι, γαίης
ἀτιταλλόμεναι πνεύματι Μούσης
θέσπιν ἐς ὀμφήν· ταὶ δ᾽ ὑπὲρ οὖδας
διὰ πάντα νάπη ῥήξασαι, ἀεὶ *)

---

*) Buttmanno p. 490. non addendum fuisse videbantur *ἀεί,* quod versus esset paroemiacus. Fortasse: modo constaret, quas hic poeta metri leges esset sequutus.

*παρέχουσι βροτοῖς γλυκερῶν ῥείθρων
ἀλιπεῖς προχοάς.*

In quibus versibus notandum verbum *ἀλιπεῖς* a *λείπειν* deductum, quod neglectum est in lexicis. Accedant ad haec Servii verba ad Virg. Ecl. VII. 21. *ut autem poetae invocent nymphas, sicut hoc loco, item in fine,* extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem, *haec ratio est, quod secundum Varronem ipsae sunt nymphae, quae et Musae, nec immerito: nam aquae motus musicen efficit, ut in hydraulia videmus. Sane sciendum, quod idem Varro tres tantum Musas esse commemorat, unam, quae ex aquae nascitur motu; alteram, quam aeris ictu efficit sonus; tertiam, quae in mera tantum voce consistit.* Iam vero quid his omnibus efficitur? Nihil amplius, quam haec duo: unum, Musas ab Lydis etiam nympharum nomine appellatas esse; alterum, nymphas fontium, ut quae mentes divino afflatu impleant, nonnumquam Musarum loco a poetis invocari. Et ad Lydos quidem quod attinet, non nymphas apud illos Musarum appellationem, sed Musas nympharum habuisse, scholiastes Theocriti, Hesychius, Suidas, Photius apertissime significant: idemque voluisse Stephanum, res ipsa docet: sed epitomator negligenter scripsit, *ἃς καὶ Μούσας Λυδοὶ καλοῦσι,* quum deberet ita, *νύμφας δὲ τὰς Μούσας Λυδοὶ καλοῦσι* *). Eadem negligentia Servius de Varronis sententia loquitur. Recte autem Lydi. Nam generale nomen nympharum est, ut Musae omnino sint in nymphis numerandae, sed non contra, ut nymphae omnes etiam sint Musae. Et sic scriptores antiqui omnes his nominibus utuntur: v. c. Lycophron v. 275. nymphas nominans, *αἳ φίλαντο Βηφύρου γάνος, Λει-*

---

*) Buttmannus p. 501. defendere studuit epitomatorem: qua defensione si hoc voluit, Lydos musicam ab nymphis repetiisse, non repugno, sed ut Musarum nomine nymphas appellasse credam, non vincet, nisi caeteros quos dixi auctores, qui contrarium affirmant, errasse ostenderit.

βηθρίην θ' ὕπερθε Πιμπλείας σκοπήν: ubi Tzetzes: *θρηνηθεὶς ταῖς νύμφαις, ἤτοι ταῖς Μούσαις, αἵτινες περὶ τὴν Πίμπλειαν καὶ Λειβηθρίαν, καὶ τὸν Βήφυρον οἰκοῦσιν.* De iisdem distincte Pausanias IX. 34, 3. *ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ Μουσῶν τε καὶ νυμφῶν ἐπίκλησιν ἐστὶ Λειβηθρίων.* Quoniam enim nymphae deae sunt ubique latentes, quarum aliae fontes, aliae montes, aliae arbores habitant, occulto earum numine corripi putabantur homines, quicumque insolenti aliquo animi motu, cuius caussa non appareret, capti viderentur, qui *νυμφόληπτοι* dicebantur: unde etiam Musae, quarum eadem vis esset, nympharum nomine comprehendi solebant. Nugatur de hac nympharum potestate more suo Hermias ad Plat. Phaedr. p. 75. 87 seq. 91 seq. Itaque quod Creuzerus existimat, nymphas Musas esse, unde concludit, quod repetiit etiam ad Cic. de N. D. p. 591. b. Maiam, quoniam nympha sit, esse etiam Musam, id haud recte conclusum esse, non opus est ut demonstrem. Sed huiusmodi ratiocinationibus maxima pars nititur eius quam hodie plerique probant mythologiae. Illud in hac re non possum silentio praetermittere, non debuisse Creuzerum in doctr. symb. vol. III. p. 287. ex eo, quod Scaliger ad Festum in v. *corniscarum* ex Hygino attulerat, *ex Iove et Moneta Maia*, aliquod suae sententiae firmamentum petere. Nihil enim aliud Scaliger, quam de sola Moneta cogitans, per negligentiam posuit Maiam, quum Musas, quas nominat Hyginus, dicere vellet. Ac saepius ille, ut qui nimium fideret memoriae, ita erravit. Aliud exemplum infra videbimus.

Revertor ad Epicharmum, de cuius Musis quae mota erat dubitatio, tantum abest, ut his, quae modo disputavimus, sublata sit, ut magis aucta esse videatur. Nam si ille, quod nomina, quae posuit, prodere videntur, nymphas fluviatiles dicere voluit, non potuit eas Musas vocare: quia Musae quidem nymphae, non autem etiam nymphae Musae sunt. Sin, quemadmodum eas nominavit Musas, etiam intelligi Musas voluit, absurdum videatur

necesse est, quod nomina earum ab eo, quod nymphis convenit, non ab eo, quod Musarum proprium est, repetenda iudicavit. Repugnat hoc quum universae rationi, 8 quam Graeci in mythologia sequuti sunt, tum iis, quae alii scriptores de Musis retulerunt. Antiquissimae tres perhibentur Musae fuisse, quae alia alibi nomina, sed omnia a muneribus suis et officiis habuerunt. Quas Aloidae in Helicone constituerunt Musas, eae, ut Pausanias IX. 29, 2. dicit, Melete, Mneme, Aoede vocabantur. Tres colebant etiam Sicyonii, quarum uni nomen Polymathiae fuisse narrat Plutarchus Symp. Q. IX. 14. p. 746. E. Ex eodem Plutarcho ibidem p. 744. C. intelligitur, Delphos, harmoniam respicientes, tres, quas colebant Musas, Neten, Mesen, Hypaten dixisse. De quattuor Musis, quas alii statuebant, Ciceronis testimonium exstat in III. de N. D. c. 21. his verbis: *iam Musae primae quattuor, natae Iove altero, Thelxiope, Aoede, Arche, Melete.* De iisdemque Tzetzes et Eudocia: *Ἄρατος δὲ ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἀστρικῶν τέσσαρας λέγει, Διὸς τοῦ Αἰθέρος, καὶ Πλουσίας νύμφης, Ἀρχήν, Μελέτην, Θελξινόην, καὶ Ἀοιδήν.* Matris nomen apud Ciceronem excidisse putabat Heindorfius, quum libri post vocabulum *altero* addant *nata* vel *natae* vel *nece:* et est haec sane valde probabilis coniectura. Quamquam Creuzero non assentiar, qui Nedam, quae nutrix fuit Iovis, a Cicerone nominatam suspicatur p. 592. Quae coniectura non alio nititur fundamento, quam his verbis Pausaniae VIII. 47, 2. *εἰργασμέναι δὲ ἐπὶ τῷ βωμῷ Ῥέα μὲν καὶ Οἰνόη νύμφη παῖδα ἔτι νήπιον Δία ἔχουσιν· ἑκατέρωθεν δέ εἰσι τέσσαρες ἀριθμόν, Γλαύκη, καὶ Νέδα, καὶ Θεισόα, καὶ Ἀνθρακία, τῇ δὲ Ἴδη, καὶ Ἁγνώ, καὶ Ἀλκινόη τε καὶ Φρῖξα. πεποίηται δὲ καὶ Μουσῶν καὶ Μνημοσύνης ἄγαλμα.* Scilicet ita colligit: non abhorrere a fabularum usu, alumnum cum nutrice sua concumbere; eo honore dignissimam fuisse Nedam, quae Callimacho *πρεσβυτάτη νυμφέων* dicatur; ex nutrice nasci Musas, valde esse consentaneum, quia Iovem nutrices eius *μαιώσαντο,* quod est verbum Callimachi ea de re, *μαῖα* autem et *Μοῦσα*

teste Etymologo a communi radice, verbo *μῶσθαι*, dictae sint; Plusiae porro nomen, quo alii hanc matrem Musarum nominent, non esse a Musarum, quae eaedem nymphae sint, appellatione alienum, ut eo nomine etiam Neda, quae ipsa pluribus officiis fungatur, quum et nutrix 9 Iovis et fluminis nympha sit, vocari potuerit; denique Pausaniam statim a Neda reliquisque Iovis nutricibus nymphis ad Musarum et Mnemosynes, a qua alteram Cicero Musarum progeniem ducat, mentionem transire. Haec si quis paullo attentius considerabit, videbit ratiocinationem ita procedere: quia potuerit Iuppiter cum maxima natu nutricum suarum concumbere, concubuisse cum ea; nutrices illas quia Callimachus Iovem dixerit *μαιώσασθαι*, quod verbum communem habeat cum nominibus *μαῖα* et *Μοῦσα* originem, partum illum nutricis istius, de qua non constat an concubuerit cum quoquam, Musas fuisse videri; Musarum istarum mater quia Plusia ab aliis, propter multiplicem vim suam, dicta sit, potuisse id nomen Nedae, quae duplici et nutricis et nymphae fluviatilis munere fungatur, tribui; denique credibile esse, coniunctionem quamdam istius mymphae cum Musis fuisse, quia in eodem templo cum simulacris nympharum nutricum Iovis, infantem eum manibus gestantium, quarum in numero Neda sit, posita fuerint etiam Musarum simulacra, etsi non harum, quas Plusia illa sive Neda peperisset, sed aliarum, filiarum Mnemosynae, ut huius simulacrum ostendere. Haec cur me a Nedae nomine apud Ciceronem reponendo deterreant potius, quam perducant ad illam sententiam, non opus videtur ut pluribus ostendam. Illud adiiciam, apud Pausaniam reponendum esse nomen Nedae VIII. 31, 2. *πεποίηνται δὲ ἐπὶ τραπέζῃ καὶ νύμφαι· Νέδα μὲν Δία φέρουσά ἐστι νήπιον παῖδα:* commemorat autem simul cum ea Anthraciam et Hagno, quas etiam illo loco, quem supra attulimus, nominavit. Vulgo *Ναΐς* legitur, pro quo cod. Mosc. *Ναΐδα* praebet, aperte ex *Νέδα* corruptum. Caeterum si esse Nedam matrem Musarum aliquis demonstrare volet, debebit is etiam nomen illud ita explicare, ut matri Musarum conveniat. In

quo genere lapsus est etiam Petersenius p. 111. Musas et Horas a Pausania I. 19, 4. Thestii filias perhiberi dicens: quod nec potuit dicere Pausanias, nec dixit. Aptius alii cum Euripide Harmoniam dixerunt Musarum matrem esse: 10 v. schol. ad Eurip. Med. 825. ed. Matth. et P. Elmsleium in ed. Medeae p. 208. Ciceronis quidem locum ego non puto ex his, quas nunc quidem habemus, aut codicum aut aliorum auctorum copiis emendari posse. Nam quod facile cuipiam in mentem veniat, Monetam ab eo nominatam esse, quam Musarum matrem et Livius Andronicus et Hyginus perhibent, quod nomen etiam apud Isidorum Orig. III. 14. ubi is Musas Iovis et Minervae filias dicit, reponendum videtur: id propterea parum est verisimile, quod illi omnes Monetam Latine dixerunt, quae Graece est Mnemosyne, commemorata illa a Cicerone ut aliarum Musarum mater. Atque has quoque Mnemosynae novem filias, ut tandem in viam redeam, a muneribus quibusdam suis appellatas esse, satis notum est, explicueruntque ea de re permulti veterum.

Quae quum ita sint, quid tandem fuisse dicemus, quod Epicharmus quas septem Musas enumeravit, iis appellaverit nominibus, quae non Musis, sed nymphis fluviorum convenirent? Ad coniecturam, deficientibus testimoniis, confugiendum esse apertum est. Ac profecto vereor ne ludificari se passi sint mythologi inepta sive Tzetzae doctrina, sive quis alius fuit, a quo hoc ille acceperat. Quid enim? Nemone cogitavit, Epicharmum, poetam comicum, non etiam alium quemquam huius fabulae auctorem commemorari? et ea quidem in fabula hoc ab illo scriptum esse, cuius iteratae editioni hunc ipsum titulum Musarum fecerit? Athenaeus III. p. 110. B. *Ἐπίχαρμος δὲ ἐν Ἥβης γάμῳ κἀν Μούσαις (τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα διασκευή ἐστι τοῦ προκειμένου) ἄρτων ἐκτίθεται γένη.* In ea fabula deos in nuptiis Hebes convivantes traductos fuisse, vel nomen primae editionis indicat: apertius autem declarat fragmentum, quod ex Musis attulit Athenaeus VII. p. 282. D. Quod fragmentum, foede corruptum, ita restituendum videtur:

τόν τε πολυτίματον ἔλοφ', (ὁ δ' αὖτε κἄλλος ὤνιος)
ἕνα μόνον, καὶ κῆνον ὁ Ζεὺς ἔλαβε, κἠκελήσατο
κατθέμεν γ' αὐτῷ τέ οἱ καὶ τᾷ δάμαρτι θώτέρω.

i. e. *pretiosum elopem, (est autem hic adhuc alius venalis) unum tantum, et illum Iuppiter accepit, iussitque* 11 *pecuniam certe numerare in suum uxorisque usum pro altero.* Videtur vel piscator loqui, vel Iovis dispensator, non plures quam duos elopes venales narrans, quorum unum tantum, quod valde pretiosum hoc genus esset, Iuppiter accepisset, pro altero autem, ut is sibi Iunonique servaretur, neque emeretur ab alio, pretium iussisset solvi. Enumerabatur autem in ea fabula fere quidquid usquam piscium inveniretur: unde ea saepissime ab Athenaeo propter hanc caussam citatur. Et planissime arguunt verba Athenaei VII. p. 282. D. *Ἐπίχαρμος δ' ἐν Μούσαις τὸν μὲν ἔλοπα καταριθμεῖται· τὸν δὲ κάλλιχθυν ἢ καλλιώνυμον, ὡς τὸν αὐτὸν ὄντα, σεσίγηκεν.* Iam quid credibilius est, quam poetam, qui ita piscium appetentes deos introduceret, quum omnino de diis multa attulisse ridicula, tum maxime Musas, a quibus nomen repetitae editioni fecit, risui voluisse exponere? Quod si et ipsarum quae posuit nomina, et parentum, quos iis tribuit, consideramus, non multum a vero, ut opinor, aberrabimus, si eum id egisse coniiciemus, ut hasce Musas non eruditarum artium praesides, sed unice rei piscariae, quae summa apud gulosos istos deos sapientia haberetur, magistras exhiberet. Ita nihil apparet magis fuisse consentaneum, quam ut et ipsas a piscosis fluminibus dictas faceret *), et

---

*) Buttmanno p. 503. visum est multo venustius multoque ad confirmandam hanc interpretationem aptius esse, si statuamus, eo ipso datam esse huius inventi ansam Epicharmo, quod nymphas fontium pro Musis haberi sciret. Id haud sciam an secus sit in poeta comico. Sed de hac re non puto coniecturam fieri posse, nisi vel integra Epicharmi fabula reperiatur, vel certius quid de ea constet.

parentes earum ex historia Musarum eos eligeret, qui ad hunc finem aptissimi viderentur, Pierum et Pimpleidem, quos Latine Pinguimum et Impletrinam dici licet. Nam haec duplex est piscosorum fluminum laus, si et pinguitudine piscium et copia excellunt: vide Herodotum IV. 53. Ne quis rideat hanc citationem, meminerit philologis haec scribi, aliter haud facile credituris. Consuetudinem piscium gregatim migrandi nescio an etiam in nominis Musarum explicatione spectaverit Epicharmus. Servius ad Aen. I. 8. dicit: *has Musas Siculus Epicharmus non multas, sed ὁμουνούσας dicit.* Scribendum: *has Musas Siculus Epicharmus non Musas, sed ὁμοῦ οὔσας dicit.* Haec derivatio placuit etiam aliis, ut serio Musas quasi ὁμοῦ οὔσας dictas putarent. Vide exempli caussa 12 Plutarchum de amore fraterno p. 480. F. Nisi forte ὁμοῦ ναούσας Epicharmus. Nihil addo. Satis est, si cavebunt posthac mythologi, ne nymphas fluviatiles Musas esse contendant.

Vellem vero etiam Eumeli Musae tam faciles sese praeberent. Sed in his illud, quod initio dicebam, faciendum erit, ut non inscienter nescire nos, quid istuc rei sit, confiteamur. De hoc Eumelo videndi Scaliger ad Euseb. Chron. p. 71 seq., Salmasius in Exerc. Plin. p. 602 seq., Groddeckius in Bibliotheca veteris litteraturae et artis Parte II. p. 94 seq. qui quos auctores affert, iis addendi van Goens ad Porphyr. de antr. nymph. p. 104. b. Gesn. ad Varr. de R. R. II. 5, 5. Mellmann. de caussis et auctoribus narrat. de mut. form. p. 61. Scripsit is προςόδιον in Delum, quod solum genuinum esse iudicat Pausanias IV. 4, 1. cui V. 19, 2. propter hoc carmen etiam epigrammata in arca Cypseli iure Eumelo adscribi posse videbantur. Non dubito eum propterea ita sentire, quod haec epigrammata, quorum quaedam affert et in illo et in praecedente capite, pariter ut illud προςόδιον, ex quo duos versus protulit IV. 33, 2. Dorica dialecto scripta erant, quum caetera, quae Eumelo tribuebantur, epicam dialectum haberent. Sunt autem

illa Europia, Bugonia, *Νόστοι,* quorum qui mentionem facit scholiastes Pindari ad Ol. XIII. 31. apud eum male Eumolpum pro Eumelo nominari iam Gyraldus aliique viderunt; tum Titanomachia, quam Athenaeus VII. p. 277. D. dubium esse indicat, utrum Eumelus an Arctinus fecerit. Porro prosa oratione scriptus liber de rebus Corinthiis, quem Pausanias II. 1, 1. dubitat an non sit Eumeli. Theogoniam Hesiodi ab Eumelo in orationem prosam translatam esse ait Clemens Alexandrinus Strom. VI. p. 629. A. qui eum cum Acusilao consociat, et ambos vocat historiographos, ut dubitatum sit, an diversum ab illo Corinthio Eumelo voluerit intelligi. Salmasius quidem aperte erravit, quum hoc testimonio fretus Bugoniae nomen corruptum esse ex nomine Theogoniae contendit. Iam quum tot diversa, et, ut videtur, auctorum etiam diversorum scripta Eumelo tribuantur, facile intelligitur, valde incertum esse iudicium de eiusmodi 13 re, quae neque in quonam illorum librorum scripta fuerit, constet, neque ipsis verbis Eumeli, quisquis ille sit, referatur. Id videmus autem factum in his, quae Tzetzes et Eudocia et fragmentum illud Hispanicum de Musis tradunt: *Εὔμηλος μέντοι ὁ Κορίνθιος τρεῖς φησὶν εἶναι τὰς Μούσας, θυγατέρας Ἀπόλλωνος, Κηφισσοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βαρυσθενίδα.* Itaque parum considerate Ruhnkenius in Epp. crit. p. 222. eumdem Eumelum ait vulgarem Musarum genealogiam sequutum esse apud Clementem Strom. VI. p. 742. (621. D.)

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἐννέα κοῦραι.

Nam unde constat, eumdem hunc esse Eumelum, quum tam incertum sit, quae genuina sint scripta Eumeli? Caeterum Scaliger ad Eusebium p. 71. memoriae errore hunc versum ita scriptum affert, repositis, quas genuinas esse ex Pausania collegerat, Doricis formis:

Μναμοσύνας καὶ Ζανὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα.

Igitur quid de tribus illis Eumeli Musis statuemus, quum neque verba ipsius habeamus, nec sciamus, quo in

opere de iis scriptum fuerit? Non exstat enim, quod ego sciam, aliquod Eumeli fragmentum, unde coniecturam capere liceat, nisi forte illi octo versus, quos Ruhnkenius l. l. tractavit: qui non debebat Tzetzam ad Lycophronem v. **1024**. et multo minus Pausaniam II. 3, 8. negligere, qui eosdem Eumeli versus respexerunt. In quibus versibus quum Aloei mentio fiat, Aloidae autem eodem Pausania auctore IX. 29, 2. trium Musarum cultum in Helicone constituerint, coniicere quis possit, has ipsas Musas, quas Meleten, Mnemen, et Aoeden appellatas scribit Pausanias, aliis nominibus ab Eumelo insignitas esse. Verum et plane incertum hoc est, nec, si verum esset, ullum inde lucrum faceremus. Itaque nihil nobis nisi ipsa illa de Musis istis narratio, quam consideremus, relicta est. In qua ante omnia videndum, an recte se habeant 14 nomina ista Musarum. Et apud Tzetzam quidem atque Eudociam legitur, *Κηφισοῦν*, *'Απολλωνίδα*, *Βαρυσθενίδα*. In fragmento de Musis autem, *ἰφισοῦν· πολλωνίδα· καὶ κρυσθενίδα*. Codex Paris. apud Ruhnkenium, *Κιφησιοῦν*, *'Απολλωνίδα, καὶ Βορυσθενίδα*. Hinc docti consentiunt, nomina Musarum fuisse *Κηφισσοῦν*, *'Απολλωνίδα*, *Βορυσθενίδα*. Mihi vero hoc minime satisfacit. Quid est enim, quare duae tantum Musae a fluviis nominatae sint, non etiam tertia? Id non modo mirum, sed ineptum est. Nam quae origine, muneribus, officiis coniunctae sunt, etiam nominibus debent cognatis appellari, nisi casu indita fuisse nomina putandum est, quod ab omni ratione mythologiae abhorret. Deinde vero tertia illa cur Apollonis dicta est, quod nomen etiam per se ineptum esse intelligitur? Filiam enim Apollinis significat. Atqui omnes hae tres Musae Apollinis filiae erant, ut non una earum, sed omnes dici Apollonides debuerint *).

---

*) Quae his opposuit Buttmannus p. 504. non videntur mihi infirmare meam sententiam. Nam quod ait, e Cyclopibus non veri simile esse Bronten nil nisi tonitru, Steropen nil nisi fulmen esse

Quae quum ita sint, non videtur mihi dubitandum esse, quin nomen illud Ἀπολλωνὶς corruptum sit, Musa haec autem, ut reliquae duae, ab aliquo fluvio fuerit appellata. Quam appellationem puto Ἀχελωΐδα fuisse, quod nomen et litterarum magnam cum illo altero similitudinem habet, et eo quoque videtur confirmari, quod sic etiam Epicharmi Musarum una nominata fuit.

Quod si etiam Eumeli Musae omnes a fluviis dictae sunt, quid hunc quem non est credibile similiter, ut Epicharmum, lusisse, in mente habuisse censebimus? Ac profecto non dubito fore, qui tam manifesto nymphas fluviatiles istis nominibus significari putent, ut, etiam si alia argumenta omnia eripiantur, tamen vel sola Eumeli auctoritate fluviorum nymphas Musas dictas esse sibi persuadeant. Sed hi velim cogitent, aliquem tamen in ea fabula probabilem sensum inesse debere. Atqui si de nymphis fluviorum loquutus esset Eumelus, easque filias esse Apollinis dixisset, quid esset tandem, quare tres tantum commemorasset? Nam quidquid fuisset, quod eas ab Apolline procreatas diceret, certo non hos tantum fluvios,

---

fabricatum; neque Gratiarum Euphrosynen prae sororibus hilari fuisse animo: id etiam corroborat ea quae dixi. Cyclopum enim nomina nemo non videt tonitru, fulmen, et fulgurationem significare, quae res ita sunt discretae, ut nec tonitru sit fulmen aut fulguratio, nec fulguratio fulmen aut tonitru; eodemque tria nomina Gratiarum tres diversos notant voluptatis gradus, hilaritatem, laetitiam, gaudium. Non plus ponderis habet, quod Parcarum unius proprium nomen ad omnes translatum commemorat, ut Κλωθῶες vel Κλῶθες vel Κατακλῶθες dicerentur. Nam quod uni convenit, recte trahi potest ad omnes, si omnium consimilis ratio est; non autem quod commune est omnium, uni potest a caeteris distinguendo inservire. Horatius quum dixit, *quem tu, Melpomene, semel nascentem placido lumine videris*, poterat pro Melpomene Musam dicere: non potuit pro Euterpe vel Polyhymnia, quo loco scripsit, *si neque tibias Euterpe cohibet, nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton.*

Cephissum, Acheloum, Borysthenem illo patre natos retulisset, in quibus plane non invenitur, quo ab aliis flu-
15 viis differant, sed comprehendisset omnes fluvios, ingentemque dixisset numerum esse istarum Apollinis filiarum, eo modo, quo Hesiodus fluvios multos, idemque et alii omnes Nereidum et Oceanidum non tres, sed quinquaginta numerant, ut ea magnitudine numeri infinitam multitudinem significent. Itaque vel propter numerum, quem posuit Eumelus, non possunt hae Musae fluviorum nymphae intelligi. Quod si Musas, non nymphas fluviorum esse putabimus, non video, quid aliud illa nomina indicare possint, quam cultum quemdam artis musicae ad Cephissum, ad Acheloum, ad Borysthenem, similiter ut Leonidae Alexandrino carmina sua dicuntur *Νειλαίη Μοῦσα Λεωνίδεω*, in Anthologiae ed. noviss. vol. I. p. 291. epigr. 321. At quis umquam quidquam inaudivit de praecipua quadam vel Musarum vel poetarum sede ad hos fluvios, praesertim ad Borysthenem? Quamobrem, ut ego quidem arbitror, si sapimus, non dubitabimus fateri, nescire nos, quid his tribus Musis voluerit Eumelus: sed simul tamen de eo nobis persuasum habebimus, idoneas ei rationes fuisse, quare et Musas eas vocaret, et earum patrem Apollinem perhiberet, et numero eas tres esse diceret, et illa, quae vidimus, nomina iis imponeret.

Sed ne sic ab hac re discedam, ut non saltem aliquam coniecturam in medium afferam, dicam, quid mihi hac de re cogitanti in mentem venerit: non qui id verum esse contendam, sed si forte aliis haec ansam praebere possint vel confirmandi suspicionem nostram, vel melius quid inveniendi. Apollinem, quisquis ille est, in primis apud Hyperboreos cultum, et ab his eam religionem in Graeciam traductam esse, satis notum est. Satis sit auctorem nominasse Pausaniam, V. 7, 4. X. 5, 4. De hoc Hyperboreorum Apolline Aelianus in Hist. Anim. XI. 1. ex Hecataeo Abderita haec scribit: *ἱεροί εἰσι τῷδε τῷ δαίμονι Βορέου καὶ Χιόνης υἱέες τρεῖς τὸν ἀριθμόν,*

ἀδελφοὶ τὴν φύσιν, ἑξαπήχεις τὸ μῆκος. Male legitur *Χιόνος.* Chionem filiam Boreae memorat Apollodorus. Hi igitur tres fratres, ut refert Aelianus, quum consueto tempore solemnia sacra instituunt, ex Rhipaeis montibus immensa advolat multitudo cycnorum, considitque in septo 16 templi, atque ubi cantorum et citharistarum chorus hymnum deo canit, tam accurate hi cycni concinunt, ut si a praecentore indicatum vocis temperamentum exciperent. Non est obscurum, sacra haec Apollinis, consueto tempore a Boreae et Nivis filiis cum solemni cantu celebrari solita, nihil esse nisi veris reditum, qui quum homines, tum omnes animantes ad gaudium laetis vocibus exprimendum invitet. Nam tres illos ingentis staturae filios Boreae et Nivis, etsi eorum nomina non affert Aelianus, tamen facile colligi potest copiam aquarum intelligi, quae tabescente nive, soluto gelu, rupta et fluitante glacie profundantur. Eamdem rem alia fabula Eumelum expressisse suspicor, si quidem et Apollinis nomen, et Musarum appellatio, et numerus earum, et nomina etiam ita ad hunc finem conspirant, ut nihil, quod non aptissime conveniat, relinqui videatur. Et Apollinem quidem non dixerim, quod fortasse quis opinetur, solem esse: licet non contendam, non esse solem. Consistendum est enim in Graecae mythologiae finibus, in qua Apollo interemptor deus est, quidquid illud sit, in quo ea vis interimendi sit posita. Itaque ubi de hieme finienda sermo est, nihil attinet quaerere, quid sit, quod hiemem removeat, dummodo aliquis eius sit interemptor. Huius filias apertum est recte et apte Musas appellari, quum reversa laetiore anni tempestate ad hilaritatem et cantum omnia provocentur. Sunt autem illae numero tres, propter eamdem rationem, propter quam tres sunt Boreae et Chiones filii. Nam verni teporis vi et nives tabescunt, et gelus solvitur, et disiectam glaciem protrudunt flumina: hisque tribus in rebus ubi conspicua facta est vis peremptoris dei, sublata hieme iam ver adesse intelligitur. Has ipsas autem res etiam nomina illarum Musarum haud obscure significant. Nam *Κηφισσὼ* ab eadem radice dicta est, a qua est

κάμπτειν, et simile nomen *Κηφεύς*, quod alibi a nobis Latine Flexius dictum est. Indicat autem, si recte interpretamur Eumeli fabulam, torrentes, qui liquefacta nive tortuosis flexibus per declivia feruntur. Ab iisdem flexibus etiam fluvius Cephissus dictus est, de quo sic scribit 17 Strabo IX. p. 649. (424.): *καὶ Ἡσίοδος δ' ἐπιπλέον περὶ τοῦ ποταμοῦ λέγει καὶ τῆς ῥύσεως, ὡς δι' ὅλης ῥέοι τῆς Φωκίδος σκολιῶς καὶ δρακοντοειδῶς·*

ὅς παρὰ Πανοπίδα Γλήκωνά τ' ἐρυμνήν,
καί τε *) *δι' Ὀρχομενοῦ εἰλιγμένος εἶσι δράκων ὥς.*

Altera Musa, ut coniecimus, *Ἀχελωΐς* appellata fuit, quod nomen cognatum est cum vocabulis *χέλυς* et *χελώνη*: quae quum testam significent, indicari illo nomine videtur aqua viva, quae fit soluto tegmine glaciei. Atque hinc intelligitur etiam, qui factum sit, ut *Ἀχελῷος* apud Graecos de omni fluviorum et fontium aqua dici soleat: cuius rei qui hanc rationem reddunt, quod ante alios insignis hic fluvius sit, ipsi fateantur necesse est, aptae explicationis desperatione hoc commentum sibi extortum esse. Multi enim sunt alii longe maiores atque illustriores fluvii, a quibus aqua, si claritas fluviorum respicienda esset, appellari potuisset. Et vel sic eiusmodi appellatio non minus fuisset inepta, quam si quis, quod inter homines Hercules excelluisset, quemvis hominem Herculem dicere vellet. Denique tertia Musa si *Βορυσθενὶς* ab Eumelo vocata est, vix puto dubitari posse, quin ille, ut impetum aquarum magnas glaciei moles secum auferentium indicaret, ad comparationem reliquorum duorum nominum eum respexerit fluvium, cuius nomen huic rei significandae accommodatissimum videretur, quum id more eo,

---

*) Non debebam admittere hanc virorum doctorum correctionem. Rectius apud Strabonem legitur *καὶ δέ*. Quamquam nescio an praestet *ἠδέ*.

quo Graeci in originibus vocabulorum explicandis luxuriantur, a robore Boreae ductum existimaret *).

---

*) Aliam, ingeniosam quidem illam, sed, ut mihi videtur, parum veri similem explicationem protulit Buttmannus p. 505. Is, quod omnis poesis caelestem habeat originem, Olympicam quamdam Musam ab ipso Musarum patre Apollonidem dictam esse coniicit; ei additas esse Borysthenidem, quae significaret poesin Septemtrionalem; ab Hyperboreis enim et Thracibus eam artem Graecos accepisse; et Cephissidem, quae sit Graeca poesis, quod is amnis Parnassum caeterosque Musis sacros montes praeterfluat. Id in iis rebus est, quas nostris hominibus facile quis persuadeat; Graecis inauditum accidisset, Borysthenem et Cephissum barbariae et Graeciae, vel Thraciae et Boeotiae distinguendis adhiberi.

DE COMPOSITIONE TETRALOGIARVM TRAGICARVM *).

3 Ex tam ingenti numero tragoediarum, quae Athenis et scriptae olim et editae sunt, tam paucas hodie superstites habemus, ut quum universe de tragoedia Graecorum, tum de singularum partium proprietatibus iudicare difficillimum sit. Quare licet ex aliquot annis et apud nostrates et apud exteros viri docti certatim studia sua ad hoc genus scriptionis considerandum atque explicandum contulerint, tamen non est mirum, multa adhuc esse, de quibus aut non sit omnino, aut non satis accurate disputatum: praesertim quum alii ad ea potissimum attendant, quae quivis etiam sine diligenti totius rei pervestigatione invenire possit, alii autem unice in sermonis usu illustrando occupentur, qui fere, dum sedulo exempla exemplis cumulant, nonnullas bonas, plurimas etiam inanes regulas confingunt. Quorum neutri mea sententia illud satis meminerunt, di-

*) Edita est a. 1819. De trilogiis Aeschyli prolixe disputatum est a Welckero in libro quem de Aeschyli trilogia Promethea scripsit, et in appendice eius libri, quam edidit ut prioris libri censuram quam scripsi refutaret: de qua appendice quid sentirem, dixi in diariis litterariis Lipsiensibus a. 1827. m. Ianuar. fol. 13. 14. 15.

scere prius, qui docere velit, debere; disci autem, quale quid sit, non posse, nisi altius repetendo, et inde quidem, unde simul et de his paucis, quae habemus, et de plurimis illis, quae amisimus, coniecturam facere liceat. Vnum promam, data scribendi opportunitate, huius generis exemplum, quod positum est in compositione tetralogiarum.

Ac nemo ignorat, tetralogiis certavisse tragicos, quae ex tribus tragoediis et una fabula satyrica constabant. Id quo tempore institutum fuerit nescimus: veri simile est, Satyros etiam antiquiores tragoediis fuisse: sed Sophoclem primum coepisse una tragoedia certare, Suidas auctor est *): quamquam etiam post Sophoclis tempora tetralogias in scenam produci solitas novimus: de qua re dixit Lessingius in Vita Sophoclis p. 123. seqq., qui quidem quod coniiciebat, post Sophoclem demum introductas esse tetralogias, et Suidae verba falsum esse arguunt, animadvertitque ipse, repugnare ei coniecturae exempla quaedam. Sed etsi quae caussa huius instituti fuerit nescimus, tamen recepto quid in componendis tetralogiis spectari vel potuerit vel debuerit, quaerere operae pretium videtur. Continetur id autem his duabus rebus, argumento et tractatione.

Atque ad argumentum quod attinet, aut una eiusdem argumenti perpetuitate vel omnes fabulae, vel duae earum tresve cohaerebant, aut singulae diversum habebant a caeteris argumentum. Nihil horum est, quod exemplo carere videatur. Ac diversa in singulis fabulis argumenta tractavit Aeschylus, quum Phineum, Persas, Glaucum Potniensem, Prometheum igniferum una tetralogia comprehendit: de qua testem habemus grammaticum, qui de

*) Aliter Suidam intellexit Welckerus in Tetralogia Aeschylea p. 508. seqq. cui videnda quae opposuit Süvernius in dissertatione quam inscripsit *über den historischen character des drama* p. 44.

argumento Persarum scripsit. Idem fecit Euripides, quum Medeam, Philoctetam, Dictyn, Messores consociavit: de quibus scriptum in argumento Medeae: et Xenocles, coniunctis Oedipo, Lycaone, Bacchis, Athamante, ut refert Aelianus V. H. II. 8. Eadem fuisse ratio videtur duarum Euripidis tetralogiarum, quibus quas satyricas fabulas addiderit nescimus, unius, quae Hypsipylen, Phoenissas, Antiopam; alterius, quae Iphigeniam in Aulide, Alcmaeonem, vel potius, ut probabiliter coniicit Musgravius, Alcmenen, et Bacchas complectebatur. Vna perpetuitate argumenti Aeschylus scripsit Agamemnonem, Choephoros, Eumenides, quibus quae accedebat satyrica fabula, Proteus, ea, ut coniiciunt viri docti, affine argumentum tractabat, Menelai profectionem Aegyptiacam. Testes de hac tetralogia sunt is, qui scripsit argumentum Agamemnonis, et scholiastes Aristoph. ad Ran. v. 1155. Vsitatum fuisse, ut etiam in Satyris eaedem personae, quae in praegressis tragoediis fuerant, introducerentur, fuerunt qui ex his colligerent versibus Horatii in A. P. 225. vereor ne non satis recte:

verum ita risores, ita commendare dicacis
conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
5 *ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,*
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscenas humili sermone tabernas,
aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.

Quod si ex nomine coniecturam facere licet, quattuor fabularum in eodem argumento versantium indicium habet, quae a scholiasta Aristophanis ad Aves v. 282. commemoratur Philoclis *Πανδιονὶς* tetralogia. Euripidis vero tetralogiam *Ἀλκμαιωνίδα* Butlerus ad Aeschyli fragm. Prom. p. 214. T. I. commentus est, qui si accuratius inspexisset Bentleium, quem auctorem nominat, vidisset, hunc istam Euripidis *Ἀλκμαιωνίδα* aegri somnium appellare. Non magis ex eo, quod Aristophanes Thesm. 141. Lycurgiam Aeschyli nominat, quum Lycurgus fabula satyrica fuerit, ausim colligere, tetralogiam fuisse

Lycurgiam, licet hoc nomen de rebus Lycurgi etiam scholiastes ad Iliad. ζ. 129. qui tragicum aliquem respexisse videtur, posuerit *). Nam ne Ὀρεστεία quidem tota illa Aeschyli trilogia, sed tantum Choephori et Eumenides dictae videntur. Illud vero non puto dubitandum esse, Satyros, etiam si tragoediarum trilogia in uno argumento consisteret, fere aliud habuisse argumentum. Quamquam Euripidem id fecisse, quum, ut Aelianus l. c. refert, certaret Ἀλεξάνδρῳ, Παλαμήδῃ, Τρωσί, Σισύφῳ, ubi recte, ut videtur, Τρῳάσι scribendum putat Musgravius, haud facile credam. Nam etsi tragoediae illae omnes ex rebus Troicis depromptae sunt, tamen, nisi permultum sibi licentiae sumpsit Euripides, vix potuit eas factorum quadam perpetuitate coniungere. Trilogiam tragoediarum unum deinceps argumentum explicantium Lessingius in Vita Sophoclis p. 152. indicatam putabat a Clemente Alexandrino in Protreptico his verbis p. 19. A. *Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορείτων τοῖν Διοςκούροιν πέρι.* Sed hoc valde incertum est, neque, ut vera sit illa coniectura, ex silentio quidquam de Satyris adiunctis colligi poterit. Multo inconsideratius de trilogiis et tetralogiis idem argumentum persequentibus disseruit I. Chr. Genellius, vir perelegantis iudicii, sed magnae et levitatis in [6] pervestigandis rebus historicis, et in coniectando temeritatis. Is quod in libro, quem scripsit de theatro Attico, p. 21. ait, Supplices Aeschyli medias fuisse inter Aegyptios et Danaides, quo tandem argumento dixit, quum nec testis eius rei ullus exstet, neque de Aegyptiis quidquam praeter nomen supersit? Aut quod Prometheum vinctum medium fuisse vult inter duas alias de Prometheo fabulas, quibus adiectum fuisse igniferum Prometheum ut fabulam satyricam coniicit, cui persuadebit de hac re,

---

*) Scholiastes Aristophanis MS. apud Seidlerum: *τὴν τετραλογίαν λέγει Λυκουργίαν Ἠδωνούς, Βασσαρίδας, Νεανίσκους, Λυκοῦργον τὸν σατυρικόν.*

quum nec de primo illo, quem commentus est, Prometheo res certa sit, igniferum autem alii trilogiae additum fuisse constet? Non cautius, immo etiam aliquanto inconsideratius illud scripsit, Septem ad Thebas medium cuiuspiam trilogiae locum tenuisse, in qua sint qui tertium locum Epigonis tributum fuisse putent. Verius illud, sed non satis explicate et isto loco et p. 78. dixit, Psychostasiam partem fuisse trilogiae in eodem argumento versantis.

Quaerendum erat enim, an etiam duas tragoedias, quae argumento cohaererent, iunxissent poetae, tertiam autem addidissent nulla cum illis argumenti communitate nexam. Ac potuisse id eos facere, quis neget? Sed si fecerunt, lubentius eos et saepius credam secundam et tertiam tragoediam, quam primam et secundam cohaerere voluisse. Primis enim duabus tragoediis in eodem argumento versantibus, spectatores etiam tertiam de eadem re futuram exspectant: quibus non potest gratum esse, si falli se videant. Secunda vero et tertia tragoedia si cohaerent, non falluntur, quia nullam amplius exspectandam sciunt. Quamquam non contenderim, pro argumentorum conditione non potuisse interdum etiam illud aptius videri, si tertia tragoedia novam rem in scenam afferret. Videntur autem, nisi quidem indicia fallunt, inveniri exempla quaedam argumentorum per duas tantum fabulas continuatorum: cuiusmodi sunt ex Aeschyleis duo Promethei, ac Supplices et Danaides. Sed de his infra.

7 Veniendum est enim ad tractationem. Et quamquam, quod singulae seorsum tragoediae habebant argumentum, ita debebat comparatum esse, ut etiam ipsum per se animos spectatorum retineret: tamen, nisi mea me coniectura fallit, etiam aliud quid requirebatur, ut tres tragoediae sese deinceps excipientes ea cum attentione ac voluptate spectari possent, cui excitandae operam dedisse poetas, praesertim qui de victoria concertarent, maxime consentaneum est. Id autem, si quid video, in eo debe-

bat positum esse, ut eae tragoediae, quae una trilogia comprehenderentur, quam maxime inter se essent dissimiles: eodem modo, ut hodie musicos in iis, quas symphonias vocant, quae ex tribus plerumque partibus constant, id curare videmus, ut apta dissimilitudine earum partium, ne refrigeretur et languescat studium audiendi. Erat vero in tragoediis triplex omnino fons, ex quo peti ista dissimilitudo posset. Nam et animis, et auribus, et oculis prospicere debet poeta scenicus. Itaque et inventione fabulae atque compositione, et canticorum temperamento, et apparatu rei scenicae differre tragoedias oportebat. Et profecto quae sola nobis, quod quidem certo sciamus, trilogia superest, egregie huic rei fidem facit. Agamemnon magna est et gravis fabula, tota ad epici carminis severitatem composita, stasima habens longa et gravia, aliquot brevia cantica de scena, aliquot etiam *κόμμους;* ad scenicum autem apparatum nihil insigne aut novum. Excipiunt hanc Choephori, plane diversi coloris fabula, in qua actionis non multum, cantica chori minus longa, sed de scena tanta tamque admirabilis cantionum varietas, eique congrua etiam diverbiorum alternatio, ut tota fabula lyricam indolem spiret, cantusque in ea primarium locum tenere videatur. Mirum quantum ab hac differt tertia fabula, Eumenides, quae tota, ut in capitalis iudicii disceptatione versans, austera est ac pene aspera. Nihil in hac de scena canitur, nulli *κόμμοι;* sed chori cantica vehementissimi motus plena. Fere omnia in hac eo tendunt, ut oculis nova, insolens, terribilis species obiiciatur. Agitur res in templis deorum: numina conspiciuntur Apollinis, Mercurii, Minervae; Pythias sacerdos, umbra Clytaemnestrae, sanctissimus consessus Areopagi; tum chorus Furiarum, pullis vestibus indutarum, capita anguibus redimitarum, dormiens in vestibulo templi Delphici; mox paullatim expergiscens, sine ordine prorumpens, horrendis motibus choreas ducens, prae implacabili irae obstinatione identidem eadem dicta iterans, postremo, aegre lenita ferocia, comitante alio cum facibus et sollemni pompa choro orchestram relin-

quens. Et huius tantae inter has fabulas diversitatis nos exiguam tantum partem animo concipimus: quid illos censeamus, qui audiebant ipsi voces et concentus musicos, omnemque illum scenae apparatum oculis suis videbant?

Non sum nescius, unum hoc exemplum esse. Temerariumque sane foret, quod in hac trilogia factum est, in omnibus factum contendere, praesertim quum in tanta tragoediarum scribendarum concertatione alii semper alios novitate inventorum superare studuerint: sed tamen tantam haec ratio probabilitatis speciem habet, ut quaerendum saltem esse videatur, an confirmari etiam aliis exemplis queat. Nec fortasse multum a vero aberraverit, qui, hoc tam illustri exemplo indicium praebente, certe in antiquiore tragoedia quasi legitimam fuisse rationem illam coniecerit. Similiter legem quamdam Aeschyli artis tragicae sagaciter reperit Heerenius in Bibliotheca Gottingensi veteris litteraturae et artis P. VIII. Videamus igitur, si quid sit, quod confirmet suspicionem nostram.

Vt Aeschyli, ita Euripidis fabularum magna diversitas est: minor in Sophocleis invenitur, casu ut opinor servatis, quae similiores inter se sunt. Sed Euripidis tragoediarum duplex dissimilitudo est, una a tempore, quo factae sunt, repetenda, quum, quae ab Olymp. LXXXIX. scriptae sunt, et numeros minus elaboratos, et metra tunc maxime usitata, in quibus Glyconeum eminet, habeant: cuiusmodi etiam Sophoclis Philoctetes est; altera, quae est inventionis, compositionis, tractationis. Hanc nunc solam respicimus et in Euripide, et, in quo altera nulla est, in Aeschylo. Atque ex Aeschyli tragoediis quattuor 9 habemus, quarum permagna similitudo est, Septem ad Thebas dico, Persas, Choephoros, Supplices. Quarum qui comparationem instituet, facile puto adducetur, non tam id egisse poetam, ut actionem aliquam strenue explicaret, quam ut, quaequae actio esset, ea melicis carminibus aptam praeberet materiam, in iisque praecipue fieret conspicua. Ab hoc quasi lyrico et, ut ita dicam, can-

tabili genere tragoediae mirum quantum differunt Prometheus, Agamemnon, Eumenides: quarum hoc commune est, quod actionis explicatae ad finem perductio, cum magna severitate coniuncta, primarium est; maximeque in Agamemnone, quae ut longissima, ita etiam perfectissima tragoedia est. Simillima huic Prometheus est, nisi quod κόμμους nullos habet. Ab utraque differunt Eumenides insolentia spectaculi. Sed illa similitudine Agamemnonis et Promethei moneo ne quis ita abutatur, ut eas fabulas eodem fere tempore scriptas putet, quod nuper fecit Franc. Passovius in Meletematis criticis in Persas Aeschyli p. 2. eo usus argumento, quod par in Prometheo atque in trilogia ista ars esset poetae conspicua. At neque una fabula recte cum trilogia comparatur, neque necessarium est, ut, quae arte elaboratior est fabula, etiam posterior sit tempore. Et Prometheus quidem cur mihi multo ante Agamemnonem videretur editus esse, alio loco indicavi. Quod si ea, quae supra de compositione illius, quam adhuc habemus, trilogiae dixi, vel vera sunt, vel certe similia veris, ut ex iis tamquam legitimum sumi debeat, primam trilogiae fabulam mentis potissimum atque animi oblectationi actione gravi plene atque explicate ad finem perducenda inservire; secundam canticorum modulatione ac multiplici varietate aures permulcere; tertiam denique oculos novo atque insolenti spectaculo percellere ac retinere: experiamur, an etiam caeterae, quas habemus, Aeschyli fabulae hanc rationem confirmare videantur: modo ne credamus, quem illa trilogia variationis ordinem habet, constanter servari in omnibus debuisse: id quod ne argumentorum quidem omnium conditio permisisset. Magnam tamen commendationem etiam ab eo habere iste ordo debuit, quod aptis- **10** simus esset ad placendum multitudini: quae quum orationis gravitate facile satietur, retinenda est aliis artificiis, et primo quidem cantus suavitate, postremo novitate spectaculorum, quae maxima vulgi oblectatio est.

Ac profecto confirmare videntur coniecturam nostram primo Persae: quae fabula, quam similem Choephoris

esse diximus, eumdem, quem hac, in trilogia locum tenuit. Prima enim Phineus, secunda Persae, tertia Glaucus Potniensis fuit.

Confirmare videntur etiam Supplices: cui quidem fabulae dubito an non praecesserit alia, quae argumento cum ea cohaereret, quum quae sint istae puellae et unde venerint Argos, et qua caussa, tam accurate explicetur, ut nunc primum eam rem in scena agi appareat. Sed sequutam esse aliam fabulam, quae continuaret argumentum, quod in Supplicibus imperfectum relinquitur, valde est verisimile. Eamque fabulam Danaides fuisse, facile ex fragmentis coniicias, ut quae aperte ad nuptias Danaidum spectent. Habent ea quidem tam singularem colorem, ut non sim miraturus, si quis hanc fabulam satyricam fuisse coniiciat. Sed nihil est tamen in iis, quod non etiam in tragoedia recte et magna cum vi dici potuerit: nec facile est intellectu, quomodo Satyris hoc argumentum conveniat. Quodsi tragoedia fuit, novum etiam accedet opinioni nostrae firmamentum, siquidem, ut Supplices ad cantum potissimum factae sunt, ita in Danaidibus, quod spectando maxime populum retineret, fuisse, non modo ex ipsa undequinquaginta sponsorum atrocissima caede, sed etiam ex eo videtur colligi posse, quod Veneris in ea fabula personam introductam legimus.

Paullo aliter statuendum videtur de Septem ad Thebas. Haec quamvis similis sit Choephoris, tamen nescio an mutato variationis ordine non secundum, sed tertium trilogiae locum habuerit. Praegressam quidem ei esse aliam tragoediam coniuncti argumenti, ex ipsa intelligi potest, ut in qua somnii cuiusdam, quasi noti spectatoribus, mentio fiat, de quo tamen in illa quidem fabula nihil dictum erat. Locus est hic v. 707.

11 *ἄγαν δ' ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων*
ὄψεις, πατρῴων χρημάτων δατήριοι.

Hoc itaque somnium in praegressa fabula narratum fuerit necesse est. Atque quum in fabulis Aeschyli et Laius et

Oedipus nominentur, veri simile est, ita eas una trilogia coniunctas fuisse, ut Laium Oedipus, Oedipum Septem ad Thebas exciperent.

Plus negotii facit Prometheus. Nam quum praeter Prometheum *δεσμώτην* commemorentur *πυρφόρος*, *πυρκαεύς*, *λυόμενος*, in diversa discesserunt viri docti, alii tres Prometheos ab Aeschylo scriptos esse existimantes, alii quattuor. Atque in his fuit T. Hemsterhusius ad Pollucem IX. 156. Sed hic illud tantum spectavit, si quattuor sint fabulae, omnem iis historiam Promethei contineri: non cogitavit etiam, in indice fabularum Aeschyli tres tantum commemorari; *πυρφόρον* et *πυρκαέα* nomina esse adeo similia, ut facillime unius fabulae appellationes esse potuerint; *πυρφόρον* semel tantum citari, quique ex eo proferatur versus, eum nihil de argumento fabulae prodere; denique, si tragoedia hoc nomine fuit, certe eam non potuisse cum Prometheo vincto eadem trilogia coniunctam esse. Huic enim nullam de Prometheo aliam fabulam praecessisse, illud certissimum argumentum est, quod in eo diligentissime, cur vinctus sit Prometheus, exponitur. Sequutam vero esse aliam, non minus certum est, quum solutum se iri ipse ille in vinculis Prometheus dicat, neque ita ea fabula finiatur, ut non, quid porro futurum sit, spectatores requirant. Quin scholiastes ad v. 510. verbis minime dubiis significat, exceptam hanc fabulam esse a Prometheo soluto: *λύεται γὰρ ἐν τῷ ἑξῆς δράματι.* Sed sive primum, sive secundum in trilogia locum habuit vinctus Prometheus, non mediocriter hae duae fabulae labefactare coniecturam nostram videntur, eo, quod, quantum ex fragmentis alterius colligi potest, simillimae fuerunt. In utraque rupi affixus cernebatur Prometheus, nisi quod in posteriore etiam aquila, quae ei iecur exederet, accedebat. In utraque chorum agebant dii inferioris ordinis, in priore Oceanides, in posteriore Titanes. In utraque Prometheus, ubi chorus advenerat, de cruciatu suo fere eodem modo querebatur. In utraque adveniebat aliquis ex heroum genere, in priore

Io, in posteriore Hercules, cui utrique Prometheus longis orationibus, quanta iis per orbem terrarum itinera facienda, quantaque subeunda pericula essent, explicabat: ut, si in aliis trilogiis varietatem rerum consectari studuit Aeschylus, in his duabus fabulis similitudinem videri debeat etiam dedita opera quaesivisse. Quid igitur dicamus? Num similitudinem illam fabularum magis, quam dissimilitudinem spectatoribus placuisse? Non putem. Aut voluisse Aeschylum ostendere, magnum ingenium etiam ea via feliciter incedere, qua aliis prosperum successum sperare non esset licitum? Fortasse: et veri similius certe hoc est, quam non vidisse eum, quam periculosum esset, similitudine rerum fatigare spectatores. Duo tantum sunt, nisi fallor, quae responderi ad removendam hanc dubitationem possint. Si hae fabulae tanta, quantam indicavimus, similitudine fuerunt, credibile est eas primas in trilogia fuisse, tertiam autem successisse talem, quae, quam illae similes inter se, tam utrique dissimilis esset, eaque dissimilitudine maiorem in modum compensaret, quod in illis minus recte factum videretur. Sed nescio an etiam verius sit alterum. Nam quae nobis non potest non maxima videri similitudo esse, quis ausit dicere, an forte haud parum contulerit, quo dissimillimae fierent hae fabulae? Sunt certe duae res, quae commendare hanc coniecturam videantur. Primum enim chorus, qui in Vincto Prometheo timidas virgines habet, in Soluto e Titanibus est, numinibus et natura ferocibus, et propter privatas iniurias Iovi infestis, et nunc fratris Promethei supplicio exasperatis: pariterque non iam Io aliqua oestri stimulis confecta, longoque cursu exhausta ad Prometheum advenit, opem eius implorans, sed superator laborum omnium invictus heros adest, laturus auxilium. Deinde qui in Vincto Prometheo dirus est exitus, in Soluto felix est, interfecta ab Hercule aquila, liberatoque 13 e vinculis Prometheo. Sunt haec profecto eiusmodi, quae facile efficere potuerint, ut, quo similiores essent compositione hae fabulae, tanto magis tractatione ad summam dissimilitudinem adducerentur.

Paucis denique commemoranda est Psychostasia, in qua animas Memnonis et Achillis Iuppiter in bilance pensitabat, adstantibus et filiorum in bello caesorum caussas orantibus Aurora et Thetide. Hanc fabulam si licet tertiam existimare trilogiae, cuius prima Memnon, secunda Nereides fuerint, egregie conspirabit cum eo, quod supra ut legitimum posuimus, tertias tragoedias spectaculi novitate et magnitudine eminuisse.

Multo difficilius est, de Euripideis trilogiis iudicare. Videntur tamen eae, quas supra nominavimus, non minus confirmare sententiam nostram, quam Aeschyleae. Medea quidem, quam Philoctetes et Dictys excipiebant, gravis et severa fabula est, ut eam hoc nomine recte cum Agamemnone comparari liceat. Sed de Philocteta et Dictye quae nobis nota sunt, non sufficiunt, ut, quam similis illae Medeae aut dissimiles fuerint, coniicere possimus. Eadem illius trilogiae ratio est, in qua Phoenissae mediae fuerunt inter Hypsipylen et Antiopam: sed hic quoque in media fabula aliquid operae canticis datum videmus: quemadmodum in ea trilogia, quae Alexandrum, Palamedem, et, si recte coniecit Musgravius, Troades continebat, ultima fabula praecipue in cantu occupata fuit. Certior res est in illa trilogia, quae habebat Iphigeniam in Aulide, Alcmenen, et Bacchas. Quarum etsi quae media fuit, non exstat, prima autem et valde corrupta et miris modis interpolata est, tamen quantum ab ea differant Bacchae, quarum plane alius color est, nemo non videt. Eaque fabula furentis Penthei, insanientiumque Baccharum spectaculo non minus oculos, quam canticorum vehementia aures retinuerit necesse est, ut ad eamdem rationem facta videatur, de qua supra in Eumenidibus dictum est.

Omnino autem, quales Troades sunt, aliae quoque in Euripideis fabulis, eaeque breviores fere tragoediae inveniuntur, quae canticorum varietate ita sunt temperatae, ut eo in trilogiis officio functae videantur, quod Choe-14

phoris supra tribuimus. Eiusmodi sunt Andromache, Supplices, Hercules furens, et, quam doctores quidam umbratici, a quorum tenuitate nimis abhorreret Hercules ille, simili iudicii perversitate ut Aeschyli Persas, pene ad comoediae humilitatem abiici deputarunt, Alcestis. Et tamen Hercule illo vix quidquam divinius ab Euripide factum est. Quod nemo praeclarius ostendit, quam Goethius nostras, cuius fabellam, quam Deos Heroas et Wielandium inscripsit, ut ab operum eius editione vivo Wielandio excludi humanitatis fuerit, at mortuo inseri iis magnopere cupimus. Miseri sunt, quibus in illo spes est, *de mortuis non nisi bene.* Neque in his est Wielandius, vir immortalis, etiam si quid, ut omnes facimus, aliquando erraverit.

DE AESCHYLI DANAIDIBVS *).

Dixi in dissertatione, quam superiore anno de composi- 1
tione tetralogiarum tragicarum scripsi, cum Supplicibus Aeschyli coniunctas fuisse videri Danaides. Et quamquam fragmenta, quae ex Danaidibus supersunt, tam singularem colorem haberent, ut facile satyrica videri ea fabula posset, tamen nihil in iis inveniri, quod non etiam in tragoedia recte et magna cum vi dici potuisset, nec facile esse intellectu, quomodo hoc argumentum Satyris conveniret. Eam rem oblata scribendi opportunitate nunc ita persequar, ut, quamvis pauca reliqua sint fragmenta Danaidum, tamen, quale earum argumentum fuerit, investigare studeam.

Danaum narrant filios Aegypti metuentem cum filiabus Argos, quae antiqua patria erat, confugisse. Ibi regno potitum, Aegyptiadis, qui ea caussa Argos venerant, despondisse quidem filias, sed clam mandavisse, ut prima nocte sponsos interimerent: quod fecisse omnes praeter Hypermnestram, quae quum Lynceo sponso suo

*) Edita est a. 1820.

pepercisset, in vincula coniecta, sed postea tamen in matrimonium data est Lynceo. Referunt rem quum alii, tum Apollodorus II. 1, 4. scholiastes Homeri ad Iliad. α. 42. Euripidis ad Orest. 859. ed. Matth. Pindari ad Nem. X. 10. Hyginus fab. 168. Servius ad Aen. X. 497. a quibus multum dissentit scholiastes Euripidis ad Hec. 869. qui Aegyptum a Danao Argis pulsum revertisse illuc, quum filii adolevissent, scribit. Haec quum in illa Aeschyli ingenii ubertate non uno modo materiam scribendae tragoediae praeberent, tamen eum veri simile est non atrocitatem illam caedis oculis spectatorum subiecisse, sed potius, quo mirifice delectari populares suos sciebat, iudicialem tanti facinoris disceptationem introducendam putavisse, idque tanto magis, quod etiam fama iudicii cu-
2 iusdam, et quidem duplex exstabat. Primo enim fuerunt, qui Danaum ob caedem Aegypti filiorum in iudicium vocatum traderent. Euripides Orest. 861. ed. Pors.

ὁρῶ δ' ὄχλον στείχοντα καὶ θάσσοντ' ἄκραν,
οὗ φασὶ πρῶτον Δαναὸν Αἰγύπτῳ δίκας
διδόντ' ἀθροῖσαι λαὸν εἰς κοινὰς ἕδρας.

Plura ibi scholiastes. Ad idem iudicium, siquidem patris et filiarum coniuncta crimina fuerunt, pertinere videtur, quod Apollodorus scribit: *καὶ αὐτὰς ἐκάθηραν Ἀθηνᾶ τε καὶ Ἑρμῆς, Διὸς κελεύσαντος.* Alterum, de quo accepimus iudicium, Hypermnestra subiit, accusata a patre Danao. Pausanias II. 20, 5. *τὸ δὲ χωρίον τὸ ὄπισθεν καὶ ἐς τόδε κριτήριον ὀνομάζουσιν, Ὑπερμνήστραν ἐνταῦθα ὑπὸ Δαναοῦ κριθῆναι λέγοντες.* Et cap. 21, 1. *τὸ δὲ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐπίκλησιν Πειθοῦς, Ὑπερμνήστρα καὶ τοῦτο ἀνέθηκε, νικήσασα τῇ δίκῃ τὸν πατέρα, ἣν τοῦ Λυγκέως ἕνεκα ἔφυγε.* Atque explicatius etiam cap. 19, 6. *τὰ δὲ ξόανα Ἀφροδίτης καὶ Ἑρμοῦ, τὸ μὲν, Ἐπειοῦ λέγουσιν ἔργον εἶναι, τὸ δὲ, Ὑπερμνήστρας ἀνάθημα. ταύτην γὰρ τῶν θυγατέρων μόνην τὸ πρόςταγμα ὑπεριδοῦσαν ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ τε Λυγκέως οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἡγούμενος, καὶ ὅτι τοῦ τολμήματος οὐ με-*

τασχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς, καὶ τῷ βουλεύσαντι τὸ ὄνειδος ηὔξησε· κριθεῖσα δὲ ἐν τοῖς Ἀργείοις ἀποφεύγει τε, καὶ Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε νικηφόρον. Iam si quaerimus, alterumne illud, an hoc iudicium in Danaidibus introductum fuerit, Hypermnestrae quidem caussam in hac fabula actam esse, vix sinit dubitare praeclarum fragmentum, quod ex oratione Veneris depromptum est. At obstare videtur inscriptio fabulae, quae de caeteris potius sororibus, vel etiam de universis cogitare iubet. Omninoque, si non dubium videtur Danaides subiunctas fuisse Supplicibus, permirum, ne dicam ineptum foret, praeteritis caeteris de una Hypermnestra agi. Quod si illae praeteriri non potuerunt, defensa est autem Hypermnestra, sic potius statuendum erit, utrumque iudicium a poeta coniunctum esse *). Et coniunctae profecto sunt caussae, quod, si puniendae erant, quae patraverant caedem, absolvenda erat, quae non patraverat; sin haec poenam meruerat, illis concedenda erat impunitas.

Scenam fabulae Argis fuisse necesse est. Ibi enim factam caedem, scriptores omnes consentiunt. In caeteris rebus nonnihil discrepant. Danaum plerique regnasse Argis dicunt, et scholiastae Euripidis quidem non ex Aegypto profugum, sed ab initio habitantem Argis. Hyginus et Servius, ex Aegypto venisse, et regno esse potitum. Et sic etiam Apollodorus et Pausanias II. 16, 1. 19, 3. qui regnum ei a Gelanore traditum dicunt. De facinore puellarum discrepantes narrationes, quae ad Aeschylum aliquid facere possint, ipsis scriptorum verbis afferre placet. Apollodorus: *οἱ δὲ Αἰγύπτου παῖδες ἐλθόντες εἰς Ἄργος, τῆς τε ἔχθρας παύσασθαι παρεκάλουν, καὶ τὰς θυγατέρας αὐτοῦ γαμεῖν ἠξίουν. Δαναὸς δέ, ἅμα μὲν ἀπιστῶν αὐτῶν τοῖς ἐπαγγέλμασιν, ἅμα δὲ μνησικα-*

---

*) Dissentiunt Welckerus in Trilogia Aeschyli p. 405. et Süvernius in dissertatione, cui indicem fecit: *über den historischen character des drama* p. 55.

κῶν περὶ τῆς φυγῆς, ὡμολόγει τοὺς γάμους, καὶ διεκλήρου τὰς κόρας. Eadem pene iisdem verbis Zenobius II. 6. Scholiastes ad Oresten: *Δαναὸς ἐγένετο Ἄργους βασιλεύς. οὗτος τὰς θυγατέρας ἑαυτοῦ πεντήκοντα οὔσας ἐκδίδωσιν εἰς γάμον τοῖς υἱοῖς Αἰγύπτου, πεντήκοντα καὶ αὐτοῖς οὖσιν. οὗτος ἀπῆλθεν εἰς τὸ μαντεῖον χρησόμενος, εἰ ἄρα καλῶς ἔγημαν αἱ θυγατέρες. ὁ δὲ θεὸς ἔχρησεν αὐτῷ, ἐκ τούτων κινδυνεύσειν. ὁ δὲ ἔπεισε τὰς θυγατέρας ἀνελεῖν τοὺς υἱοὺς Αἰγύπτου.* Et alius scholiastes: *αὐτὸς γὰρ ὁ Αἴγυπτος ἧκεν εἰς Ἄργος τιμωρήσων τῷ φόνῳ. Δαναὸς δὲ μαθὼν, ἐξῆγεν εἰς ὅπλα τοὺς Ἀργείους. ἀλλὰ Λυγκεὺς πείθει λόγοις λῦσαι τὴν ἔχθραν· καὶ καθιστῶσι δικαστὰς αὐτοῖς Αἰγυπτίων καὶ Ἀργείων τοὺς ἀρίστους. ὁ δὲ τόπος, ἔνθα ἡ δίκη συνήχθη, περὶ τὴν μεγίστην ἄκραν, ἔνθα καὶ Ἴναχος ἁλίσας τὸν λαὸν συνεβούλευσεν οἰκίζειν τὸ πεδίον, ἐξ ἐκείνου Ἁλιαίας καλεῖται, ἡ νῦν Ἡλιαία λεγομένη.* Aliud ibidem scholion refert, plerosque, et in his Hecataeum, negare Aegyptum Argos venisse: sed esse quemdam ibi editum locum, ubi iudicium Argivi agere soleant, cuius mentionem fieri in Bellerophonte Euripidis his verbis:

καὶ ξεστὸν ὄχθον, Δαναΐδῶν ἑδράσματα.

4 Sic scribendum. Legitur *ἑδρασμάτων.* Hyginus: *at Aegyptus ut resciit Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem, et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non reverterentur. Qui postquam Argos venerunt, oppugnare patruum coeperunt. Danaus ut vidit se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. Impetratas sorores patrueles acceperunt uxores: quae patris iussu viros suos interfecerunt.*

Aeschylum ego quidem est cur non putem Danaum regem perhibuisse Argivorum. Videmus hunc in ea, quae superstes est, trilogia res quamvis longo disiunctas temporis spatio ita tractavisse, ut non modo non offendantur ea re

spectatores, sed ne animadvertant quidem, quantum temporis inter singulas tragoedias intercesserit. Eodemque modo in Septem ad Thebas nihil est, quo tempus indicetur, quod inter mortem Oedipi et oppugnationem Thebarum interfuit. Vt id non casu, sed arte poetae factum videatur, temporis interiecti longitudinem perite tegentis. Atqui in Supplicibus regem Argivorum videmus Pelasgum. Quod si in fabula, quae hanc exciperet, Danaum Argis imperantem introduxisset, necessario ea res commovere debuisset spectatores. Nec facile tam inscitum quisquam et ineptum fuisse Aeschylum putabit, ut eum credat prologo aliquo mutationem rerum factam nunciavisse. Itaque si vel hoc argumento coniici licet, etiam in Danaidibus non Danaum, sed Pelasgum Argis regnantem introductum esse, multo magis id tota compositio Supplicum flagitat. Cuius fabulae argumentum quum aperte imperfectum sit, ita ut necessario alia fabula, in qua ad finem perducerentur quae inchoata erant, sequi debuerit, tum etiam sic comparatum est, ut, quid sequutum sit, facile colligi possit. Versantur enim Supplices in ea potissimum deliberatione, an recipiendae sint Danaides, quum ex ea re bellum immineat. Impetrata receptione adest navis hostilis, praeconique profugos repetenti vim vi repulsum iri respondetur. In qua re quum finiatur fabula, non potest dubium esse, quin Aegyptiadae statim bellum intulisse Argivis, quumque vicissent, potiti esse Danai filiabus intelligendi sint. Eo in proelio nisi cecidisse Pelasgum putabimus, debuit ille etiam in Danaidibus rex Argivorum perhiberi. Et ita placuisse Aeschylo, non contemnendum mihi videor auctorem habere Ovidium, versibus illis in epistola Hypermnestrae, Heroid. XIV. 23., quos Burmannus pessime ita scriptos dedit: 5

ducimur Inachides magni sub tecta tyranni,
et socer armatas accipit aede nurus.

Esto enim, ut quinque codd. *tyranni*, et Ambrosianus *aede* praebeant, tamen nihil his verbis ineptius fingi potest. Nam is, de quo loquitur Hypermnestra, neque Da-

naus esse potest: non enim in huius domum, sed ex ea deducendae erant sponsae: neque vero Aegyptus: nam, ut in illis fuerit Ovidius, qui hunc Argos venisse tradiderunt, at nullo modo eum potuit magni tyranni nomine designare, quae non potest alius quam Argivorum regis esse appellatio. Tum quis tam ineleganter loquutum credat Ovidium, ut, quum *sub tecta tyranni* dixisset, deinde *accipit aede* adiecerit? Nihil sincerius antiqua scriptura:

ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
et socer armatas accipit ille nurus.

Nimirum hoc vult, quia non aderat Argis Aegyptus, ad regis Pelasgi domum deductas esse puellas, et hunc eas soceri officio fungentem accepisse. Ac priorem quidem versum recte iam auctor Elector. Eton. ita interpretatus est, ad Aeschyli Supplices respexisse Ovidium ratus. Est sane hoc inventum eiusmodi, ut, quoniam exquisitius est, petitum alicunde videri debeat. Non erat tamen satis idonea caussa commemorandi Pelasgi, quod is in Supplicibus Aeschyli tum Argis regnasse dictus esset, nisi Aeschylus eumdem etiam in Danaidibus ut regem Argivorum introduxisset. Nam sic demum recte docteque scripsisse Ovidius censendus est. Quin illud ipsum, quod hic narrat, in Pelasgi regiam deductas esse puellas, et ab eo soceri vice exceptas, ex Aeschylo sumptum esse veri simile est. Non autem haec acta, sed narrata esse in ea fabula existimandum. Quis enim facile sibi persuadeat, pugnam, nuptias, caedem, iudicium perpetratae, intermissaeque caedis una potuisse tragoedia comprehendi? Immo satis erat, iudicium institui.

Chorum consentaneum est, ut in Supplicibus, ex filiabus Danai constitisse. Nescio an eo pertineat fragmentum sine nomine fabulae allatum a Porphyrio in schol. Ven. ad Iliad. ξ. 200. p. 338. a. *ὁμοίως δὲ καὶ Αἰσχύλος τὰς ἐν κύκλῳ ἑστώσας ἐν ἀπείρονι σχήματί φησιν ἵστασθαι·*

ὑμεῖς δὲ βωμὸν τόνδε καὶ πυρὸς σέλας
κύκλῳ περίστητ', ἐν λόχῳ τ' ἀπείρονι
εὔξασθε.

τοῦτο δέ ἐστιν, ἐν τάξει κατὰ κύκλον· ὁ γὰρ λόχος ἐστὶ τάξις. Legitur in eo loco *παρίστατ'*. Caeterum qui chorum tragicum aliquando e L cantoribus compositum fuisse tradiderunt, ex his potissimum duabus Aeschyli tragoediis coniecturam fecisse puto. Absonum enim videri debebat, pro his, quae ab omnibus ipsoque Aeschylo L numerantur Danaides, exiguum numerum XV puellarum in scenam productum esse. At, nisi egregie fallor, providerat poeta, ne, licet XV tantum cantores adhiberet, tamen nimis exiguus videri puellarum numerus posset, addito ingenti comitatu famularum. Cuius rei indicium exstat in Suppl. v. 982.

σύν τ' εὐκλείᾳ καὶ ἀμηνίτῳ
βάξει λαῶν τῶν ἐγχώρων
τάσσεσθε, φίλαι δμωΐδες, οὕτως,
ὡς ἐφ' ἑκάστῃ διεκλήρωσεν
Δαναὸς θεραποντίδα φερνήν.

Iudicium ipsum ita credibile est institutum fuisse, ut coram senatu Argivorum caussam oraret Danaus, auctor caedis. Par erat autem, ut a narratione facti fieret initium: in qua quum illud fuisse videtur, quod ex Ovidio collegimus, puellas ad Pelasgum, soceri partes agentem, deductas esse, tum aperte ad eam pertinuerunt tres versus a scholiasta Pindari ad Pyth. III. 27. servati. Is ita scribit: *τὸ ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς εἶπε διὰ τὸ τοὺς ὑμνοῦντας ἐπευφημιζομένους λέγειν σὺν κούροις τε καὶ κόραις. Αἰσχύλος Δαναΐσι·*

κἄπειτα δ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος,
ἕως ἐγείρω πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους,
νόμοισι θέντων, σὺν κόροις τε καὶ κόραις.

Heynius ex Toupii coniecturis ad Suid. T. II. p. 295. s. dedit, *κἄπειτ' ἄνεισι* et *ἕως τ' ἐγείρει.* Heathius con-

iecit *νόμοις ἀοιδῶν*, Toupius *νόμοις γερόντων*, sed postea vulgatam servandam censuit, inauditam rem commentus, *θέντας* praecentores dici. Causinus ad Horapoll. Hieroglyph. p. 244. *ἕως τ' ἐγείρω interim excito* vertit, et *νόμοισι θέντων* interpretatur, *legibus eorum, qui statuerunt hanc cantilenam.* Bothius, in primo versu Heynium sequutus, dedit, *ἐγὼ δ' ἐγείρω πρευμενὴς τοὺς νυμφίους νόμοισι θέλγων.* Sed piget afferre, quae nemini in mentem venire debebant. Neque vero Boeckhius, quod se solitum ipse in praefatione ait, omnia curiose pensitavit et inter ipsa comparavit, qui Heynium sequutus, appositis in fine ultimi versus punctis, deesse aliquid ad sententiam dicat, quod sequente versu expressum fuerit. Nam priusquam quis corrigat, videndum est, an opus sit correctione. At nulla opus est, dum verba recte interpungantur:

> *κἄπειτα δ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος,*
> *ἕως ἐγείρω, „πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους*
> *νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις* *)."

Tum vero, inquit, *it lumen solis*, *usque dum excito: favere iubento sponsos*, *ut mos est*, *cum pueris ac puellis.* Hoc enim dicere videtur, ubi mandata dedisset filiabus, ubi deductae fuissent ad Pelasgum, ubi peracta sacra, inclinatum esse diem, usque dum ipse tempus esse canendi hymenaei significasset; inde illos in thalamos abiisse, factamque esse caedem. Porsonum, *καὶ — δὲ* a tragicis abiudicantem, nemo hodie audiet, qui sciat, quid hae particulae a *καὶ — γε* differant. *Εἶμι* autem, qui non nisi futuri temporis esse apud Atticos contendunt, in quibus est Buttmannus etiam in novissima editione grammaticae p. 555. poetas certe excipere debebant. Apud Aeschylum apertissime praesens est *εἶσι* in Sept. ad Theb. 379. et *πρόςειμι* in Eum. 242. Videtur autem haec quoque Ovidius expressisse v. 27.

*) Quidquid de hoc fragmento statuatur, nec Welckeri interpretatio, p. 396. nec Süvernii, p. 55. admitti poterit.

vulgus Hymen Hymenaee vocant.

Simul intelligi poterit ex Aeschyli verbis, quo sensu dici solitum fuerit illud *σὺν κόροις τε καὶ κόραις.* Fecundum enim coniugium apprecabantur novis nuptis, favere eos cum pueris atque puellis, i. e. cum multa prole, iubentes. Phoenix Colophonius apud Athenaeum VIII. p. 359. F.

θεοί, γένοιτο πάντ' ἄμεμπτος ἡ κούρη,
κἀφνειὸν ἄνδρα κὠνομαστὸν ἐξεύροι,
καὶ τῷ γέροντι πατρὶ κοῦρον εἰς χεῖρας,
καὶ μητρὶ κούρην εἰς τὰ γοῦνα κατθείη.

Tangit hunc morem etiam Hesychius, neglectus a Boeckhio: *κουριζομέναις, ὑμεναιουμέναις, γαμουμέναις, διὰ τὸ λέγειν, σὺν κούροις τε καὶ κόραις, ὅπερ νῦν παρεφθαρμένως ἐκκορεῖν λέγεται.* Ita VV. DD. emendarunt. Codex *κουριζόμενος, ὑμεναιούμενος,* et *ἐκ κόρεν,* quod recte in *ἐκκορεῖν* mutatum. Apparet enim, hoc dicere Hesychium pro *κουρίζεσθαι,* corrupte vulgo *ἐκκορεῖν* dici. Quod unde natum sit, ex iis intelligitur, quae scholiastes Pindari subiicit versibus ex Aeschylo citatis, quem locum multo minus circumspecte tractavit Boeckhius, qui neque scripturae diversitatem omnem attulerit, et verba maxime genuina eiecerit, et auctores, qui eamdem rem attingunt, parum accurate consideraverit, et reposuerit id, quod defendi nequeat, et verbo *ἐκκορεῖν,* credo quia id grammatici *ἐκκαλλύνειν* interpretantur, inauditam exornandi significationem tribuerit. Vetus scriptura est: *κὰν τῷ βίῳ ἀκερεῖ. ἀντὶ τοῦ κόρας κορώνας. παροτρύνοντες δ' ἔνιοί φασιν, ἐκκορεῖ κόρους κορώνας.* Cod. Gott. Heynio teste, *εὐθορεῖ, ἀντὶ τοῦ, κούρους κορώνας προτρέπονται. ἔνιοι φασί.* Ex iis, quae Boeckhius dicit, *προτρέποντες* scripturam codicis esse coniicias. Porro eumdem codicem *ἐκκόρει κόρει κορώνας* habere dicit Boeckhius, de qua re nihil Heynius. Ipse Boeckhius totum locum sic refinxit, *κὰν τῷ βίῳ προτρέποντες ἔνιοί φασιν· ἐκκόρει,*

κόρει κορώνας, quod interpretatur: *exorna, orna cornicem.* Vt possit haec in his verbis esse sententia, quod fieri non potest, quis umquam tradidit, exornatam esse in nuptiis cornicem? Apud Horapollinem cap. 8. pag. 14. ubi de cornicum amore coniugali dictum erat, ita scriptum legitur: *τῆς δὲ τοιαύτης αὐτῶν ὁμονοίας χάριν μέχρι νῦν οἱ Ἕλληνες ἐν τοῖς γάμοις, ἐκκορὶ, κορὶ, κορώνην λέγουσι ἀγνοοῦντες.* Attulit haec verba Boeckhius, sed non emendavit, etsi ipsa sibi repugnant. Scripserat auctor *λέγουσιν εὐνοοῦντες.* Aelianus H. A. III. 9. cuius verba non apposuit, ita scribit: *ἀκούω δὲ τοὺς πάλαι καὶ ἐν τοῖς γάμοις μετὰ τὸν ὑμέναιον τὴν κορώνην καλεῖν, σύνθημα ὁμονοίας τοῦτο τοῖς συνιοῦσιν ἐπὶ τῇ παιδοποιΐᾳ διδόντας.* Eximius hic locus est ad rem illustrandam, ex quo non hoc tantum discimus, post hymenaeum eo ipso tempore, quo sponsa devirginaretur, cuius rei significatio in verbo *ἐκκόρει* inest, cantionem illam cani solitam, sed in ea etiam invocatam esse boni ominis caussa cornicem. Vbi vero ulla invocatio cornicis in scriptura, quam Boeckhius excogitavit? Praebet vero eam scriptura codicis Med. apud Horapollinem, *κορώνη*. Quae quum ita sint, vix puto dubitari posse, quin scholiastes Pindari ita scripserit: *κἀν τῷ βίῳ, ὡςπερεὶ ἀντὶ τοῦ κούρους, κορώνας παροτρύνοντες* (sive mavis *προτρέποντες*) *ἔνιοί φασιν, ἐκκόρει κόρην, κορώνη*, i. e. *devirgina virginem, cornix* *). Eaque cantionis scriptura etiam apud Horapollinem restituenda. Quam haec rei, tempori, menti scriptorum, qui hunc morem tangunt, accommodata sint, non opus videtur, ut pluribus demonstremus. Qui fieri potuerit autem, ut *κορώνη* pro sponso nominaretur, ex Suida in v. *κορώνη* disci

---

*) *Ἐκκορεῖν*, quod proprie aliam significationem habet, usurpandum erat propter ambiguitatem, ut apud Aristophanem Thesm. 760. *τίς ἐξεκόρησέ σε; Διακορεῖν* enim non modo aperte obscenum, sed etiam ineptum fuisset. Aliter verba cantionis constituenda putat Welckerus p. 397.

poterit, eoque, cuius ille testimonio utitur, Artemidoro V. 65.

Sed redeamus ad Danaides. In ipsa partium alter- 10 catione bene convenissent accusatori hi versus apud Stobaeum Serm. XXXIX. p. 457. Grot., si eos in Danaidibus fuisse constaret:

οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα,
καὶ τὸν κακῶς πράσσοντα καὶ τοῦτον μένειν.

Secundum versum, quod alibi cum priore coniunctus citetur, addidisse se ait Grotius. Edd. Trinc. Tigur. Bas. neutrum habent. In Francofurtana p. 550. solus prior invenitur, Sophocli tributus. Sed in omnibus paullo ante scripti sunt hi duo:

οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον,
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

Qui in Trinc. et Tig. sine auctore, in Bas. ex Menandri Heautontimorumeno afferuntur, ubi Clericus p. 54. s. eos ad Aeschyli imitationem factos ait. Hoc vero multo ante dixerat Clemens Alex. Strom. VI. p. 260. et hic addit in Aeschyli fragmento alterum versum. De formula *οἴκοι μένειν* multa Toupius ad Suid. T. III. p. 23.

Defendendae autem caedi aptissimus est alius nobilis versus Aeschyli,

ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός,

ut non inepte coniicere videatur, qui eum in hac fabula positum fuisse putet. Affertur a Stobaeo Serm. IX. p. 223. ed. Schow. 61. Grot. a scholiasta Veneto ad Iliad. *β.* 114. ab Eustathio p. 188, 42. (142, 53. Bas.) et a Sexto in Disputatt. antiscept. in Galii Opusc. mythol. p. 720. sive in Fabricii Bibl. Gr. ed. priore T. XII. p. 626. ubi ei statim quasi continuus subiicitur hic versus,

ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπου τιμᾷ θεός,

Legitur *ἔσθ' ὅποι τιμῇ*, Dorice, etiam in cod. Monac. apud Thierschium in Act. Monac. T. I. P. II. p. 206. 11 cui ea scriptura fraudem fecit, ut *ἔσθ' ὅτ' ἐν τιμῇ θεῶν* scribendum putaret. Galius hos versus ex diversis tragoediis sumptos iudicat. Satius erat, opinor, dicere, non positos fuisse continuos.

Caussa stetisse Danaides, duplici argumento contenderim. Primum enim fieri non potuit, ut quas poeta in Supplicibus pias deorumque et legum reverentes introduxerat, easdem mox ut impias et sceleratas condemnari faceret. Itaque iam in Supplicibus providit, ut honestam et fugae et vero etiam caedis caussam haberent. Fugimus, inquiunt in ipso fabulae illius initio,

> *οὔτιν' ἐφ' αἵματι δημηλασίαν*
> *ψήφῳ πόλεως γνωσθεῖσαι,*
> *ἀλλ' αὐτογενῆ φυξανορίᾳ*
> *γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ τ'*
> *ὀνοταζόμεναι.*

Eademque in Prometheo indicata sunt v. 852.

> *πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντόπαις*
> *πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται,*
> *θηλύσπορος, φεύγουσα συγγενῆ γάμον*
> *ἀνεψιῶν· οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας,*
> *κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι,*
> *ἥξουσι θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους*
> *γάμους.*

Itaque eo potissimum se defendisse videntur, quod, nisi occidendis sponsis, non potuissent incesta connubia devitare. Simul autem ad movendos iudices generis sui mentionem facere debebant, atque eos orare, ut se origine Argivas esse reputarent. Quamquam non contenderim, eo id loco factum esse, quem Strabo in mente habuit, quum V. 2, 1. p. 221. (338. C. ed. Alm. T. II. p. 128. ed. Tschuck.) de Pelasgis scripsit: *Αἰσχύλος δ' ἐκ τοῦ περὶ Μυκήνας Ἄργους φησὶν ἐν Ἱκέτισι καὶ*

Δαναΐσι τὸ γένος αὐτῶν. Multiplicem enim Pelasgorum mentionis opportunitatem haec tragoedia continere debuit. Male vero apud Strabonem legitur, *ἐν Ἱκέτισιν ἢ Δαναΐσι*, qua menda deceptus Stanleius in notis ad indicem fabularum Danaides et Supplices unam putavit eamdemque tragoediam esse. 12

Alterum argumentum, quo adducor, ut absolutas a iudicibus puellas credam, hoc est, quod aliter non potuisset Hypermnestra rea agi, quod tamen factum esse, arguit fragmentum ex oratione Veneris, de quo infra dicetur. Nam si damnatae essent caeterae, sponte consequebatur, non esse crimini obnoxiam Hypermnestram: absolutis autem, quae necaverant sponsos, non potuit culpa vacare ea, quae pepercerat, sed iudices eo se redactos videbant, ut, quum illas absolvissent, hanc, quae spreto patris mandato, amore sponsi incestum facere, quam iustam necem dare maluisset, condemnandam esse intelligerent.

In eius rei disceptatione ea exprompta esse argumenta credibile est, quae et culpam Hypermnestrae augere, et invidiam in Lynceum concitare viderentur. Et Hypermnestram quidem quum plerique virginem mansisse tradant, ut Apollodorus, scholiastes Homeri ad Iliad. δ. 171. scholiastes Pindari ad Nem. X. 10. atque Ovidius, contrarium dicit scholiastes Euripidis ad Hec. 869. ed. Matth. *μία δὲ τούτων μόνη ἡ Ὑπερμνήστρα ἐφείσατο τοῦ Λυγκέως, ἀπὸ τῆς μίξεως διάθεσιν ἐσχηκυῖα πρὸς αὐτόν.* Hanc sententiam probasse videtur Aeschylus, ut qui Hypermnestram non tam miseratione Lyncei, quam amore a caede cohibitam finxerit. Id ex his in Prometheo v. 864. intelligitur:

> *μίαν δὲ παίδων ἵμερος θέλξει, τὸ μὴ*
> *κτεῖναι σύνευνον, ἀλλ' ἀπαμβλυνθήσεται*
> *γνώμην, δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται,*
> *κλύειν ἄναλκις μᾶλλον ἢ μιαιφόνος.*

Ita misericordiae excusatio vertit in crimen incesti. Ad Lynceum autem quod attinet, verisimile est, admonitos esse a Danao iudices, metuendum eum fore, si absolvatur. Et diserte Pausanias II. 19, 6. de Hypermnestra: *ταύτην γὰρ ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ*
13 *Λυγκέως οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἡγούμενος.* Et perbene convenirent eiusmodi admonitioni versus, qui apud Aristophanem in Ranis 1478. (1431. Br.) Suidam in *οὐ χρή* et in *σκύμνος*, Plutarchum Alcib. c. 16. leguntur:

> *οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·*
> *μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν·*
> *ἢν δ' ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν* *).

Male apud Aristophanem et Suidam legitur *ἐκτραφῇ.* Hi versus nescio quo casu vertigine quadam oculos virorum doctorum obscuraverint. Pronunciantur apud Aristophanem ab Aeschylo, sed Aeschyli esse, nec scholiastes, nec Suidas, nec Plutarchus, nec, qui sententiam loci Aristophanei retulit, Valerius Maximus VII. 2. dicit. Gatakerus tamen Misc. p. 504. C. primum versum quasi certo Aeschyleum a Plutarcho citari ait, augendumque dicit alteris duobus ex Aristophane. At hos duos habet Plutarchus ut Aristophanis, primum autem omittit. Idem autem Gatakerus p. 858. primum versum, quem hic quoque Aeschylo tribuit, ab Aristophane cum alteris duobus tamquam alius cuiuspiam versibus componi refert: de qua re nihil apud Aristophanem. Brunckius, ira occaecatus, medium versum trium codicum auctoritate, quibus accedere videtur etiam Venetus, optimus liber, delevit, omissum eum etiam a Plutarcho clamans, qui, ut diximus, non hunc, sed primum omittit. Ravennas servat medium, satis illum et Plutarchi, et binis Suidae locis munitum.

---

*) Confer de his versibus Süvernium in dissertatione Germanice scripta de Aristophanis Nubibus p. 47. et G. Dindorfium in praefatione ad Aeschylum p. 9.

Nec, si quibus in codicibus deest, alia omissionis caussa fuit, quam aberratio librariorum propter repetitionem postremorum verborum. Est enim, si quisquam, genuinus, modo Baccho tribuatur, more suo inepte interloquenti, quod iam ex antiquis quidam intellexerunt faciendum esse. Itaque iam de primo tantum atque ultimo quaestio est, utrum Aeschyli sint, an Aristophanis. Plutarchi citatio nihil ad rem. Hic primum versum omisit, quia quid Aristophanes de Alcibiade sensisset, dicere volebat. Si testibus agendum, Aristophanes videri debet hos versus ad exemplum dictionis Aeschyleae composuisse, quoniam hunc loquentem faciebat. Nemo enim diserte scribit, ab ipso Aeschylo factos esse. Sed quum 14 et fugere quaedam scholiastas potuerint, neque integros habeamus veterum commentarios, versusque ipsi tales sint, quales ab Aeschylo alicubi positos veri simillimum sit, praesertim quum eadem sententia in Agamemnone v. 726. seqq. inveniatur: facile credam, ipsius poetae verbis usum esse Aristophanem. Non tamen aut hoc contendam, aut in Danaidibus eos fuisse scriptos: sed satis habeo dicere, aptos huic fabulae fuisse. Idem sentio de alio Aeschyli versu, qui non minus accommodatus foret conflandae in Lynceum invidiae:

δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Vt Aeschyli versum afferunt schol. Aristoph. ad Nub. 1128. schol. cod. Med. ad Theocr. Adoniaz. 48. in Wartoni Emendd. editorum schol. T. I. p. 295. et inde apud Valck. ad Adoniaz. p. 356. et sine nomine auctoris Steph. Byz. in v. *Αἴγυπτος*, Apostolius VI. 94. Zenob. III. 37. apud quem *πλέκοιντο μηχανὰς* scriptum, Diogenianus IV. 35. ubi *πλέκειν τὸ*, Suidas in hoc ipso proverbio, ubi edd. Mediol. Ald. *τοι*, sed Bas. Port. Kust. Schottus *τὰς*, et sic Schottus etiam ad Adag. p. 340. et alibi, atque Kusterus ad Thesm. 929. quam adnotationem quum Brunckius suis inseruisset, in addendis ad v. 922. monuit, versum Aeschyli esse, legendumque *τοι*.

In illo discrimine quum essent iudices, ut, absolutis caeteris Danai filiabus, Hypermnestram non possent non condemnare, dei alicuius interventu opus erat, ut servaretur puella, cui pro crimine erant amor et misericordia. Et quis deus potior inveniri poterat, qui huius caussae patrocinium susciperet, quam ipsa amoris mater Venus? Hanc ergo poeta introduxit, defendique ab ea Hypermnestram fecit. Neque enim alio tendere potuit oratio, qua illa suam potentiam declarans, monensque, quid amor valeret, ad mitiorem iudices videtur traduxisse sententiam. Quod eximie confirmatur eo, quod Pausanias, cuius verba supra posuimus, signum Veneris victricis ab Hypermnestra dicatum scribit. Partem orationis illius
15 servavit Athenaeus XIII. p. 600. A. *καὶ ὁ σεμνότατος δ' Αἰσχύλος ἐν ταῖς Δαναΐσιν αὐτὴν παράγει τὴν Ἀφροδίτην λέγουσαν·*

ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν,
ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάοντος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
5 *μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον·*
δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου
τέλειός ἐστι· τῶνδ' ἐγὼ παραίτιος.

Ita scribendi hi versus. Affert eos, omissis duobus postremis, etiam Eustathius p. 978, 24. (967, 9. Bas.) sed deceptus ab epitome, quum ibi paullo ante Aeschyli Alexandrini mentio facta esset, ita scribit: *καί τις Αἰσχύλος, οὐχ ὁ ἐξ Ἀθηνῶν, ἀλλ' Ἀλεξανδρεύς, ὡς ἡ κατὰ τὸν Ἀθήναιον ἱστορία δηλοῖ, φησίν.* Versu 1. Grotius in Excerptis p. 45. et ex eo Gatakerus ad Antonin. p. 303. *τρῆσαι.* Versu 3. epitome Athenaei et Eustathius *εὐνάοντος*, sed in epitome ad tertiam syllabam suprascriptum *ε*. Grotius *εὐνοοῦντος*. Valckenarius in Diatrib. de Fr. Eurip. p. 53. sed dubitanter, *εὐρώεντος*. Quin Bothius *εὐνάζοντος*. Recte se habet *εὐνάοντος*, verbo ad exemplum Homeri facto Od. *ν*. 109.

ἐν δ' ὕδατ' ἀενάοντα.

Versu 4. libri *ἔκυσε.* Wakefieldius ad Lucret. I. 251. male *ἔκυσσε*, quo errore etiam recentissimae epicorum editiones, nondum illae ita, ut in hac litterarum luce exspectari poterat, expolitae, *ὑποκυσσαμένη* praebent. *Κύειν* est *fecundare*, unde *κῦμα*, a grammaticis de fetu adnotatum, Aeschylus atque Euripides usurparunt, *κυεῖν* autem *parere.* Grotius *ἔαυσε*, qui, sive suo, sive typographi errore, *ἔλυσε* scriptum fuisse dicit, quod nusquam legitur nisi in ed. Stanleiana. Heathius *ἔδευσε*, et sic etiam Maltby ad Morell. p. 393. Valckenarius *ἔδυσε*, Ruhnkenius *ἔπλησε.* Placebant sibi olim viri docti in huiusmodi hariolationibus, et placent sibi adhuc nonnulli. Quando tandem nugari desinemus? Versus 6. et 7. omittit etiam epitome. Vulgo *δένδρων δέ τις ὥρα ἐκ.* Miramur 16 hodie, Grotium *δένδρων δέ θ' ὥρα ἐκ*, Stanleium *δένδρων δέ τις ὥρ' ἐκ*, Heathium *δένδρων δέ πως ὥρ' ἐκ* scribere potuisse. Bothius pro more, *δένδρων δὲ τίς ὅρος ἐκ.* Valckenarium, qui *δένδρων τ' ὀπώραν, ἣ 'κ* coniecit, speramus, si scivisset in cod. A. legi *δένδρων τις ὥρα δ' ἐκ* legi, non id, ut novissimum editorem Athenaei, in textum recepturum fuisse, sed illud, quod nos dedimus, repositurum. Euripides Herc. F. 790.

Πυθίου δενδρῶτι πέτρα.

Superest unum adhuc Danaidum fragmentum, cui si in eadem Veneris oratione locum fuisse coniiciemus, erunt fortasse, qui id audacius factum iudicent. Legitur apud Hesychium: *καθαίρομαι γῆρας. ἐκδύομαι. Αἰσχύλος Δαναΐσι.* Edd. vett. *Δανάῃ.* Codex *δαίσι.* Nomen fabulae recte restitutum puto. Verba primo adspectu senis esse videntur, iuvenescere se dicentis. Et putet quis forsitan Danaum, ubi absolvi se a iudicibus sensit, ita dicere. Vereor vero, ne non modo sententia illa parum digna sit viro gravi et sobrio, praesertim unam adhuc filiam ream acturo, sed etiam ne verbum non sit apte electum. Nam quum duobus modis accipi possit *καθαίρεσθαι γῆρας*,

uno, ut sit sordes senectutis deponere; altero, ut notet purum senii atque expertem fieri: prior illa significatio Satyris potius quam tragoediae convenit, altera autem, quae gravis est et accommodata tragico stilo, non quadrat in hominem senem. Quum autem non dubitandum videatur, quin Aeschylus posteriore significatione verba illa posuerit, consentaneum est, ut eum certe non hac forma, *καθαίρομαι*, dixisse statuamus. Nam licet grammatici, et in primis Hesychius, verba scriptorum fere ut apud eos scripta inveniebant, in commentarios suos intulerint, tamen neque semper id fecerunt, et interdum non recte facturi fuissent, ut hoc ipso loco Hesychius. Qui, si Aeschylus, ut coniicio, *καθαίρεται* scripserat, aut integrum poetae locum debuit adscribere, aut, si more suo brevitati studere vellet, prima persona uti: aliter enim 17 nemo non *γῆρας* pro nominativo habuisset. Iam sume tale quid scripsisse poetam:

καθαίρεται δὲ γῆρας ἀνθρώπων φύσις,

et habebis orationem et Aeschylo dignissimam, et convenientissimam personae Veneris, potentiam suam declarantis. Quod si talis, qualem coniecimus, fuit Aeschyli sententia, nihil impedit, quin eam statim illis versibus, quos Athenaeus habet, subiectam fuisse putemus, si quidem etiam Euripides apud Stobaeum Ecl. phys. I. 10. in notissimis versibus, quibus illum Aeschyli locum imitatus est, eamdem sententiam, sed more suo tenuius expressam, addidit.

ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Gravius Statius Silv. I. 2, 187.

Sic rerum series, mundique revertitur aetas.

ORATIO
IN
FRIDERICI AVGVSTI
REGIS AVGVSTISSIMI
SOLEMNIBVS
REGNI
SEMISAECVLARIBVS
D. XX. SEPT. A. CIƆIƆCCCXVIII
HABITA
IN
ACADEMIA LIPSIENSI.

PRINCEPS SERENISSIME,
PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
GRAVISSIMI PROCERES,
CIVES CARISSIMI.

Quod a vetustissima memoria non contigit huic populo, 3
ut, quum multos haberet principes, quos quam diutissime regnare cuperet, aliquem eorum per dimidiatum saeculum rebus suis videret praeesse: id in eo gaudemus Rege evenisse, quem et datum nobis, et per tam longum annorum spatium conservatum esse, tantum numeramus dei optimi maximi beneficium, ut eo nullum nobis tribui maius potuisse intelligamus. Quae duae res enim omnem ut cuiusvis hominis, ita etiam regis laudem continent, ut et vir bonus sit, et utilem se praebeat aliis, eae in nostro Rege, Fri-

derico Avgvsto, tam sunt eximiae, ut neque virtute quisquam illo venerabilior, neque ad patriae utilitatem, qui praeclarius de ea mereri potuerit, inveniri queat. Nam Ipsum si spectamus, summa in Eo est pietas, incorrupta 4 fides, aequitatis amantissima moderatio, maxima sapientia, invicta fortitudo, inexpugnabilis constantia, iustitia autem tanta, ut Ei merito iam ab aequalibus Iusti cognomine appellari contigerit: ad ea autem, quae in patriae utilitatem fecit, si mentem convertimus, quaqua circumspiciamus, nulla pars est publicae administrationis, cui non optime esse et sapientissime provisum videamus; nulla classis civium, quae non, quamvis adversissimas temporum vicissitudines experta, salvam se ac felicem esse fateatur; nullum genus negotiorum aut studiorum, quod non ita colatur ac floreat, ut non modo non inferior sit Saxonia caeteris Germaniae civitatibus, sed eas longe antecellat. Amoeni ubique laetissima frugum ubertate agri; nitentes aedibus urbes pagique; florentissima mercaturae nullis impeditae vexationibus celebritas; ferventissimae omnis generis artes atque opificia; studiis litterarum summus honor, summaque etiam apud exteros existimatio. Quae nobis reputantibus tanta suppetit tamque larga gaudendi gratulandique materia, ut neque unde initium fieri deceat, neque ubi finem simus inventuri, facile perspiciamus. Quod si unamquamque civium classem ea potissimum animo repetere consentaneum est, quae ipsi his quinquaginta annis per optimi Regis providentiam prospera obtigerunt: nos illud forsitan in primis decere videatur, ut, qua liberali-5 tate ac munificentia Rex noster, fautor summus hominum litteratorum, atque Ipse optimarum scientia doctrinarum egregie formatus, studia litterarum, eosque, qui vel docendis vel discendis litteris operam dant, adiuverit, praemiisque et honoribus affecerit, grata piaque memoria recolamus. Ac profecto, sive quis scholas respiciat, doctissimis magistris instructas, discentium multitudine frequentes, disciplinae strenuitate commendabiles, victus praebitione pauperibus commodas; sive hanc Academiam intueatur, institutis salubribus ornatissimam, doctorum claritate

per omnem terrarum orbem celebratissimam, iuvenum literis operam navantium non numero solum, sed etiam diligentia et bonis moribus laudatissimam, stipendiorum denique et praemiorum multitudine ac magnitudine ad adiuvanda studia opportunissimam, cui gemina diu fuit erepta nunc crudeli fato et sublata Viteberga, non poterit non gravissimo animo venerari eximiam REGIS curam atque industriam, qui, quae a maioribus praeclare instituta acceperat, non modo conservaverit integra atque illaesa, sed omnibus modis adiuverit, emendaverit, auxerit, atque ad summum studuerit floris fastigium adducere. Ad haec singula dicendo persequi quamquam et iucundissimum foret, neque ab huius diei solemnitate aut sanctitate huius templi alienum: tamen in communi universae patriae lae- 6 titia, quibus doctrinarum tractatione ad liberalem eruditionem evehi contigit, non se potius respicere, quam ad ea, quae maiora sunt, animum advertere, nec quid datum sit magis, quam a quo sit datum, considerare par est. Neque enim magnitudo acceptorum mater est verae laudis, sed eius, qui dederit, virtus; nec digne satis REGEM colat is, qui quot ab Eo et quanta acceperit beneficia commemoret, sed ille, qui quam magnum sit, dare illa, aestimare didicerit. Quamobrem nihil videtur esse, auditores, in quo rectius haec versari oratio possit, quam in eo, unde omnis illa admiratio, quae iure meritoque REGI nostro debetur, tamquam ex fonte suo promanat, magnitudinem animi dico eam, qua Ille esse optimus, quam videri maluit. Quae animi magnitudo quemadmodum quondam, quum in Amphiarao, uno ex septem ducibus Thebanis, laudata esset ab Aeschylo poeta nobilissimis versibus, eaque fabula, in qua sunt illi versus, Athenis ageretur, universi populi Atheniensis iudicio in Aristide, iustissimo viro, agnita est: ita haec hominum aetas ecquem habet, quem rectius cum Aristide comparari, ac magis illa esse animi magnitudine conspicuum, quam REGEM nostrum, consentiat?

Est autem haec quum omnino perrara virtus, auditores, tum in regibus eo rarior, eoque pluris facienda, quo 7

plura sunt, quae hos ad quamvis aliam potius, quam hanc laudem concupiscendam invitent. Considerate enim hanc omnem regnandi imperandique rationem, quam ea hodie sit alia, atque antiquis temporibus fuit. Tunc robur et fortitudo faciebat reges, quorum officium in eo erat positum, ut duces belli essent, caeterisque exemplum virtutis praeirent. Fortitudo quum et auctoritatem et opes peperisset, iuris dicundi et tributa imperandi potestas accessit. Hinc filii regum, victu lautiore usi, atque a pueritia armis tractandis adsueti, facile ipsi quoque, ut patres eorum, quum corporis viribus ac fortitudine, tum omnino maiore quodam cultu supra vulgus eminebant. Ita hereditaria facta dignitas regia, quamdiu fortitudo prima virtutum habebatur, tuebatur certe regna, ut, si non a maioribus accepta fuissent, recte tamen tribui his, qui ea habebant, potuisse viderentur. Mutatis vero paullatim moribus, quum animi intelligentiae ingeniique praestantiae maior, quam manuum roboris honos esse coepisset, eruditioque in omnem populum diffunderetur, emolliri magis magisque atque enervari reges, populus autem corroborari et altiores spiritus sumere, discrimenque, quod inter utrosque fuerat, sensim deleri, ac postremo nonnumquam in contrarium verti. Accedebat, quod quae simplicissimae
8 olim fuerant rerum et publicarum et privatarum rationes, magis magisque implicari et intricari coeptae sunt, ut iam non ab uno, sed a multis, non manu imperantis, sed per alios, non ore, sed scripto peragerentur. Vnde regibus iubendi praerogativa, rerum omnium facillima, mansit: qua, quibus generosior indoles est, gloriae cupiditate incensi, fere ad bella gerenda utuntur, ut victoriis scilicet nobiles aut regni finibus promotis, immortale sibi nomen pariant. Quae ipsa facillima hodie ad adipiscendum laus est, si quidem quod rex iussit, alii autem exsequuntur, adulatio ipsi adscribit regi, ducemque et imperatorem et heroem vocat, etiam qui nunquam in acie fuerit conspectus. Haec belligerandi cupiditas, mire illa sollers in caussis bellorum excogitandis, iniuriarumque turpitudinem praetextis honestis quibusdam nominibus callide dissimu-

lans, quo regibus, quod in privatis gravi supplicio punitur, non mode impune, sed etiam cum laude licitum esset, postremo certissimum invenit belli inferendi praesidium, aequilibrium civitatum commenta, quae apertissima confessio est, nullam civitatibus inter ipsas intercedere sanctitatem iuris, sed, omnibus ad iniuriam pronis, solo eas mutuo metu cohiberi. Scilicet populorum hanc esse ad iniurias propensionem simulant, quae non ipsorum est popu- 9 lorum, sed illorum, qui imperant populis, laedere quam laedi tutius arbitrantium. At inter cultas nationes non minus parva regna tuta sunt, quam quae plurimum terrae obtinent, maximaque abundant hominum multitudine. Etenim privatos, quorum semper aliqui rudes sunt et feroces, facile ad iniuriam vel levis offensa, nisi metu poenae coerceantur, exstimulat: populos autem, nisi qui iis praesunt, bellum geri velint, aegerrime arma cum pacis tranquillitate commutare videmus: qui quum id faciunt ipsi et sponte sua, non in alios populos, sed in suos ipsorum tyrannos, ut ab his, non ab illis laesi, insurgunt. Ex quo apertum est, hunc demum bonum esse et iustum et utilem regem, qui alienus ab illa gloriae cupiditate, quae laedendis aliis gentibus paritur, eum populum, quem ipse regendum acceperit, quantum possit felicem reddere studeat. Esto enim, ut quem multae pugnatae pugnae, fusi fugatique fortissimi exercitus, statuta insignia tropaea, captae magnae urbes, debellatae clarissimae gentes, abducti numerosi greges captivorum, praedae ingentes thesauri domum avecti clarum notumque reddant posteris: quis clarior his rebus omnibus fuit Alexandro, rege Macedonum, et quis tamen est, in quo magis appareat, quanta stultitia sit, unum hominem sibi totum velle terrarum or- 10 bem subiicere? quod ut perficiat, quid aliud quam parte infinitesima immensi huius universi subacta una cum immemorabili hoc, in quo vivimus, pulvisculo, multo ipse immemorabilior, occidet? Sed Alexandrum tamen ridemus magis, quam ut ei indignemur, quod generosum adolescentem non tamen avaritia aut alia turpis cupiditas, sed solus gloriae immoderatus amor ducebat: quod contra ab-

ominamur, quibus gloria serva est turpitudinis. Quanto vero maior, quanto excelsior, omninoque quam deo digna illa virtus est, quae prosperitate populis et felicitate paranda augendaque censetur. At enim illa splendoris expers, modesta solet ac pene humilis incedere. Non enim factis et rebus gestis conspicua esse amat, sed omittendo et non faciendo, quod posset quis facere, contenta est; non fulminis instar alte emicat, mentesque fulgore suo praestringit, sed in occulto manens etiam ignorari se patitur; non magnis repentino impetu evertendis celerem famam consequitur, sed lente paullatimque condendis, quae mansura sint, tarde seroque cognoscitur; postremo non ancipitia aequalium admirationis captat, sed vel reprehendi se ab his et contemni aequo animo ferens, incorruptum exspectat po-
11 steritatis iudicium. Atque hac laude, auditores, quae sola vera est et immortalis laus, quis est non modo nostrum, sed quisquis etiam exterorum recta mente utitur, qui Regem nostrum, Fridericvm Avgvstvm, si quemquam umquam regem, non maxime esse insignem fateatur? Quis est, qui animum eius ab omni iniusta cupiditate alienum, nullis neque regni incrementorum, neque gloriae inanis illecebris captum, in secundis pariter atque adversis temporibus, quin in atrocissimo infortunio constantem atque immotum, parique semper et moderatione et fortitudine eadem via incedentem, non et admiretur maxime, et summa veneratione suspiciat? Considerate haec singula, cives, et recolite grato animo memoriam longi huius temporis, quo nobis tam eximio Rege frui contigit. Nulla pars est officiorum, nulla temporum vicissitudo, quae non talem eum habuerit, qualem maxime civitas optare posset. Acceperat ille regnum a maioribus ita aere alieno obrutum, ut, quomodo id exsolvi posset sine insigni et civium iniuria et fidei publicae detrimento, vix aliqua ratio appareret. Nihilominus tanta est hanc tam difficilem rem aggressus sapientia, ut et certissima, et, quoad licebat, etiam brevissima via istud aes alienum incredibiliter minueretur, et minueretur qui-
12 dem non solum cum minima civium molestia, sed ita etiam, ut fides publica non labefactaretur, sed firma maneret, nec

firma tantum maneret, sed etiam augeretur, maiorque evaderet, quam ulla alia in parte Germaniae. Quin ne recentissimis quidem temporibus, quum vastata et exhausta Saxonia a sociis pariter atque ab hostibus, atque insuper magna et in primis ad reditus uberi parte imminuta, ad summam esset miseriam redacta, novumque et illud ingens contractum esset aes alienum, aut civium dura fuit conditio, aut de fide civitatis quidquam detractum est, immo non minus integra stant omnia, quam si diuturna pace ac prosperrima a multis annis fortuna essemus usi. Nimirum duabus ille hoc artibus effecit, una, quod fidem in rebus omnibus constantissime servavit, ita ut, quod Saxonum Rex promisisset, certo ratum fore et cives et exteri confiderent; altera quod bene intellexerat, quibus limitibus se continere deberet officium principis, si non modo salvam esse rempublicam, sed etiam opibus et felicitate civium florere vellet. Qui si quisquam alius, id optime singulis factis suis ostendit, non civitatem principi servire, sed principem civitatis caussa esse constitutum. Quod etsi hodie quidem nemo est qui dubium esse censeat, tamen ipsa civitatis administratio ita potest instituta esse, ut, etiam si verbis contrarium prae se ferat, re tamen princi- 13 pem dominum faciat civium, ad quem sustentandum, ad cuius libidines explendas, ad cuius potentiam augendam opes viresque civium conferri atque absumi, civesque ipsos non sua ipsorum caussa, sed ut principi satis facere possint, prosperis rebus uti velit. Atqui plurimum interest, cuius necessitatibus inserviat civitas, suisne, an principis: quia, si suis, non potest non ad maximum florem evehi; sin principis, quid aliud, quam, quum omnia incerta, fluxa, mutabilia sint, serius ocius gravi vicissitudine e specioso, sed inani splendore, labantibus fundamentis, concidet atque corruet? qualia quum alia exstiterunt, tum nostra memoria illustrissimum exemplum fractae Gallorum immensae potentiae. Quam longe alia mente Saxoniae res administravit Rex noster, qui praeterquam quod ad dignitatem domus regiae tuendam necessarium esset, nihil sibi dari laborarique, non suas opes, suam potentiam ex molestia,

miseria, sudore, sanguine civium incrementum capere, sed potius ipse, quo civibus bene esset, assidue providere curare, laborare voluit; qui non inertiae, luxuriae, libidinibus, nugis se dedere regium existimavit, sed, gnarus peritusque rerum gerendarum, ipse summam rerum moderari, iustitiam strenue tueri, instituta salubria sustentare, legibus sapientissimis libertatem civium augere potius quam
14 coercere, indefessaque cura, quod prodesse civibus posset, effectum dare; tempus denique a reipublicae administratione vacuum honestissimis litterarum studiis impendere, hoc rege dignum officium esse iudicavit. Non habuit autem satis, curam rebus gerendis atque gubernandis assiduam adhibere, sed egit etiam illud, ut et ea curaret, quae curari ab administratore rei publicae par est, et eo modo, quo curari debent. Quorum illud, vitam suam rei publicae totam dicare, valde laudabile est, meritoque praeclarum propensi in cives animi voluntatisque documentum habetur: hoc vero, recte id facere, prudentiae est et sapientiae, sine qua studium etiam diligentissimum inutile, quin nonunquam etiam noxium est. Et Rex quidem noster, auditores, qua sapientia rempublicam gesserit, experientia nos docuit: qui in hoc quoque genere, ut in caeteris rebus omnibus, non quid dicerent ii, qui sibi omnia rectius quam alii perspicere videntur, sed quid vere bonum atque utile esset spectans, principemque non dominum esse civitatis, sed moderatorem intelligens, hoc potissimum egit, ut quae impedimento esse rectis honestisque civium studiis viderentur, removeret aut arceret, non etiam ut iuberet multa fieri atque
15 imperaret. Quo factum est, ut libertate, si quisquam alius Germaniae populus, Saxones maxima gaudeant. Nam quid cuique negotio tractando utile et accommodatum sit, ii tantum ipsi, qui id nogotium tractant, optime perspiciunt: quibus imperare, quid facere debeant, nihil est nisi et negotium ipsum impedire, et qui ei operam dant, servorum instar habere. Illud tantum principis est, cavere, ne abutatur quis libertate sua, aut alii aliis officiant. Quod bene perspectum habens Rex noster, esse liberalis, cives liberos habens, quam liberalitatem, quae nulla esset, ia-

ctare, civibus servis, maluit. Quae Eius virtus quoniam in non faciendo posita est, apud indoctam multitudinem in obscuro latet: sed qui sapiunt, tanto eam magis venerantur, quod aliena ab omni laudis ambitione, omnium maxime hunc, quo gaudemus, florentissimum civitatis statum produxit. Duobus vel tribus utar, quae maxime in promptu sunt, exemplis. Nihil tam multum ad opulentiam civitatum artiumque cultus conferre, quam mercaturae negotia, inter omnes constat. Quae quo magis libera sunt vectigalium exactione, caeterisque, quibus hic illic obnoxia sunt impeditionibus et vexationibus, eo acrius fervent, eo felicius exercentur, eo plus inde in universam civitatem emolumenti et prosperitatis diffunditur. Ac videte Saxoniam, regionem minime amplam, nullo mari conterminam, 16 nullosque portus habentem, non nisi uno amne navigabili divisam, quantopere non floreat solum mercatorum mercimoniorumque celebritate, sed superet etiam longe civitates alias, omnibus mercaturae opportunitatibus instructissimas, eo, quod libertas apud nos huic negotiorum generi summa non verbis, sed re concessa est. Deinde quid litterarum studia dicam, quibus ut semper excelluit, ita nunc maxime excellit patria nostra, sic, ut quum omnes etiam infimi loci cives multo sint quam in aliis Germaniae partibus cultiores, tum eminentium in omni genere doctrinae hominum, eorumque non aliunde accersitorum, sed apud nos natorum atque educatorum, ea et copia sit et claritas, ut non modo vicinae gentes, sed etiam remotissimae ab nobis sibi artium doctores mitti rogent, litterarumque lumen e Saxonia per omnem terrarum orbem dispergi videamus. Atqui huius quoque rei haec maxima est et potissima caussa, quod litterarum doctrinarumque tractatio ipsorum, qui eas tractant, arbitrio iudicioque permissa est, neque aut quomodo litteris operam dare debeant, iis praescribitur, aut alia imponuntur a studiis litterarum alienissima, ac tempus, otium, et animi alacritatem eripientia negotia, sed qui navam atque utilem litteris operam praestiterint, quacumque id ip- 17 sis ratione visum fuerit, ad munera evehuntur, praemiisque et honoribus excitantur atque ornantur. Eadem mo-

deratione REX noster et circa sacra et in ordinibus ad comitia convocandis usus est: quumque everso ac deleto pristino imperii Germanici statu e quorumdam opinione nihil obstaret, quin, si vellet, et comitiorum morem abrogaret, et Protestantium atque Catholicorum iura rationesque confunderet, nihil istorum fecit, sed, ut fas erat, et comitiorum ius salvum servavit, cum liberis civibus de republica consultare, quam imperare servis malens, neque sacrorum religiones et quo quique modo deum colendum crederent, ab rege curandum esse, sed hoc regis esse iudicavit, iura, quae quique haberent, ut sancta atque illaesa starent, efficere. Ita REX noster, libertatem civibus negotiisque eorum summam concedens, dum non fecit id, quod facere regem non convenit, illud, quod est regis officium, fecit.

Atque ex hac ipsa re etiam illud consequi vidimus, ut eo modo, quo deceret, faceret officium suum. Est enim quaedam quasi iuvenilis regnandi ratio, ex laudabili illa fortasse voluntate orta, sed inconsulta et parum prudens, quae, nihil rerum humanarum ab omni parte perfectum esse videns, dum omnia, quae vitiosa videntur, simul emendare cupit, semper novis rebus studet, leges legi-
18 bus, instituta institutis cumulans, tentans omnia, tentataque rursum relinquens, et quae modo constituta erant, identidem mutans ac refingens: unde quid aliud potest, quam inconstantia quaedam, ac denique ingens rerum omnium confusio ac perturbatio nasci, quae tanto maior est ac perniciosior, quum non ipse princeps, sed nomine eius aliam civitatis partem alii, suo quisque arbitratu, et inter se dissidentes ac repugnantia iubentes, administrant. Non istam nos nostro in REGE, cives, levitatem deprehendimus: qui non solum, quod Ipse cunctis rebus praeest, declinavit repugnantiam illam decretorum, sed etiam, quod Se cautissimum in novando gessit, omnia illa et incommoda et damna evitavit, quae cum ista novandi libidine coniuncta sunt. Atque hac quoque in re iure admiramur simul et sapientiam Eius, et animi magnitudinem, qui dum illud efficeret, quod bonum atque utile cognovisset, sprevit inanem gloriam, quam novis rebus facillime licebat

adipisci, maluitque vel reprehendi a quibusdam, quod nimis tenax veterum institutorum esset. Etenim mutare quid facillimum est; difficillimum vero, quoniam nihil in civitate seorsum constat, sed omnia omnibus cohaerent et veluti concreta sunt, ita mutare, ut quis plus corrigat, quam corrumpat; plus condat, quam evertat. Quod Ille probe intelligens, periti medici 19 instar, non urendo et secando etiam sincera laedere, sed lente paullatimque adhibenda medela, certius, quam celerius; in universae civitatis utilitatem, quam in partium alius commodum, alius detrimentum; in omne aevum, quam in aliquot annos mensesve prodesse maluit. Sed quid haec memoro, auditores? Maiora habemus, multoque illustriora, quae Ille dedit suae animi magnitudinis documenta. Nonne Hic ante hos septem et viginti annos regnum Poloniae, ultro Ipsi oblatum, detrectavit? Nonne, quum certatim principes Germaniae Gallorum tyranni favorem et clementiam ambirent, aliique alias sibi provincias dari gauderent, propemodum solus et dignitatem suam conservavit, et ditescere discerpto imperio Germanico, cui non semel Caesaris vice cum laude praefuisset, a Se alienum iudicavit? Nonne Ille neque regis nomen, neque ducatum Varsoviae, nisi coactus et tum suscepit, quum per Germanicorum principum discordiam Gallus in Germania tantum non nomen imperatoris haberet? Quo factum, ut ipse ille iuris omnis contemptor, qui contumeliosissime regibus insultare consueverat, Hunc tamen attrectare non sit ausus. Tanta est enim verae virtutis maiestas, ut etiam quibus nihil aliud sanctum est, violare eam vereantur. Quid? an illa commemorem tempora, quibus nihil nec nobis, neque Ipsi innocentissimo Regi tristius potuit atque acerbius evenire? etsi nulla re 20 magis atque apertius, quam illa sorte cum dignitate perferenda, quanta Eius fortitudo, quanta constantia, quanta animi magnitudo atque excelsitas esset, cognovimus. Absit vero, ut hunc faustissimum diem illorum recordatione fuscemus, quorum speramus non esse umquam posthac similia visuram Germaniam, praesertim non modo

pace restituta firmataque concordia, sed nova etiam sancita et gravissima talis religione foederis, quale non exstitit antehac ulla hominum memoria. Illud vero reputate atque in mentem revocate, ut reversus in patriam, et, quemadmodum meruerat, tanta cum exsultatione a civibus suis exceptus, quanta nulla unquam alibi audita fuit, non propter amissa demittens animum, sed relictis tanto diligentiorem curam impendens, nihil aliud per totum illud tempus quam patriae crudelissime discerptae vulnera sanare, tantarumque, quibus afflicta iacebat, cladium oblivionem adducere studuerit: id quod eo fecit successu, ut pene incredibile sit, regionem tot proeliis vastatam, a tantis exercitibus exhaustam, tot imperatis tributis enervatam, fertilissimis denique provinciis spoliatam non modo salvam ex tam immensis malis emersisse, sed omni genere prosperitatis florentissimam conspici. Talem igitur, tamque eximium Regem quis est nostrum, cives, qui non 21 divino nobis beneficio datum, divino beneficio per integrum dimidium saeculi conservatum, sibi, Saxoniae, Germaniae gratuletur? qui non tanta Eius merita, tamque excelsam virtutem grata memoria recordari sanctissimum habeat pietatis officium? qui non ex intimo pectore vota pro Eius salute atque incolumitate faciat, Eumque quam diutissime Saxoniae praeesse etiam atque etiam exoptet? Nec soli nos, cives, quibus usque adhuc sub Eius regno beatis vivere contigit, hunc laetissimum diem celebramus: illi, illi quoque, non sine lacrimis, participes huius laetitiae sunt, qui multos per annos una nobiscum iustum, moderatum, lene, clemens Eius imperium experti, nunc divisi a nobis, non solum tacita recordatione Illius, quem tam diu patris instar beneficum habuerunt, sed etiam, ut audimus, publicis testificationibus, comprobante pios animorum sensus honesta Regis, cui nunc parent, liberalitate, Saxones se esse profitentur.

Quin tu quoque ades, Princeps Serenissime, praesentiaque tua ut insperatum, ita longe maximum adiicis laetitiae nostrae cumulum. Quid enim? Hoc ipso tempore, quo toti sumus in celebrandis Regis nostri benefi-

ciis, novum Ille hoc nobis, tantumque, quo non poterat maius, amoris sui documentum dedit, quum Te ad nos misit suae erga nos voluntatis testem atque interpretem. 22 Salve ergo, Serenissime Princeps, salve etiam atque etiam, qui spes es patriae, in quem omnium intuentur oculi, quem huius Regis nostri similem fore virtute, similem meritis, similem civium amore, fortuna prosperiore, auguramur atque exoptamus. Vides huius urbis, huius Academiae cives, quo studio, quo fervore animorum ad hunc diem celebrandum convenerint; vides, quam magnum, quam sanctum, quam divinum sit, regem esse bonum et amantem populi sui; vides, amor populi in regem quam dulce, quam certum, quam verum sit bene meritorum praemium. Haereat indelebilis in animo Tuo huius diei memoria; elucescat in Te quoque, magnum Patrui Tui exemplum sequuto, generosa Saxonicorum principum virtus; rata fiat, cui faustum haec dies omen ostendit, dulcissima spes nostra; maneat etiam haec Tua in nos, quam contigisse nobis grati laetamur, benignissima voluntas. Illi vero, cui Te ad nos misso summas agimus gratias, Regi nostro, eos Te huius urbis cives invenisse nuncia, qui fide et amore in Regem primi esse Saxonum, si possint, allaborent.

At, o deus optime maxime, qui res humanas aeternis legibus gubernas, te pia mente veneramur, gratesque tibi agimus, quod hunc nobis Regem dedisti, et ad hunc usque diem conservasti, qui pietate, iustitia, aequitate, 23 sapientia dignus gloria maiorum, utilis civibus, vere pater patriae, lumen aeternum nominis Saxonici, honos et immortale decus Germaniae non aequalium tantum vocibus celebratur, sed magis apud posteritatem, severam et incorruptam meritorum iudicem, inclarescet et nobilitabitur. Tu Eum, recte praeclareque factorum conscientia, civiumque unanimi gaudio et cumulatissimis gratulationibus exhilaratum, una cum dilectissima Conivge atque universa Domo Avgvsta huius faustissimae diei laetitia penitus atque ex animo perfrui concede; tu Eum diu adhuc

incolumem valentemque huïc populo, ardentissimis te precibus oranti, praeesse, praemiisque virtutis iis ornari iube, quibus adversorum omnis memoria oblitteretur ac deleatur; tu fac, ut videat hoc clarum ab antiquissimis temporibus nomen Saxonum sua virtute, suo exemplo in dies illustrius exsplendescere, quique mori pro Rege aut patria non recusant, primam numerare laudum, Saxones esse.

CARMEN SAECVLARE
ACADEMIAE LIPSIENSIS
IN SOLEMNIBVS
PER
MARTINVM LVTHERVM
EMENDATORVM
ANTE ANNOS CCC
SACRORVM
PRID. CAL. NOV. A. CIƆIƆCCCXVII.

Exacta cedunt saecula saeculis,
Lenteque longis doctior artibus
  Formas repertorum et vetustam
    Lapsa dies faciem refingit,

Donec calentes insolito viri
Fervore tritae linquere iter viae
  Audent, et enisi negatis
    Ardua tramitibus capessunt,

Victrixque nullis tacta timoribus
Virtus, quod orsa est, impigra perficit,
  Nec, si quid aeternum priores
    Crediderant, rapido veretur

Prosternere ictu: sicut ubi inferas
Rumpens cavernas ignipotens vapor
Radice nunc montes revulsa
Tartareas rapit in lacunas,

Nunc et profundo Tethyos ab salo
Non ante visas excitat insulas
Et regna longinquis ab oris
Innumero populo petenda.

Orbem regebant error et impotens
Servire caeco credulitas duci,
Mentesque torpentes pavore
Dira superstitio tenebat,

Clavis severae scilicet aucupans
Nutus, et ostensum arbitrium viae
Ducentis ad sedes beatas
Et placidam requiem piorum,

Vt quisque larga dona ferens manu
Placasset iram, sancte deus, tuam,
Immune vindictae nefando
Flagitium pretio rependens.

Sic imperator fraudis, amor lucri,
Audax scelestas texere machinas,
Et regis aeterni timendum
Irreverens temerare nomen,

Formidolosis relligionibus
Miscere cuncta, atque in vitium integram
Mutare virtutem, probroque
Reppererat meruisse laudem,

Quum vir vigenti robore pervicax,
Islebiae quem moenia viderant
 Nascentem, avaras unus arces
  Perculit, intrepidaque dextra

Edicta summi pontificis rogo
Delenda tradens, tollere liberam
 Cervicem ad ingentes triumphos
  Aligero properavit ausu:

Quos ipsa summi magna manus dei
Praenunciarat, sospitis ad latus
 Haerentem amicum inter procellas
  Fulmine percutiens corusco.

Hoc ille fidens omine nec trucem
Vultum minantis Caesaris, aut graves
 Expavit iras, nec tremendis
  Atria militibus repleta,

Maior periclis: quodque animo semel
Staret probatum, fortiter abnuit
 Mutare, testatus supremi
  Cuncta tuentem oculum Tonantis.

Pervicit alti flammea pectoris
Virtus, et omnis dum populus stupet,
 Insurgit experrecta somno,
  Fervidiorque volat cupido

Late sonantem vocis imaginem
Audire, quaqua didita veritas
 Dispellat atrae noctis umbras,
  Aetheriumque diem reducat.

Vrgent potentes consilio viri:
Vrget Melanchthon, atque operi sagax
Hortator adiutorque, leni
Mitigat alloquio tumentes.

Nec segnis adstat fortis eques, fero
Promptas duello proiiciens minas,
Vlricus, iracunda velox
Ore manuque vibrare tela.

Omnes in annos tu quoque posteris
Clarus fereris, pectore qui pio,
Calvine, defensor fidelis
Exstiteris monitorque recti,

Late patentem qua Rhodanus virens
Linquit Lemanum, et verticibus sacris
Vicina tangens Alpis astra
Luce nivis rosea refulget.

Nec tu peribis, sponte tua iugi
Eversor aspri, pro patria simul
Et pro fide, Zvingli, sacrata
Inclitus oppetiisse mortem,

Dicende cunctis plurime, sed magis
Illis, amoenas ad vitrei lacus
Oras sub antiquo beati
Qui Turico posuere sedem.

Teque, o per orbem qui Sapiens clues,
Regnator almae Saxoniae, satis
Quis laudet, aeterna decorum
Fronde caput, meritaque lauru?

Tu rebus ingens praesidium et bonus
Tutor, dolosas fortiter hostium
Arcere rixas promptus, idem
Perfugium et columen timenti

Vnde et videndi vera ducem piam,
Matremque purae lucis, et impigram
Virtutis altricem severae
Saxoniam datur orbe toto

Audire, iustis ac sapientibus
Regnata semper principibus loca,
Hei magna iam divulsa membra
Discidiis populo gemendis,

Qui nunc amica concelebrat prece
Sollemne sacrum et laetificum diem,
Felix paterni Regis aequis
Legibus imperioque miti,

Ni te careret, nobilis urbium,
Quae cara quondam Pieridum choro,
Nunc orba, Vitemberga, magni
Principium meritis Lutheri,

Coetu virorum per tria saecula
Haerede laudis sedibus a sacris
Pulso, relictum triste moeres
Opprobrium, taciturna templa.

Sic fata mutant: nunc mala; mox erit,
Vt leniorem spiritus auram agat.
Tu sola, virtus, firma temnis
Vim metuisse ruentis aevi.

Hinc et Luthero saecla per omnia
Stabunt honores, qui refugam prius
Terris relictis veritatem
E superis revocavit oris,

Ac nosse summi iussa dedit dei,
Et corda diris relligionibus
Exsolvit, ardentem diserto
Strenuus ore facem ministrans:

Qualis Prometheus, Iapeti genus,
Duram misertus sortem hominum, cava
Narthece conclusisse ademptum
Caelitibus memoratur ignem,

Gentique fictae de fragili luto
Donasse, noctis diffugium nigrae,
Brumaeque solamen rigentis,
Auxiliumque potens laborum:

Quo iuta vitam vis animi cata,
Sollers repertrix multiplicis viae,
Formavit agrestem citatim
Artibus ingenuoque cultu.

FRIDERICO AVGVSTO

REGI

IN

SOLEMNIBVS

REGNI

SEMISAECVLARIBVS

D. XX. SEPT. A. CIↃIↃCCCXVIII.

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Nunc insolentes carminibus modos,
O magna passi, discite, Saxones,
Aptare, mutatisque chordis
Laetificam celebrate lucem.

Non ulla nobis candidior dies
Emersit undis Tethyos, aut magis
Beavit exoptata multis
Cum precibus populum fidelem,

Finire lustrum quem decimum favens
Fortuna sivit non sine numine
Ab optimi Regis cupitis
Auspiciis initoque regno.

Iam serta templis addere, iam decet
Aras ad omnes et populum et patres
Sincera gratantes dicare
Vota, pii monimentum amoris.

Iam fas puellarum ac iuvenum choros
Versare gyris mobilibus pedem,
Donec redux Aurora pellet
Noctis equos nimium fugaces.

Tuque, o Thyoneu, laetitiae dator,
Adsis, virenti tempora pampino
Cinctus, resignatumque largis
Funde cadis veterem liquorem.

Tu pectus imples igne sacro, pater:
Tu verba monstras promere libera:
Tu das amicam oblivionem,
Thyrsiger, uberius remiscens

Crateras: est quum non meminisse quid
Conducit, et quae facta semel retro
Flecti negatum, corrigenda
Linquere post alio sub astro.

Adsis, precamur, dulceque porrigas
Solamen, ut qua mente decet sacram
Lucem colamus, quique in imis
Vivit amor residens medullis,

Grato rependat pectore debitum
Hvic, qui iuventam dum viridem dabat
Aetas, decoram quum senecta
Canitiem tulit, usque constans,

Verusque dicti, et propositi tenax,
Iustusque, sanctusque, et reverens dei,
Et mitis, et clemens, et aequus,
Res populi patriaeque rexit;

Quidquid secundis, quidquid et asperis
Fortuna rebus perfida luderet,
Non degener magnorum avorum,
Debiliorve animo repertus.

Nil est, benignus quod populis deus
Donare maius rege bono queat,
Cui mens paterni plena amoris
Et sapiens, et amica recti,

Quid prosit illis, quos sibi creditos
Sceptro tuetur, pervigili videt
Cura, neque amittit peritas
Temporibus dubiis habenas.

Non ille multo sanguine fortium
Emptam laborat quaerere lauream,
Nec gaudet indefessus urbes
Arvaque finitimis adempta

Iunxisse regno, scilicet omnium,
Quascumque sacro lumine sol videt,
Si regnet orarum, haud futurus
Nobilior meliorve civis

Illic, ubi omnes, summus et infimus,
Vt cuique filum ruperit Atropos,
Aequantur, et iudex severa
Fronte sedet taciturnus umbris,

In purpuratos praecipue gravis
Vindex tyrannos, si quis inutilis
Turpive ludo segnis aevum aut
Saevitia metuendus egit.

O Rex, Tuorum perpetuum decus
Certumque sidus, Te generosius
Enisa virtus, Te perenni
Segregat his pietas corona.

Tv, quae vetustis, quaeque recentibus
Inflicta bellis vulnera sensimus,
Sanare nec duram parasti,
Nec dubiam sapiens medelam;

Tv pacis almae muneribus frui
Permittis, et non imminuis gravi
Censu, quod ab duro labore
Reddit ager tenuis colono;

Per Te moratorum osor ab ultimis
Mercator oris Hesperias vehens
Commutat Eoasque merces
Plurimus, emporiisque acervat.

Vnde et, remotis obiicibus, lubens
Intravit urbes Copia, libero
Cornu refundens, quidquid orbis
Gignit opum variatus horis.

Idem eruditos erigis artium
Cultus, et insignem ingenio virum
Turba levi secernis, ipse
Pieridum bene notus hortis.

Quo fonte mentes fervidior rigat
Septos cupido rumpere tramites,
  Famaeque cuncto dictus orbe,
    Indolis ingenuo lepore

Saxo renidet gloria gentium
Germanicarum et praecipuum decus,
  Ipsae relicto quem sequutae
    Vmbrifero Helicone Musae

Iunxere sedem perpetuam, et sacro
Nunc ore certant incolumem Tuam,
  O Rex, fidem, praesensque longos
    Dicere praesidium per annos,

„Salve," canentes, „optime principum,
Qui Iustus omni, qui Patriae pater
  Vocandus aevo, per minorum
    Nobilis historias ferere.

Te qui gubernat res hominum deus
Fidis, precamur, Saxonibus Tuis
  Praeesse det seros in annos
    Nestorea validum senecta.

Nestor quoque annis ac sapientia
Vicisse claret Graiugenum duces:
  Sed sortis haud expers iniquae,
    Antilocho doluit perempto.

Quod si nitentes iam brevior Tua
Per regna fluctus Albis agit pater,
  Vel terminos moestae refixos
    Salaides gemuere nymphae;

Illique multi, saeva necessitas
Quos separavit civibus a Tuis,
Quondam Tuos, si lacrimantes
Lene Tuum meminere regnum:

At librat aequa dissimiles deus
In lance sortes, huic cumulans opes,
Illum volens virtute celsum
Spernere res hominum caducas.

Non regna regem, nec faciunt opes:
Rex est, sub alto pectore regia
Cui mens, secundis non abutens,
Nec trepidis timefacta rebus,

Quae sint saluti civibus, unice
Gestit paravisse: hunc sua nobilem
Miratur aetas; hunc superstes
Gloria post obitum sequetur.“

INDEX GRAECVS.

INDEX LATINVS.

INDEX SCRIPTORVM.



